Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
17 — H
79

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

40.2.49.
40
F
49
40
F
2

Digitized by Google

Digitized by Google

CORONA
STELLARUM
DUODECIM
Sive
DE EXCEL-
LENTIA VIRGINIS DVODENARIA, EIVSDEMQVE
IMITATIONE
LIBRI TRES.

Cum duplici indice

AVTHORE

R. P. Joanne Baptista Posarel Bergomensi, è Societate JESU Doctore Theologo.

Ad

ILLVSTRISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM DOMINVM, D. GEORGIVM DRASKOVITIVM EPIscopum Jaurinensem, & Comitem, Cæsareæ, Regiæq; Majestatis Consiliarium, *&c.* nec non ad cæteros Dei Matris Clientes, præsertim Sodales Marianos.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis Gregorij Gelbhaar, Typograph: Cæs. Anno M. DC. XXXVIII.

Bibl. Secret. Coll. Rom. Soc. Jesu
Collegio Romano Societatis Jesu
Digitized by Google

Digitized by Google

Facultas Reverendi Patris Provincialis, Provinciæ Austriæ Societatis JESU.

EGO JOANNES RUMER Societatis JESV per Provinciam Austriæ Præpositus Provincialis facta mihi potestate ab Admodum R. P. N. Mutio Vitellesco Præposito Generali, facultatem concedo, ut CORONA STELLARUM DUODECIM (sive De Excellentia Virginis duodenaria, ejusdemque imitatione Libri tres) quam P. Joannes Baptista Posarel Societatis nostræ Theologus elucubravit, ejusdemque Societatis Censores approbarunt, typis mandetur. In cujus rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & Officij nostri Sigillo munitas dedimus. Viennæ Austriæ ex Domo Probationis S. Annæ Matris magnæ Dei Matris MARIAE, 27. Martij anno 1638.

Joannes Rumer.

Digitized by Google

Index totius operis.

Liber Primus.

C. 1. Præfatio ad præsides parthenij. f. 1.
C. 2. Quòd jure optimo B. V. in exemplũ omnis virtutis proponatur, f. 20.
C. 3. Depromũtur argumẽta è quibus constat B. Virginem salutis Clientum suorum perquam studiosam esse, f. 38.

Liber Secũdus.

C. 1. De admirabili, ac singularissimo in una, eademq; muliere S. MARIA Maternitatis, ac Virginitatis cõplexu, & nexu, f. 77.
C. 2. De Virginitate B. MARIÆ f. 129.
C. 3. De Maternitate Virginis, f. 230

Liber Tertius.

C. 1. De humilitate Beatæ MARIÆ Virginis. f. 248.
C. 2. De Prudentia B. Virgins. f. 302.
C. 3. De Sanctitate B. MARIÆ. f. 335.
C. 4. De virtute Religionis, seu Pietatis. f. 379.
C. 5. De animi Fortitudine, seu Patientia, qua B. Virgo maximos dolores sustinuit. f. 400.
C. 6. De fide B. Virginis MARIÆ. f. 426
C. 7. De Beatæ MARIÆ præstantissima Spe. f 450.
C. 8. De Charitate Matris Dei MARIÆ. f. 470.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO, D. GEORGIO DRASKOVITIO EPISCOPO JAURINENſi, & Comiti Sac. Cæſaræ Regiæq; Majeſtatis Conſiliario, &c.

QVādo in Publico Regni cōvētu (Reme. ac Illmi. Antiſtes) hoc tempore aſſides, quo inter ſumma Patriæ totiûs negotia, non in poſtremis, illud fuit, ut Maria Cæſaris, & Regis veſtri conjunx; Sacrô Vngariæ Regni diademate redimita, fieret Auguſtior; non ſolùm licuit tibi Reginam coronatam propiùs intueri, ſed etiam, tanquā ſeniori Epiſcopo, ad thronum coronatam deducere. Eſt mihi Illuſtriſſime Præſul, Regina Coronata; & verò MARIA nomine, cui hæc innitatur in pompa ſua procedens, inveſtigavi, teq; reperi, non modò indagine meā (ad quē nempe, inter has elucubrationes, ſubinde proſpiciebam) ſed etiam Præſidum meorum judicio, & conſilio. Etenim ſi Manuductoris Reginæ munus, non niſi in Regia Principibus, deferri ſolet; is ipſe es,

qui multiplici nomine, emines ſuper multos: ſive enim generis nobilitatem ſpectem; ſive propriam tuam virtutem, ac excellentiam, utraq; in te ſumma ſunt Et ut vetera, ac recentia familiæ tuæ decora, uno verbo perſtringam. Avunculus tuus inter purpuratos Patres in Concilio Tridẽtino ſedit. Pater vero tuus: Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Prorex, Idemque partium Danubianarum ſumus belli Dux fuit. Ipſe dignitate fulges in Eccleſia Dei, præcipuâ: Vt pote ampliſſimæ Jaurinẽſis Eccleſiæ Dioeceſis Epiſcopus. Cæterùm (quod nominatim in laude tua poni debet) ſangvinis, & Loci tui nobilitatẽ, ſapientiâ coronaſti; & quod huic etiã præferri debet, animi tui quâdam celſitudine ac pietate: Illud propugnata abs te, cum laude tua, Grecij Styriæ, Philoſophiæ vniverſæ theoremata, & abſoluta Romæ ſtudia Theologica teſtantur. Alterum norũt omnes, & jam vulgare eſt. Quis enim ignoret erectũ animũ tuum, & imperterritum Sacerdotale pectus? Liberalitatis quoq; tuæ in opera pia, ac Religioſa, paſſim monumẽta exſtant. Poſonij, Jaurini, Sopronij. Videt quoq; Vrbium princeps

Vienna

Vieña complures alumnos tuos, tãquam perpetuos in Ecclesiæ tuæ agrũ traduces, & suppetias paratas Et ut quãtum Regni Vngariæ salus tibi cordi sit ostẽderes, adjecisti animũ Collegio Societati nostræ erigẽdo. Pater simul, & nutritius effectus; Sopronienſis quidem ſurgentis domicilij Pater, Jaurinẽsis verò nutricius, sed & plura meditaris. Quidni igitur magnis, eximijsq; viris asserare, & dignus, qui educas in publicũ Reginã Coronatã? Non illam dico, quã magnà, nominis comendatione, Cæsaris sororẽ, tanquã pretiosissimũ monile, tibi comendatã nuper in Poloniã comitatus es; eâq; sapientiâ, & facundiâ proceribus primũ Regni, tum deinde Regi ipsi exhibuisti, Cæciliã, inquam, Renatam, ut prudẽtiæ tuæ in negotijs dexterè, sapiẽterq; transigendis, quasi reserato myrothecio; non modò per provincias, fragrantiam inhalâris; sed ejus quod in Illmo. tuo pectore est põderis, proprijssimũ specimen repræsentâris. Non, inquã, Cæsaris Sororem, aut lectissimã ejus cõjugem, & Augustã; sed planè ipsam Cœli Reginam, ac orbis Dominã tibi trado in publicũ efferendã. Regina est, & non quâcũq; Co-

rona,

ronâ, ſed ſtellarũ duodecim collucẽtiſſima. Sic enim inſcripſi opus hoc meum, quod dexteræ tuæ ſubnixus cõmendo; Neq; diffido, (cùm pro Virginis filio adeò ſtudioſè agas) quin ſit ĩnixura ſuper dilectũ ſuum MARIA; & redditura vicẽ adminiculanti ſibi. Et verò, ſi quẽ ad perfectionẽ, vltimãq; manũ huic libro addendam, implorare debui, nõne ſortiẽdus ex eo Regno is fuit, quod in Deiparæ Clientela, ſingulariter fatetur ſe eſſe? Certè in prima frõte Philoſophiæ tuæ Auſcultatæ, inciſa viſitur imago B. Virginis, cum Epigraphe hâc. *Patrona Vngariæ* cũq; omnes, per orbẽ Chriſtianum ſparſæ nationes, Patronã ſibi exoptẽt MARIAM: Hanc tamẽ cõmunẽ appellationẽ Vngarorũ Regnũ fecit ſibi propriã. Quòd ſi illa Patrona veſtra eſt, vos vtiq; Cliẽtes eſtis. Vivas igitur in hac clientela Virginis felix: Vivas pro patria, Republica Chriſtiana, Eccleſia Vngarica, diutiſſimè incolumis. *Viennæ è Collegio Academico Societatis Ieſu 14. Martij 1638.*

Ill^mæ. ac Rev^mæ. D. T.

Servus devotus

Jo. Bap. Poſarel S. J.

Lecto-

Lectori, & Sodali Mariano Salutem.

SI cauſam quæris inſcriptionis ejus, quæ in hujus operis fronte præfixa eſt, (Amice lector) hoc eſt, cur CORONA STELLARVM duodecim nominetur, hãc reddo; Nam totidem ſunt capita de Virginis excellentia, in tres libros diſtributa. Et quidem in duobus primis, nõ immemor ſcopi, ad quem collineo; ago de quatuor illis ſtellis, quæ vim, & lumen cæteris affundũt, hoc eſt, primò quidem de pulcherrimo MARIÆ exemplo, quod maximè imitabile eſt. Secundò (ad acuendos magis animos) de favore ejuſdem Virginis erga clientes, ac imitatores ſuos. Atq; hâc veluti viâ conſtratâ; Ipſa Dei genitrix MARIA, tacito quodam modo ad ſua ſublegenda veſtigia invitat, dùm Maternitatis ejus majeſtatem,

§ *Virgi-*

Virginitatiſq; comem, ac blandiſſimam ſpeciem, in ſecundo libro propono: multũ quippe valet ad perſuadendum ſuavitate Virginali Dei Matris condita authoritas, Atque demum hiſce fundamentis jactis, toto libro tertio Marianarum Virtutum fabricam ſuperſtruo, proq; mea tenuitate de Virginis HUMILITATE, PRUDENTIA, RELIGIONE, SANCTITATE, PATIENTIA, FIDE, SPE, CHARITATE *diſputo, quæ quidem Marianæ excellentiæ cùm ogdoaden efficiant, additis quatuor alijs; hoc eſt, Illuſtriſſimo vitæ Virginis* EXEMPLO. *Tum ejuſdem* PATROCINIO *atque* MATERNITATE DEI, *& ſingulariſſimâ* VIRGINITATE; *conſtat duodenárius veluti ſtellarum, è diademate Reginæ ubertim coruſcantium. Et ſi velis; non ſolum ſtellarum, ſed etiam portarum reperietur* δύο καίδεκάς. *Nam Civitas Dei eſt MARIA, in qua, qui fundavit*

eam

Digitized by Google

eam, factus eſt homo. Et civitatis, quæ in quadro poſita eſt, tres ex omni latere portæ ſitæ ſunt, & univerſæ duodecim: Ita ut MARIA ſtellis redimita, lumen ambulantibus, eademq; Civitas plena portis, ingreſſum præbeat ad Cœli Aulam; hoc eſt per virtutes ſuas deducat clientes ſuos ad Regiam. Quod ut facilius conſequamur expando ob oculos, virtutum Marianarum quaſdam veluti areolas, earumq; ſtudioſas actiones diſtinguo, & quantum poſſum rimor, explico, oſtento; inſtarq; cupidi Propolæ, merces non tàm laudo verbis, quàm (ut ipſæmet ſe commendent) inſpiciendas propono, ac ingero: Explicatis enim ipſis virtutum voluminibus, quàm præcellenter fulgeat ex ijs MARIA, palam apparet. Ergo ſi amicire te velis humilitate, quâ Virgo nitet, ſi Prudentiâ, ſi Pietate, ſi Patientia, ſi Charitate, ſi Fide vivâ, & Spe inconcuſſâ. Hic lege; non tantū quod MA-

Pſal. 86.

Apocalyp. 21.

§ 2 RIA

Digitized by Google

RIA hiſce virtutibus exornata ſit, ſed etiã perſpicuè cognoſce; rem ita ſe habere, quoniam aſſertioni demonſtratio non deeſt: ſic enim fiet ut à rebus ipſis non modò creditis, ſed clarè proſpectatis perſuaſus animus non mediocriter afficiatur. Nam etiam Odoramentũ ſi cõtundatur, diſſipeturq; fragrantiam ſuã inhalat, quam integrũ minus reddit. Etenim; effudit mulier alabaſtrum

Ioan. 12. vnguẽti pretioſi, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. *Quid igitur jam reſtat, quàm ut curramus in odorem vnguentorum iſtorum? Hoc mihi, & cuicunque qui lecturus eſt hunc librũ imprecor, ut im-*

Cantic. 1. *petret illa ipſa, quæ* Fragrat vnguẽtis optimis, *& verò ab hac anteambulatrice noſtra, ſed reſpectante ad nos, & ad ſtudiũ perfectionis animante; idipſum dici ab ea nobis exiſtimemus, de quo dilectus Domini diſcipulus commonefacit omnes ijs verbis:* Filioli mei non diligamus verbo, neq; lingua,

linguâ, ſed opere, & veritate: *Hoc eſt; non putetis eſſe ſatis; ſi dicatis vos eſſe in ſodalitio meo, quodve me elegeritis in patronam, & advocatam veſtram: Immò ſi vel etiam quaſi penſum quoddam precum quotidie mihi perſolvatis, ſi inter hæc, à vita mea, & moribus diſcrepetis.* Epiſto. 1. cap 3. *Ergo tàm blãdâ, ſeriâque cohortatione inſtructi, appellamus animum ad opus, per quod virtutum Marianarum, veri laudatores efficiamur, hoc eſt imitatores, & aſſeclæ, Vale.*

Et

Errata præcipua ſic corrige.

PAgina 3. linea 17. lege *Perniciem.* P. 6. linea 16. *eſt* dele. p. 8. linea 15. lege: *manifeſtè teſtãtur: conſtitui nihilominus quædam.* P. 16. linea 8. lege *accidere ſolet.* P. 17. linea 15. lege *ſubſidat.* P. 24. l. 8. lege *expreſſum.* P. 36. linea 14. lege *nobilitas.* P. 39. l. 13. lege *ſtadio.* P. 46. linea 15. lege *clientibus.* P. 56. circa finem lege *prædeſtinati.* P. 73. linea 9. lege *contubernio.* P. 79. linea 12. lege *nequeo.* P. 80. linea 21. lege *quam*, & linea 25. lege *Res magna.* P. 82. circa finem lege *excluderetur.* P. 88. linea 5. lege *dexteræ.* P. 111. linea 2. *poſt* dele. P. 112. linea 3. à fine lege *Onan.* P. 122. linea 7. à fine lege *patrui.* P. 152. linea

Digitized by Google

6. lege *Atqui*, P. 157. linea 3. lege *dicimus*, P. 179. linea 5. à fine lege *ſerviendum*, P. 198. linea 23. lege *concepiſſe*, P. 215. linea 1. lege *philoſophia*, P. 216. linea 13. lege *Chryſoſtomæũ*, P. 218. linea 15. lege *Marciani*, P. 250. linea 20. lege *ſiuit*, P. 226. linea 17. lege *in ſingulis*, P. 228. linea vltima lege *dixit*, P. 260. linea 15. lege *cortinæ*, P. 261. linea 2. lege *Salomonis*, P. 331. linea 11. lege *diſpexit*, P. 345. linea ultima lege *locus*, P. 361. linea 6. lege *ſancitum*, P. 386. linea 3. à fine lege *cujuſdam*, P. 379. linea 11. lege *Chriſto*. P. 404. linea 20. lege *reſtringi*, P. 421. linea 9. lege *hic*, P. 443. linea 13. lege *abſterrebatur*, P. 453. linea 1. lege *liqueſcebat*.

Oratio nuncupatoria operis hujus ad Virginem Deiparam.

NOſti (dulciſſima Virgo, et mater Dei MARIA) quòd cum filius tuus more triũ-
Matthæi 21 *phantis Hieroſolymam inveheretur; turbas, & quæ præcedebant, & quæ ſequebantur; ac deinceps in templo pueros acclamaſſe illi:* Hoſanna filio David, Hoſanna in altiſſimis: *Tantumque abfuiſſe, ut raucæ hius plebeculæ voculas fuerit dedignatus; ut eas etiam teſtimonio Prophetæ tanquam ratas, probataſque aſſeruerit; cum ex-*

eum exprobratoribus suis dixit: Nunquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? *Itane ergo ex ore infantium, & lactentium perficitur laus? Macte igitur animo anime mi, attolle vultum, quem declinabas ab Augusta Cæli Regina, veritus offerre has illi lucubrationes tuas. Etenim & ipsa perinde ac filius suscipit ab ore infantium laudis encomium, Mater Dei imitatrix filij sui. Ne diffide quia non respuet tuas gerras, ac crepundia ob id, quòd à magnis Ecclesiæ Principibus deprædicata sit; & ipse nihil penitus sis, collatus eminentissimis illis MARIAE encomiastis: Ambrosio, Augustino, Epiphanio, Damasceno, Athanasio, Ildephonso, Anselmo, Bernardo, alijsque quamplurimis Reipublicæ Christianæ optimatibus. Tametsi enim tanti Pontifices, & Doctores accinuere MARIAE acroama, ipsa tamen non fastidiet labij tui balbutiem, & male digestos sonos. Neque enim est Deipara instar grandium terræ hujus, qui cùm ab Inclytis honorentur, infimorum venerationem, cultumque aspernantur. Electa est, ut Sol, MARIA: Et quamvis Sol oriens, fastigia primùm montium lumine suo aspergat, nihilominus tamen altiùs evectus infundit etiam sese vallibus, & supina terrarum illustrat, &*

Psalm. 8.

trat, & aspicit: Ita Deipara in montibus illis ac collibus (qui sunt Patres Sancti) pridem conspicua modo etiam ad abstrusos convallium sinus, & abditos recessus (qui nos sumus) fulgoris sui radium demittit. Sed vero etiam illud (animme mi) apud temetipsum agita, ac perpende, quod plurimorum de Virgine laudes, quasi mellodiam efficiant; Atqui pares non decet esse in musica sonos, ut fiat harmonicus concentus, & gratus auribus accidat. Nec ipsa ciborum condimenta vnius generis sunt; Immo etiam de stilla vna labruscæ, sæpe fit, vnde palatum demulceatur. Quid quod in ipsis Basilicis, seu Regijs palatijs, & suum arenulæ locum obtinent? An ignoras quid Apostolus Prædicator veritatis dicat? Si voluntas (*inquit*) prompta est, secundum id quod habet accepta est? *His igitur velut infantiæ meæ invitamentis animatus, fari ad te audeo, misericordiæ Mater, quoniam es, quam te appello: Suscipe igitur munusculum hoc, & miserere mei o bona Domina, quæ dedignata non fuisti alloqui ministros mensæ nuptialis: Nam & ego Sacerdos sum minister in convivio Ecclesiæ Sponsæ filij tui, quotidie litans eum, quem genuisti.*

Gen. 49.

2. Cor. 8.

Dignare

Dignare me, laudare te, Virgo ſacrata

LIBER PRIMVS.

De ijs quæ præparant animos ad Virginis imitationem.

CAPVT PRIMVM.

Ad Præſides Parthenij.

§. 1. De Neceſſaria conjunctione pietatis cum ſcientia.
§. 2. Per ſodalitatum Præſides veluti coronari ſcientiam.
§. 3. Quo potiſſimum medio animi juvenum ad pietatem efformentur.
§. 4. Cur parthenij Præſides inter exhortandum ſatius utantur exemplis ſanctorum.
§. 5. Reditur ad inſinuationem difficultatis quam patitur domeſticus ſeu familiaris Adhortator.
§. 6. Quod ſingulariter Iuventus ducatur exemplo.

Prooemium.

SI quod res eſt, inferre velim in ſermonem, non aliter de vobis ſentiã, aut loquar (Partheni) moderatores,) quam quod ſitis vos inſtar Ioſephi nutricij Salvatoris noſtri, quippe non ſecus ac ille, formatis educatiſq; Chriſtum IESVM in cordibus adoleſcẽtiæ. Etenim ſi B. Paulo dicere licuit: *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*: quid ni eandem vobis curam, ſollicitudinemq; vendicare poſſitis; iiſdemq; verbis commiſſos vobis cœtus, ac ſodales compellare, *ad Gal. 4. v. 17.*

& dicere: filioli mei, quos iterum parturimus, donec formetur Chriſtus in vobis: id enim profectò facitis, & hæ muneris veſtri partes, hoc opus urgetis, ut qui pridem aquis baptiſmi enati fuerant, recepti Virginis gremio, per vos iterum renaſcãtur, magno Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ, emolumento. Et ſi ſuæ debentur MARIÆ, & Joſepho, gratiæ: quod Chriſtũ in virilem ætatem perduxerint; tanto totius generis humani, bono: vobis ingratus eſſet orbis terrarum, omnis religio, & politia, ſi de fructu, quem ex vobis percipiunt, gratiarum non referant actionem. Solent homines fructuum, aut vini ſuavitate perceptâ exclamare & dicere: benedictus, qui te vineam, vel arborem plãtavit: quemadmodum mulier illa Evangelica: viſis Chriſti miraculis, & ſapientiâ ejus auditâ, exclamavit, & dixit: *Beatus venter, qui te portavit: & ubera quæ ſuxiſti*: quod ſi illi, in eam encomij vocem erumpunt: cur obmuteſcant Collegia, Cœnobia, Senatus, Curiæ, Concilia, ſacra & prophana: ſi modo perpendant, unde trahant viros, non ſolum litteris, & prudentia excultos, ſed, quod veſtrum eſt, & ultimæ manus opus; pietate, & Dei timore inſignes?

Lucæ c. 11.

§. I.

De neceſſariâ conjunctione pietatis cum ſcientiâ

PArum ageret ſocietas noſtra, imo prope dixerim plurimùm obeſſet ſocietas, ſi ſolas & nudas literas juventuti traderet, & unà cum illis

Dei timorem non inſtillaret. Sicut enim Hieronymo teſte: *Sancta ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt, & quantum ædificat, ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantùm nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat:* Ita litterata iuventus ſi pietate in Deum careat, quaſi armata ferro inſania, plus nocumenti afferret, quàm ſi abſq; litteris eſſet. quid enim aliud eſt, apud Matthæum cap. 12. ſcopis mundata, & ornata domus, ad quam revertitur immundus ſpiritus aſſumptis ſecum alijs ſeptem nequioribus ſe, & fiunt noviſſima hominis illius peſora prioribus: quid, inquam, hæc domus mundata, & ornata, aliud eſt; quàm docti quidem, ſed improbi hominis anima, in quâ eò lubentius humani generis hoſtis domicilium ſuum figit; quo tales qui ſunt, propter doctrinæ opinionem, authoritatemq; ex illâ conciliatam, ad plurimorum exitium atq; pernitiem ſunt præ cæteris mortalium, magis accommodati? Talis fuit Iulianus Apoſtata, qui poſtquam oratoribus, & Philoſophis, Athenis operam dediſſet, pernoctabat ſcribens in Chriſtum. Tales Arius, Eutyches, Neſtorius, & patrum memoriâ; Lutherus, & Calvinus; qui cùm omnis pietatis extorres eſſent, neq; interim ab omni humanarum, divinarumq; rerum ſcientiâ vacui animarum peſtem orbi terrarum inhalarunt. Quod ſi non omnes, qui docti ſunt, & parum à pietate inſtructi, adeò abutuntur ſcientia: Nihilominus hi multò magis deflendi, quàm Philoctetes ille apud Attium, qui ingemiſcit, quod pennigero, non armigero in corpore, tela ſua exerceantur: quippe re præſtantiſſima, & ad maxima quæq; efficienda, aptiſſima,

Epiſtola ad Paulinum

Matthei 12.

Maldonatus in Matthæum.

Baronius ad annum, 360.

Cic. Epiſt. l. 7.

ptiſſima, in res nõ modò ludicras, & floccifaciendas, ſed ſæpe etiam in fraudes, & ad iniquitatem palliandam, abutantur. Videri mihi ſolet ſcientia ſine timore Dei in juventute quaſi meretricius ornatus, qui tantò magis alliciat ad ſcelus, quantò cultior, elegantiorq; apparet. Ergo, ut erratici vitium lapſus, ne ferantur in terram, nihilq; utilitatis hominum generi afferant, paxillis ſuffulciuntur; ita ſe res habet cum ſcientia, quæ niſi in ſocietatem conveniat cum virtute Chriſtiana, non infructuoſa modò, ſed verò etiam ſolet eſſe pernitioſa.

§. II.

Per ſodalitiorum Præſides veluti coronari ſcientiam.

QVæ cum ita ſint: nunquam ita ſcientiam ornabunt inſignia Doctoratus, & Laureæ, atq; eſt optima pietatis cum doctrina conjunctio. Et quorum eſt (Parthenij præſides) ſubſtratum ſcientiæ, tanquam materiem optimam, virtute Chriſtiana vivificare, niſi veſtrũ? Veſtrũ inquã eſt Palladem corronare, & reginam conſtituere. Vos eſtis, quibus potiores hujus præclari operis, quod obit ſocietas, demandatæ ſunt partes. Vos videlicet eſtis Architecti, quibus miniſteria pleraq; omnia ancillantur. Vos etenim eſtis, quorũ operi, nemo adijcit quicquam: quoniam perfectio eſt illa, quam vos procuratis. Vos Deum primũ opificem, & hominis Plaſten è vicino imitamini, quippe in Iuventutem, velut è terra, per litteras efformatam, inſpiratis

inſpiratis ſpiritum vitæ, fiuntq; in animam viventem. Nec ſanè immeritò pro talibus haberi debetis: eſt enim virtus morum quidam tanquam ſpiritus litterarum; hæ vero quoddam quaſi corpus virtutis. hæc ubi abeſt, jacent litteræ, veluti membra ex anima. nec ſolum nullam habent efficiendi vim, ſed nec ſe quidem poſſunt commovere. quid facient pedes, quid manus, quid caput, quid cæteri corporis artus, vitali ſpiritu deſtituti, quid omnes litterati hominis conatus â virtute, tanquam ab anima derelicti? Mihi verò non temerè videtur ſervator ille hominũ, priùs ſalem dixiſſe terræ diſcipulos ſuos, quàm mundi lucem, ſed divinâ illâ, quâ cuncta ſolebat, ſapientiâ. Eſt enim honeſtè acta vita, cujus exemplo ſaliuntur quodam modo corrupti mores hominum, & quæ delapſa jam fluxerunt, adſtringuntur; ut S. Chryſoſtomus adnotavit, longe doctrina prior, cujus lumine terrarum orbis illuſtratur. Nec omnino vana eſt hæc oratoris Perpiniani divinatio, ſeu conjectura, quando etiam Apocalypſis XI. cum in Henoch, & Eliæ laude, eorum vitæ Sanctitas, & doctrina ponãtur, illa præfertur, cum dicitur: Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Sicut enim in candelabro lumen ſcientiæ ſignificatur, ita in oliva gratiæ ubertas exprimitur, quæq; unctio dici ſolet, & Spiritus Sãcti pinguedo. Quid quòd eorum, quæ in Chriſto ſumma fuiſſe, Evangeliſta teſtatur, id eſt; Gratia, & veritas, ſeu ſanctitas, & ſcientia: Gratia præfertur veritati, cum dicitur: Verbum caro factum plenum Gratiæ, & veritatis; cum tamen, ſi

Gen. 2. *Exoratione 1. Perpiniani.* *Matthæi 5.* *Hom. 15. in Matth.* *Apocalip.* *Ioan. 1.*

ordinis, quem natura rerum poſtulat, ratio habeatur, Veritas ſeu veri cognitio, utiq; preferenda ſit Sanctitati; cum hæc ex illa progignatur. Quare in molimine tanto, totóq; operarum induſtria, quas inſudare videtis in Soc^e. (Patres fratreſq; chariſſimi) veſtræ ſunt potiſſimæ partes, quotquot cœtus parthenicos ex præſidum majorum imperio, moderamini: cœtus, inquam, parthenicos, qui (ut cum S. Cypriano in ſimili cauſa loquar) *ſunt flos Eccleſiaſtici germinis, decus, & ornamentum gratiæ ſpiritualis, Illuſtrior portio gregis Domini.* de hab. Vir.

§. III.

Quo potiſſimum medio animi Juvenum ad pietatem efformentur.

OMnes quidem ducimur exemplo; nullaq; ſalubrior eſt medicina: ſed nihilominus adoleſcentiæ eſt veluti propriū ideſt, ſpectaculis rerum permoveri. Cum autem præclariſſimorum Dei genitricis exemplorum, quæ in maximis quibuſq; virtutibus edidit luculentiſſima, ſeriem quondam conſcripſerim; deſtino ad vos (PP. Fratreſq; chariſſimi) elucubrationē meam; ſi fortaſſe hac ratione in aliquam meritorum veſtrorum partē venire queam; dum ſtudijs veſtris, egregioq; facinori, quod in excolenda ſtudioſa juventute præſtatis, ſubſervio. Cœterum, ut, quod dixi, de præſtantia boni exempli, planius conſtet, & operis hujus Mariani utilitas magis pateat: ſummatim hic de vir-

Digitized by Google

de virtute exempli aliquid perſtringam; & ſingillatim deinde quàm vim ad animos Juvenum impellendos habeat exemplum, proſequar in ſexto paragrapho. Ad prius illud quod attinet, teſtatiſſima res eſt omnibus, vitæ bonæ exempla prodeſſe: quod vel è contrario perſpici clariſſime poteſt. Etenim ut è ſacris litteris, Sanctorumq; PP. authoritate conſtat, in nullum genus hominum gravius invehitur Deus, quàm in eos, qui per mala exēpla ruinæ cauſam præbent. At quantùm officiunt ſcandala, tantundem proborum exempla proſunt; ſi modo perpendantur.

Vide Eph. 44. & cap. 34. v. 18. Matth. 18. S. Gregorij Mag. 1. p. cura paſt. c. 2. l. 9. Epiſ. 6. 4 & homilia 17. in Matth.

Quare S. Paulus, cum Chriſtianis Author eſſet ad opus quodcunq; officioſum, ſe quoq; anteire non verebatur affirmare. *Imitatores*, inquit, *mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: & alias: *ſine offenſione eſtote Judæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei; ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.*

1. Cor. 4. v. 16. et cap. 1. ad phil: 3.

Idemque præclariſſimus Doctor, cum Titum inſtruxiſſet de quibus homines cujuſq; conditionis viros, ac fæminas erudiret; addidit poſtremo ultimam manum, & dixit: *in omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum*; & infra, ubi inculcaſſet idipſum, ita ſcribens: *hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio*; ſubjecit: *nemo te contemnat*; quid eſt hoc; nemo te contemnat? quid aliud, quàm vide ſis, ut authoritatem doctrinæ tuæ, vita tua non deroget; ſed conciliet magis venerabilemq; efficiat.

c. 2, v. 7. 15.

Ipſe Chriſtus actiones ſuas multò magis præ verbis ingerit: ait enim, *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Tanta eſt in eo, qui adhortatur, neceſſitas boni exempli, ut quod alias nefas eſ-

ſas eſſet, & arrogantiæ crimen; attamen ſubindè licitum ſit, nempè virtutis optimæ ſpecimen, & alienis oculis exhibere, ac auribus per ſermonem inferre; ut ea ratione auditorum animi ſtimulentur ad conſiderationem vitæ, quæ nihil diſcrepet ab oratione. Quod ſi hæc non paſſim ab omnibus, (ne jactantiæ malum illudat) uſurpanda cõſvetudo eſt: ut qui hortatur, ſua palam alijs facinora aperiat; (unus enim Chriſtus, & non multi Pauli ſunt:) attamen enitendum cuiq; adhortatorum ſummo ſtudio eſt, ut ijs virtutum inſignibus eniteat, quorum ſplendore omnium oculos, vel reluctantes, ad ſeſe convertat: de quo etſi Sanctorum Patrum codices pleni ſunt, ipſaq; ſacrarum literarum volumina manifeſte conſtitui nihilominus teſtantur: quædam in rem noſtram congerere, ut perſpicuè appareat, quam utilis lectori Parthenico futurus ſit hic liber, de pulcherrimis Marianarum virtutum exemplis deſtinctè conſcriptus. Ergo ut ab eo exordiar, qui eſt fundamentum, & aliud poni non poteſt. Chriſtus ipſe, hanc dandi boni exempli, neceſſitatem, & præeundi ad id, quo alij invitantur; juſtitiam, ſeu opus juſtitiæ appellat, atq; adeò juſtitiæ legibus, teneri eum, qui ſuaſor eſt, ad præſtandum, quod factu opus duxerit, faciendumq; ſuaſerit. Cum enim ad lavacrum acceſſiſſet is ipſe, qui baptiſmum tanta ſeveritate præcepturus erat; ut edixerit in hæc verba Nicodemo: *Amen, amen dico tibi; niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.* ipſe, inquam ante ejuſcemodi edictum abluendum ſe dedit; cumq; agnitus à Joanne Baptiſta, repelleretur ab eo,

Ioan. 3. v. 3.

ab eo, quippè omnis puritatis fons minimè indigeret lotione, non deſtitit à propoſito, ſed dixit: *ſine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam*. quaſi diceret; cum decretum apud me ſit, ut omnes, qui ſalvi velint eſſe, aquâ ſalutari abluantur, nemoq; qui ſecus fecerit, ad ſalutis portum pervenire poſſit; quandò ſic animo ſtat, æquitas poſtulare videtur, ut intingar aquis ipſe priùs, eoq; pacto & exẽplo, aſſeclis meis ſalutis viam aperiam. quà ſimili ratione poſt aliquot annorum intervallum diſcipulis exemplo ſe præire oſtendit; cum dixit: *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine; & benè dicitis, ſum etenim. ſi ergo ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes*. Ingens clamor adhortatoris eſt, exhibitio operis, & ut ait pſalmographus: *Vox tonitrui tui in rotâ*; hoc eſt inſtar fulminis percellit dicentis oratio, ſi qui hortatur, ſit inſtar rotæ, hoc eſt minimâ ſui parte terram tangat, ad quam deſerendam auditores ſuos adhortatur.

Mat. 3. viſ. 5.

Ioan. 15.

Pſalm. 76.

Sanè naturâ duce ac magiſterio, cujus lumine neutiquam orbi ac deſtituti fuêre, qui præſtantes belli duces veluti in ſcenà nobis exhibuêre. ſic enim eos ad rem ſtrenuè gerendam adhortatos exercitum fuiſſe, deſcripſerunt, ut ardori dicendi egregia adderent facinora; hoc eſt editas è veſtigio manu ſuâ hoſtium ſtrages. quamprimum enim copias ſuas de prælio incundo fortiterq; dimicãdo cohortati fuiſſent; eos pariter in confertiſſimam aciem & cuneos hoſtiles irruiſſe & nunquam hoſti terga vertiſſe tradiderunt. Atq; ita de fortiſſimo illo Juda Machabæo ſcriptum legimus: *Vt ceſſavit autem loqui*, ideſt, mi-

1. Mach. c. 3.

lites ad prælium accendere, optimo videlicet uſus epilogo; hoc eſt. *Inſiluit in eos*, (ſacer inquit codex) *ſubitò, & conſtrictus eſt Seron, & exercitus ejus, in conſpectu ejus.* Et altero libro ipſe primus Machabæus ſumptis armis cæteros adhortatus eſt ſimul ſecum periculum ſubire. Neq; diſſimiles ab hoc prophani ſcriptores, depinxerunt nobis eos belli Duces, vel qui præſtantiſſimi habentur, vel quos ab arte militari & bellica laude commendare, ac celebrare voluêre. Neq; enim exiſtimare debent ij, qui vel ad populum verba faciunt; vel alios, præſertim emunctæ naris, adhortantur; ſe inſtar tubicinum in caſtris eſſe oportere, quorum eſt clangore duntaxat tubarum alios ad dimicandum accendere, cum ipſi nunquam gladium ſtringãt feriantuè adverſarium. Non enim hoc munus eſt eorum, qui dicendi provinciam nacti ſunt. cæterum actionis cum eloquentiâ conjunctionem res hæc apprimè poſtulat, nõ actionis dico ſeu lacertorum ac manuum cum ſono vocis coæquationem, ſed ajo exhibitionem virtutis, quam dicendo commendant. Vti namq; Divus Gregorius author eſt, *qui loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eâdem neceſſitate, compellitur ſumma monſtrare.*

c. 11.

2. p. cura paſt. c. 3.

Non ignoravit figmentum ſuum Deus, eaque propter quandò viſum eſt ipſi labenti mundo ſuppetias adferre, hoc eſt, vel ignorantiâ veri Dei excæcatum illuſtrare, vel hæreſum ſpinis obſitum extricare, vel vitiorum ſentinâ oppreſſum per morum reſtaurationem erigere, eos ſcilicet ad id munus, & opus elegit, qui verbo vim adderent, & quorum ab oratione nihil actio, vel vita diſcreparet. Nam quales quan-

les quantosq; accepimus olim fuiſſe Remigios, Bonifacios, Adalbertos, eruditores fidei noſtræ in Gallia, Germania, Polonia, Vngaria; quales per orbem vniverſum diſperſos Apoſtolos, de quibus tanta ante prædixerat Chriſtus futuros eos inſtar ſalis ad infatuatam generis humani condiendam naturam. Vere ſiquidem illi fuêre lucernæ ardentes in caliginoſo loco exaltatæ ſuper modium, & mundi lux clariſſima effecti. Et qualis obſecro fuit Chriſti prodromus Joannes Baptiſta? qui venerat in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine: fuitne aliquid in illo, quod quavis ratione ejus obfuſcare, aut inturbidare cohortationem poſſet? quid voci illi obijci, quâ populos aquarum inſtar undiq; ad ſeſe confluentes ad vitæ prioris deteſtationem invitabat? Tantis utiq; à Deo idcirco cumulatus eſt donis, ac prærogativis, propterea quod decerent ea omnia illum, qui paratus erat lucerna à Deo Chriſto ſuo. Joſias ille qui divinitus datus fuerat à Deo in pœnitentiam gentis, quibus laudum encomijs efferatur ab Eccleſiaſtico quis ignorat? quin imò exemplum omnium Apoſtolorum, quod omni Sanctitate vitæ enitere debeant ipſemet Chriſtus eſt. Vbi enim de ejus miſſione ſacræ literæ meminere, etiam de unctione ibidem ſermo eſt. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me.* Hoc etenim ad quandam Dei Majeſtatem, dignitatemq; ſpectat, ut ij qui auctores, qui reſtauratores morum ſunt; ſint ijdem etiam vitæ integritate illuſtres: quare etiam quod intermitti non debet, ipſi, qui ad perfectionem Evangelicam comparan-

Matthæi 5. *Ioan. 1.* *c. 49. Eccl.* *Iſaia 61* *Luca 4.*

dam alia atq; alia vitæ genera, atq; instituta repererunt. Vt Benedictus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, omnes sine ulla controversia viri santissimi fuère, pietate, cæterisq; virtutibus eminentes.

§. IIII.

Cur Parthenij Præsides inter exhortandum satius utantur exemplis Sanctorum.

CVm ita sit, ut omnino excellentem esse eum oporteat, qui morbis animorum curandis præfectus est, velutiq; lingendis hominum ulceribus, idq; instrumento linguæ, sive adhortatione præstandum ei sit. Vnum tamen est hoc præsertim tempore in ijs, qui verba de consecutione virtutum faciunt, aliosq; adhortantur; quod si dixero scopulum, in quem plurimi offendant, parum omnino dixero, est enim præcipitium potius, atq; ingens orationis barathrum appellandum, in quem horrendum hiatum cum inciderit exhortatoris dictio, desperata res est, & medicina fieri huic malo nulla amplius potest. Scire vis, quid hoc sit adeò bonæ institutioni pernitiosum, cujus gratia non magnus sæpè exhortationis fructus existat? sunt, & utinam etiam non supersint multi, qui quod literis satis instructi, polleantq; ingenij acie ad pervidendam ipsam, ut ita dicam, virtutis medullam, eam quam legendo aut meditando optimi sodalis formam, & tanquam defœcatissimam idæam animo suo imbiberunt, eam ipsam nimirum præstantissimam

mam gemmam, non ſpectandam modo, ſed planè venalem palam proſtituunt. Cumq; illud ſit perfectiſſimum, & abſolutum virtutis exemplum, multoq; ſublimius, quam ad id humana pertingere ſoleat aut valeat imbecilitas; plerumq; fit, ut illi ipſi tantæ speciei præcones, etſi ad eam omni ope, ac ſtudio ſibi nanciſcendam cæteris authores ſint, ab eadem tamen pulchritudine ipſi deſtituti ſint: qua veluti, inter mercem, ac ejus venditorem, cognitâ diſſenſione, atq; intercapedine fit plerumq; ut qui ad eam ſibi conquirendam allici poterant, ab ejus deſiderio penitùs reſiliãt. Accipe amabo te, in rem hãc appoſitam narratiunculam; in ſtyria, quæ Ferdinãdo Cæſare, hujus nominis ſecundo, utpote gentili ſuo, ac Principe gloriatur, in oppido, quod diei itinere Græcio diſtat, & linguâ theutonica dicitur Kapffenperg, degebat Satrapa loci dominus, opibus inter Styriacos Proceres, tunc quidem nulli ſecundus; ad hunc, cum aliquando Chymici homines adeundi facultatem poſtulaſſent, cognito, quod auri efficiendi artem profiterentur, ut quamprimùm admitterentur poteſtatem ampliſſimam fecit. Introducti igitur pannoſi illi, ubi cauſam ob quam adiiſſent expoſuiſſent. Dynaſta domeſticos appellãs imperabat ſedulò, ut quantociùs equi, currus, & omnis comitatus adeò fauſtorum hoſpitum in regiam adducerentur, neq; enim gratiores hiſce hominibus poſſe ſibi ullos advenire. At illi, qui ſe auri fabricatores paullò ante venditarant, cum ſibi nihil horum eſſe affirmarent, non equos, non currus, non famulos: ſiccine inquit, is ſatrapa, & tanquam im-

poſtores è veſtigio abacti ſunt, quod prorſus abſurdũ videretur inopes eos, ac indigos eſſe, qui Chryſopœjam artem adeò quæſtuoſam ſe callere jactarent. His ergo perſimiles videri poſſunt illi, qui dum virtutis aſſequendæ artem profitentur, & quidem ejus eſſe compotes non negant, cumq; hac optima poſſeſſione ſæpè careant, fit, ut quamvis magnâ vocis contentione de vita rectè inſtituenda diſſerant, minus tamen perſuadeant, quod ſpeciem illam, quâ ſolum animo, & cogitatione tenent, moribus ſuis non exprimant. Fit igitur, ut ipſa virtutis perſpicua cognitio ſuo quodam modo obſit adhortatori. nam quò magis virtutis vim, naturamq; perſpicimus, & pulcherrimum illud animi ſimulachrũ imitando non aſſequimur, quo plus diſſonat vox ab actione, eo redditur auditor ad affectandum imbecillior. Nunquid hoc ipſum eſt quo de lamentatur

Ezech. 34. v. 18. Deus apud Ezechielem, hiſce verbis? *Cum puriſſimã aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris conculcabatis;* quid enim eſt aquæ partem, eamq; limpidiſſimam haurire, & reliquam pedibus inturbidare, ſicq; lutulentam populo bibendam dimittere, quàm puriſſimos doctrinæ latices ſugere, eoſdemq; inique agendo fæculentos reddere, atq; ita populo potandos propinare? At ſi tu quidem alienam duntaxat extollis, laudaſq; virtutẽ, eſto virtute illâ non planè polleas, attamen liber es à reprehenſione, propterea quod etiam turpibus fas ſit alienam laudare formã; neutiquam verò ſeſe tanquam elegantes oſtentare, cujus rei periculum ferè adeunt illi, qui virtutem in ſeipſa, non in alio commendant. Accedit alienæ

virtutis

virtutis Encomiastas plerumq; solere, non minus stimulari ad imitandum, quam Auditores ipsi accēdantur.

§. V.

Reditur ad insinuationem difficultatis, quam patitur domesticus seu familiaris adhortator.

EQuidem inter eos, qui de vitijs, virtutibusq; multa disseruere, deq; illorum quidem fuga, istarum verò consecutione plura commenti sunt; feliciores eos fuisse arbitror, qui papyrotenus ac calamo, disputationes suas posteritati commendaverunt, quàm qui de ijsdem concionando, hortandoq; verba fecerunt. Cum enim illorum suasio nulla dicentis labe respergeretur, quod nulla de ijs macula constaret, (quis enim est hominum, & nullo penitus vitio laborat?) at è contra eorum duntaxat præclare gesta conscripta forent, vim ad persuadum nō mediocrem habere potuit adhortatio. Cæterum, qui etiamnum superstites sunt, interq; nos degunt, sicuti pro humanâ conditione absq; nævo aliquo non sunt, ita quæ dicunt minus habere solent apud auditores suos ponderis. Quid quod vel inter dicendum intermicat sæpenumerò aliquid, quod animum auscultantium offendat, ut si jactantia in verbo, gloriæ cupiditas, aut indignatio quæpiam suboleat Auditori. Atq; quod longè miserrimum est, ipsa quandoq; hominis præsentia, corporisq; habitudo (ut non rarò accidit aliquid desiderari, quod

Digitized by Google

ri, quod natura negarit) dicenti offecit. Quod ſi ne quidem ab ipſo publico congreſſu, atq; concione ſejungi poteſt omne quod diſplicet, quid cum ijs adhortatoribus actum iri arbitremur, quibuſcum & auditoribus ſuis ſi non idem eſt domicilium, unum triclinium, & menſa? at ſaltem eſt quotidiana conſvetudo? Simile quiddam evenire mihi videtur, exhortatori domeſtico, quod accidere ſolere (ait Vegetius) in bello civili, in quo, (inquit is) difficilis, ac magis dubia victoria eſt, quia utrinq; comperta eſt natura locorum, copiæ adverſariorum agnitæ, & conſilia ſive rationes non ignotæ. Vt enim ſi commeatus inopia, aut peditatus, ſeu etiam equitum penuria hoſti explorata ſit, facilè res hæc exercitum in diſcrimen adducit ſic vel unica: de hortatore comperta labes omnem ſubindè dictionem peſſumdat, & inanem, ſterilemq; reddit. Aureum illud os D. inquam Chryſoſtomus, quem ſanè non minus ſanctum, quam fuiſſe eloquentem conſtat, attamen is cum rogatus eſſet cauſam cur acceſſitus ad convivia non ventitaret; è duabus alteram reddidit hanc: Cōcionatorem videlicet in hujuſcemodi congreſſibus facilè vileſcere, dicendiq; neruum, ac robur infringi. Quod ſi unus ad horam convictus præjudicio eſt, quo loco res ejus erit exhortatoris, qui actionum ſuarum omniū quotidianos habet, & aſſiduos ſpectatores ſuos, ipſoſmet Auditores? Orpheum profectò aliquem, aut Apollinem ipſum hunc eſſe oporteret, qui vitam cum oratione ſuâ tam ſcitè, concinneq; contexere poſſet, ut nullam prorſus efficeret cacophoniam. Nam ſi quo minus exhortatio cum a-

De re militari lib. 1.

In vita S. Chryſoſt.

cum actione convenit, non difficilè erit reperire, qui nullâ vel ætatis, aut humanæ imbecillitatis habitâ ratione (cujuſmodi plerumq; ſolent eſſe quiquè rerum magis inexperti) non ſolum cenſeat amicè monentem, ſed fructum nullum percipiat, quodquè eam virtutem, quam exhortator prædicat vivendo planè, & ad amuſſim non exæquet, deſipiat ideo totum ei, dimittaturque à faſtidiente, & nauſeabundo auditore. Atq; ex his ſatis puto manifeſtũ eſt, quàm non modò arduum perplexumq; negotium hoc ſit, alios præſertim domeſticos adhortandi; ſed etiam tale, quod per hominem ærumnis ſubditum, & ſuis colluctantem cum paſſionibus, perfici non poſſe videatur. Quod ſi tamen nonnulli aliqũi adeo fabrefacti reperiantur, ut nihil in eis emineat, nihil ſubſidet, quaſiquè ad circinum elaborati ſint, atq; libellam; attamen paucos admodùm reperiri tales neceſſe eſt, nemoq; ſe facilè eum eſſe opinabitur, qui nihil offendat, & labatur nuſquam. Quod ſi nemo facilè, me verò omnium minimè talem eſſe ſuſpicabor, qui nullum ad cauſam, & proſperum dictionis eventum præjudicium afferam. Quamobrem cum ad eum finem, quem Societas in ſodalitijs erigendis tuendiſq; conſequendum propoſuit optimi exempli penuriâ in ſeſe quiſq; intelligat, ſubducat ſemetipſũ à conſpectu, eamq; quæ tota pulchra eſt, & maculâ non eſt in eâ, imitandam auditoribus ſuis proponat, Inclytam Dei Genitricem MARIAM, quæ Divo Ambroſio teſte talis, tantaq; fuit, ut ejus unius vita omnium diſciplina ſit. *L. 2. de Virginib.*

 §. VII.

§. VII.

Quòd singulariter Iuventus ducatur exemplo.

QUod omnibus est commune, bono videlicet exemplo impelli ad opus, id Juventuti maxime accidit opportunum. Neq; hoc difficile fuerit demonstrare: Sicut enim senes Iudicio magis pollent, ac ratione, quàm Juvenes; ita ē contra plus vigent in Juvenibus sensus, majorique impetu feruntur ad ea, quæ per eos hauriunt, quàm soleant senes: quò fit, ut quantò sapientia in ijs minor est, & æstimandi vis inferior tantò minus etiam eorum actio ratione nitatur, atq; intelligentiâ; sed magis perceptâ imagine rerum, quas probari vidēt & magni fieri ab ijs, qui in æstimatione sunt; eoq; etiam feruntur incitatiùs, quò etiam præ senibus Juvenes magis stimulantur ad gloriam. Experiuntur hoc usu quotidiano, qui Juventutis curam gerunt; nam ut aliquid viderint quod placet, actutū imitari gestiunt. Et vero etiam sic artes discuntur à pueris: Nam quis Cytharædorum, vel etiam fabrorum, rudem artis edocuit adolescentiam, & non præivit exemplo? Differe ut vis, ratiocinare verbis, acutissimâq; oratione cōcludas de moderatione vocis, de articulis digitorum, quibus tenendum sit plectrum, de impingendo celte, aut ducendo penicillo; nisi ostendas quid factu opus sit, efficies nihil. O Patrimi, & matrimi Adolescentes, quàm vos fortunatos prædicem, si domus vestræ paternæ abundent magis exemplis

exemplis bonis familiarium, quàm aulæis, & vaſis corinthijs. Domi quidem noſtræ advigilatur nequa Juventutis corruptela ſubrepat, vel ex ipſis authoribus, qui prælegunt ur; quin ad accendendos ad pietatem animos utimur appoſitis narratiunculis, quibus teneriores animæ inſtruantur dum delectantur. Atq; hæc eſt (ſi ſapimus) potiſſimum cauſa, cur in Collegijs præter privatas ſcholarum ſcenas, pœne quotannis publicè in theatro vitæ Sanctorum, per diſciplinæ noſtræ alumnos exhibeantur; vt ſpectatâ vel fortitudine martyris, vel rerum omnium abdicatione, atq; humanæ gloriæ deſpicientiâ, animus populi incaleſcat, & divini amoris flammas concipiat, dicatq; ſibi aliquid ſimile ei, quo ſentiebat ſe increpari S. Aug: exhortatione irriſoriâ videlicet illa: *Tu non poteris quod iſti, & iſtæ?* Et verò idem S. Doctor audito exemplo fatetur ſe vehementer fuiſſe incitatum, ut exclamârit: quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? an quia præceſſerunt pudet ſequi? exemplum juſtar ſigilli eſt, & in cereis Iuvenũ animis perbelle recipitur; ſecus in eorum pectoribus, qui jam per ætatem obdurruêre. Non ignorarunt hoc fortiſſimi Græcorum Lacædemones: ut enim cives ſuos à temulētiâ arcerent, ob oculos puerorum ebrios Iliotas conſtituebant, ut viſâ & deſpectâ ea turpitudine, ab ea abhorrerent. Ergo Chariſſimi in Chriſto Patres, & fratres, quotquot Partheniorum præfecturam geritis; utamini quatenus lubet, & opportunum ducitis exemplis virtutum Marianarum, quibus ipſam Dei genitricem elucidare conatus ſum. Etenim ſi Juventus exemplis virtu-

L. 8. Confeſſ. cap. 11.

Cap. 8.

tum

tum maximè efformanda eſt, cujus potiùs utamur paradigmate, quam MARIÆ? quæ etiam prætterquam quod præclariſſimis in omni genere virtutum effulget exemplis, ipſa electa eſt in Patronam, cujus ſi clientelam prenſamus eadem placere velle debemus; quod aſſequi alia ratione, nec magis expeditè poſſumus quàm ſi virtutes ejus affectemur. En igitur vobis ideam quandam actionum ſanctiſſimarũ: quâ, ſi labores veſtri Scholaſtici, quibus plerũq; diſtinemini, levari aliquo modo poſſint, lætabor & ſubſidio hoc vobis præſtito, multoq; magis operis hujus fructu ſi fortaſſe quis, per me omnium poſtremum, derivari in ſodales parthenicos poſſit.

CAPUT II.

Quod jure optimo B. V. Maria in exemplum omnis virtutis proponatur.

§. 1. Beatæ Virginis exemplum allicere debet plurimum, propterea quod ipſa præcipuè diligatur.

§. 2. De cauſis ob quas ſingulariter B. Virgo eſt imitabilis.

§. 3. Non ſolum Virgo ſeipſam, ſed eandem Deus, & ſancti in exemplum proponunt.

Procemium.

Hieron. 38, l. 24. QUod Ieremias è cæno, in quod immerſus fuerat, funibus, & veteribus pannis eductus fuerit, D. Gregorius id factum ſic eſt interpretatus;

pretatus; ut eo videlicet oſtenſum nobis fuerit, quâ viâ, & arte attollere ſe homo poſſit è volutabro, vitæq; prioris ſorde, & ut ita dicam vitiorum fæculentiam abſtergere. Quid enim ſibi volunt, inquit, funes, quàm divina præcepta, ad quæ, ſi ut faciebat David, manus levare voluerimus, attollemur è limo, neq; tamen intereà manus exaſperabũtur, propterea quod veteribus pannis obvoluti ſint funes, hoc eſt mandata Dei exemplis Sanctorum leviora, ac faciliora ſint reddita. Atq; cum ſic res habeat, ut vim admirabilem habeant exempla Sanctorum ad alliciendum, faciendumq; quod nullatenus, aut ægerrimè fieri poſſe videbatur: in hoc tamen præripit palmam omnibus Beatiſſimæ, ac integerrimæ Virginis Mariæ exemplum. *Moralium. cap. 2.*

§. I.

Beatæ Virginis exemplum allicere debet plurimùm, propterea quòd ipſa præcipuè diligatur.

NOn ob id ſolùm præſtat Mariæ exemplum, quòd ejus vita ſupra cæteros omnes longè emineat; ſed quia illa præ omnibus amatur; & amor eſt imitatorius, nec imitatorius modò; ſed ea vis eſt amoris, ut non tantùm ſimilem amico reddere conetur amantem, ſed unum quid ex utroq; efficere. Quis verò ex omnibus eſt, qui ſe virginis Studioſum non eſſe profiteatur? quis neget ſe tantæ Matris amatorem? quod ſi ita eſt, ipſa inprimis

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

eminentiſſima Virgo, & Chriſti imitatrix egregia, ad id, quod munus eſt amoris, ideſt, ad imitandum invitat tranſite ad me omnes, *qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini*; proinde, atq; Chriſtus dixerat: *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, & rurſum: *Nunc ergo filij, audite me: beati, qui cuſtodiũt vias meas*: quod non eſt aliud ab eo, quod Chriſtus edixerat: *Beati qui audiũt verbũ Dei*. tãtũne? minimè: ſed etiam *qui cuſtodiunt illud*. Neq; diſcrepat ab illo Joannis octavo: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Enimvero interpoſito nomine filij; dum dicitur: *Nunc ergo filij audite me*: filios vocãdo ad imitandum provocat, ne aliàs ſint degeneres, atq; adeò non ſint filij; nomen namq; filij, amoris eſt nomẽ, & imago parentis debet eſſe filius, agente id amore, qui ſatagit imitari eum, quem amat. quòd enim imitatorius ſit amor, manifeſtius eſt, quàm in oratione meâ, ponere ſit opus. Quemadmodùm enim ea eſt odij natura, ut eorum quos odimus, mores aversemur, elaboremuſq; ijs quàm diſſimillimi apparere; ita vis ea amoris eſt, ut non interno animi ſenſu modò, ſed ipſâ vultus efformatione, verborum ſono, inceſſu, totiuſq; corporis geſtu in amatũ tranſformari ſe velit amans. Id quod non aliundè melius, quàm ex ipſius naturâ amoris petimus. Habet enim hoc omnis amans, ut eſſe cupiat id, quod amat. Quis hoc ignorat? Quid enim cæteroquin eſt cauſa, cur amantes amplectantur ſeſe, ſtringant, vniceq; ſibi amatum devinciant; quàm quod idem, vnumq; vellent eſſe cum re amatâ. Habet enim hoc propriiſſimè amor, ut ſit vinculum duorum inter ſe,

Eccleſ. 24.

Ioan. 14.

Proverb. 8.

Ioan. 8.

& nexus vnitatis ſtudioſus;& quando unà ex duabus coaleſcere natura non poſſet; fit per imitationem quod poteſt. Hinc eſt, quod Deus ipſe ad commendandam charitatem ſuam erga nos homines, hominem aſſumpſit, ut Deus eſſet homo, & homo Deus; effectũq; quod inter amicos volebat Ariſtophanes, quod amicus dicere poſſit de amico: *Alter ego.* Atqui non aliâ ratione poſſumus id aſſequi melius, quàm imitando; nam qui amat, placere vult ei, quem amat. Vivum igitur quoddam amati ſimulachrum effingat neceſſe eſt, quo ſuam in altero imaginē recognoſcat amatus, & redamare incipiat amatorem ſui. Tunc enim ſimilitudo nutrit amorem, facitq; ut vera demùm inter eos conſtet amicitiæ ratio. Atq; ego quidem exiſtimo viros Sãctos, eorum, quæ patrabant egregia ſane facinora plurima, non ideo feciſſe ſolùm, quòd eſſent cum virtute conjuncta; aut quo vel errata expiare, vel ampliorem ſibi in futurum gloriam accumulare eâ ratione poſſent; verùm adumbrandi in ſe, ſeq; exprimendi duntaxat gratiâ ejus, quem diligebãt, ſeruatoris. Eâ de cauſâ (ut innumera alia omittam) fertur S. Patris noſtri Ignatij Mater paritura cùm eſſet, deſcẽdiſſe è thalamo in ſtabulũ, ut ibi pareret Ignatium; eoq; facto ipſa quidem Dei Matrem, & Ignatius naſcens, Chriſtum natali loco, imitaretur. Et verò quid deinceps S. P. Ignatium ita delectavit, quam quòd in Paleſtinâ convitijs proſciſſus, & pugnis contuſus, proximus Chriſti imitator ſibi videretur. Vultis clariùs cognoſcere, quos incutiat amor ad imitandum ſtimulos? Petrum attendite, qui cum amore Magiſtri

Ad Rom. 10
S. Thom. 12. p. q. 28. a. 1.
Io. Euſebius Nierember. in Vita S. Ignatij Hiſpanicè.
Ribadenes:

Magiſtri æſtuaret, etiam ſuper aquas gradi expetijt; quia quem diligebat, gradi conſpexerat. Videte Mariam Magdalenam, quæ Chriſti amore Saucia, non ejus ſolùm actiones; ſed, ut perſpexit Origines, etiam verba referebat. Aſpicite Andream exultantem de paratâ ſibi Cruce, quoniam & amor ſuus occubuerat in Cruce. Reminiſcamur fratrem noſtrum B. Aloyſium, tametſi emorientem: nam cum ei pro pè animam agenti caput contegeretur, renuebat, & removebat, dicens: *Chriſtus non habuit caput tectum, cum moreretur*. O amor! quàm vehemens in omnem partem es; cæterùm ad imitandũ, acerrimus. ſic enim animulam illam Chriſti amor tenebat, ut ab allius imitatione ne poſtremo quidem vitæ tempore deſiſtere vellet. Non prius orationem ab hoc argumento alio convertam, quàm idipſum ex Beati Patris conſtitutionibus locuplete, & luculentiſſimo adſtruam teſtimonio: ſic igitur undecima conſtitutionum noſtrarum habetur: *Qui procedunt in ſpiritu, & ſerio Chriſtum ſequuntur, amant, & ardenter exoptant indui eadem veſte, & inſignibus Domini ſui* (quid ita Beatiſſime Pater) *pro ipſius*, inquit, *amore, ac reverentiâ; eo quod exoptant aſſimilari, & imitari aliquo modo creatorem, ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Adeò iſtud verum eſt, ut quod paulò ante ſolùm videtur mihi conijcere de animo, & ſenſu amantium, eos videlicet, ſolo imitandi ſtudio ad præclara quædam opera efficienda inſtigari. Idipſum apud eundem Sanctiſſimum virum Ignatium expreſſum reperio: amantes nimirum non tam ſtudio gloriæ cumulandæ, aut dandi pœnas pro delictis accendi ad opus virtutis,

In hom. de S. Magdalena.

Virgilius Ceparus in eius Vita.

In Conſtitut.

virtutis; ſed hoc quaſi nihil penſi habẽtes, id ſolùm animis Sanctorum obverſatum fuiſſe, ut Chriſti eſſent imitatores. Legamus in ejus exercitijs, quid ab eodem Sancto memoriæ proditum ſit: *Tertius, inquit, eſt modus humilitatis abſolutiſſima, ut etiamſi laus Dei par foret* (hoc eſt in conſectandis divitijs, & honoribus, atq; in contemptu, & paupertate) *ad majorem tamen imitationem Chriſti, eligam potius cum eo paupere, ſpreto, illuſo; pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti; quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationẽ: non ob alium videlicet finem, quàm ut Chriſto ſimillimus evadam:* Potuitne in hoc genere aliquid clarius, magiſq; expreſſum afferri ad id, quod volumus, aſſerendum? attamen ſi quiſpiam hunc Ignatianæ mentis, velut exceſſum, non aſſequitur (verè enim altiùs extulit amoris vim, quã ut puſilli quiq; attingere valeant) optimũ dicendi Magiſtrũ Quintilianum audiant, qui Rhetorum artem profitentibus ſuadet, ut omni ope enitantur, quò ab auditoribus ſuis plurimùm diligantur; ſic enim futurum autumat, ut Doctoris ſui elegantiam, & orationis nitorem faciliùs imitando aſſequantur. Cum igitur hoc perſpicuum ſit, eum, qui amat, non amare modò, ſed verò etiam imitari. Ajo præterea, hoc imitandi ſtudium ita amori eſſe proprium, ut ab eo avelli, ſejungiq; nullâ ratione poſſit; nullaq; ex re meliùs, aut certiùs de amore conijci, quàm ex imitatione actionum earundem, ac voluntatum. Cæterùm undecunq; amorem colligas, amoris ea ſignificatio dubia, obſcura, incerta; qualia eſſe poſſunt ea omnia, quæ ad Patroni cælitis alicujus cultum, ve-

Hebdomada 2. in med. de trib9 humilitatis gradibus.

Inſtit. l. 2. cap. 9.

 neratio-

nerationemq́; ſpectant, ut diei ſolemnitas, aulæa, celebritas, ſtudium, ardor, pompa, alacritas: quæ quidem etſi aliud vix indicare videntur, quàm benevolentiſſimam erga Sãctum animi pietatem; attamen, prudens dico, hæc omnia veri, ac genuini amoris, certa, germanaq́; indicia non eſſe. Sola quippè eſt imitatio, quæ verum amorem arguit, cæteraq́; levia, & dubia ſunt amoris argumenta. Vti namque ſinceræ ſigna poſſunt eſſe benevolẽtiæ; ſic impuræ, ac inquinatæ, hoc eſt, ejus, quæ non imitando in amatum tranſit; ſed concupiſcendo eum, quem amare videtur, ad ſe ſe, ejuſq́; bona, & gloriã reducit. Cujuſmodi amor fuit Iudæorum Chriſti tempore, quo adverſus Abraham, Iſaac, & Jacob affici videbantur. neq́; enim is amor ad fidem Patrũ imitandam erigebat; ſed ad inanem oſtentationem, & gloriam eos inflectebat. eo namq́; tenùs Patriarchas ſuos adamabant, quoad per ipſos in ſingularem populum ſecreti fuerant, atq́; iiſdem concredita erant teſtimonia Dei, quæ ipſorum gloriatio ad uſq́; S. Pauli tempora pervenit, ab eoq́; per Epiſtolam coarguta, cum Patrum ſuorum commemoratione adverſum Romanos inſoleſceret. Sed quid Paulum dico! Chriſtus ipſe Ioannis 8. *Si filij*, inquit, *Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*; & Jo. Baptiſta Matthæi 3. *Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* Amabant ergo Hebræi Patres illos ſuos, è quibus propagati fuerant, quin etiam ædificabãt ſepulchra prophetarum, & ornabant monumenta juſtorum. *Matth. 23.* amabant, inquam, & venerabantur; ſed quia impurus erat amor iſte, inq́; Seipſum reflectebatur,

Ad Rom.

Ioan. 8.

Matth. 25.

Digitized by Google

batur, ad imitandum nihil accendebat. Neque enim aliàs, ſi hæc genuina forent veri amoris ſymbola, adeò graviter iſta exhibentibus comminatus fuiſſet Chriſtus; cum ibidem dixit; *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum.* Quare ſtudium gloriæ Sanctorum, ſemperne ex amore eorum defæcatiſſimo, an proprio nonnunquam, privatoq; commodo fucatum, permiſtumq; ſit, difficillimum eſt dijudicatu. At is amor, qui virtutum Cœlicolæ alicujus amore captum, ad ejus allicit imitationem; qui hominem ad Sancti normam, vivendiq; conſvetudinem efformat; iſte eſt amor, qui nihil habet, quo non liquidiſſimus, puriſſimuſque videatur. Neque verò hujus, quod aſſero, aliquâ apud rerum expertos, magnâve opus eſt cõfirmatione: quot enim ſunt hodie, qui Chriſtũ populis annunciant, quique magnificè de Sanctis, ipſaq; inprimis Dei Matre Mariâ eloquuntur, eorumq; geſta, ac miracula deprædicant; quos tamen ſæpè conſtat, nec Chriſti, neque Sanctorum veros eſſe amatores. ut proindè meritiſſimo Chriſtus Dominus eam amoris voluerit eſſe teſſeram, hoc eſt; *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Reſtat igitur, ut quicunque ſe Virginis amatores profitentur eſſe, atq; clientes, Virginem imitentur; quoniam *probatio dilectionis, exhibitio eſt operis.*

Io. 14. v. 23.

S. Gregor. hom. 30. in Evangelia.

§. II.

De Causis, ob quas B. Virgo singulariter est Imitabilis.

TAmetsi Virginis encomia celebratissima sūt, vt vix attineat ea recensere, quò habeamus expedita, ac in promptu B. Virginis exempla, quæ imitemur. Illa enim est, *cujus vita inclita, cunctas illustrat Ecclesias*; potissimùm verò cum plurima à Sanctis Patribus conscripta, atq; etiam à recentioribus aucta sint; hoc præsertim tempore, quo non parùm viget Dei genitricis cultus: statui nihilominus virtutes ejus præcipuas, ac dotes, non veluti in cumulum congerere, unâque oratione omnia complecti: verùm cum ipsa sit *castrorum acies ordinata*; sic etiam de virtutibus ejus singillatim, distinctéq; scribere, ut quàm excellentes fuerint in eâ, quæ morales, theologicæq; dicuntur virtutes, planè, ac seorsim cognoscamus, & veluti areolas horti istius, interstinguamus; quarum alia quidem patientiæ myrrhâ, alia Virginitatis lilio, alia charitatis cassiâ, & humilitatis hyssopo consita sit alia. Vt cum aliquam sibi quispiam deesse intellexerit, vnde mutuari eam debeat, non ignoret. Et facturus est hoc eò quisq; libentiùs, quò magis ipsa cuiq; placet Maria. Vti enim fit aliquando, ut ad sumendum necessarium cibum, aut potum, ipsâ pulchritudine vasorum, in quibus eis porrigitur, prolectentur ægri; ita, etsi virtus necessariò nobis colenda ardua sit, ac difficilis; magna tamen amaræ licet potioni gratia

gratia accedet è Virgine amabiliſſimâ, Deiq; Matre Mariâ. Refert Aulus Gellius, in gravi Lacedæmonũ cõſultatione, cũ dicta eſſet ſentẽtia ab homine quidem notæ turpitudinis ac flagitioſo; verùm nihilominus tale ejus eſſet conſilium, ut eo nullum præſentius afferri rebus publicis poſſe videretur; decreviſſe tamen ſenatum, id conſilium non priùs ſequi, quàm inſtauratâ conſultatione, ab alio ſenatore eadem ipſa ſententia iteratò diceretur. quo reſpexiſſe videtur etiam Dominus, cum lucæ 4. non ſinebat Dæmones dicere: *Tu es Chriſtus filius Dei*: & Paulus, cum actorum 16. prohibuit Diabolo dicere: *Iſti homines, ſervi Dei excelſi ſunt qui annunciant vobis viam ſalutis*: & rectè, quia rectos decet laudatio. Quod ſi hominis improbi conſultum, etſi opportunum; attamen quod ejus eſſet; non priùs menti ſedit, quàm decerneretur ab eo, cujus vita exoſa non eſſet; quàm provocabit in amorem ſui virtus, quæ in nullo reperiri poteſt, qui bonus nõ ſit? ipſa quippe eſt, quâ boni ſumus, potiſſimùm verò, ſi conſpiciatur in ea, quam circũdant, roſæ, & lilia convallium; in eâ, inquam, quæ delicium humani generis eſt, quâque cum à Deo receſſerimus, nullâ dignior, excellentiorq; excogitari poteſt. Atque huc appoſitè cadit illud, quod de hac ipſa Virgine, ait Ambroſius: *Si auctor non diſplicet* (inquit) *opus probemus*: quod tantundem eſt, ac dicere, ſi qui Mariæ ſtudioſi haberi velimus, Mariam imitemur. hæc enim vis eſt amoris, ut amantes, ſi non inveniat, efficiat quàm ſimillimos. Et ſanè, divinam licet erga genus humanum admirari, laudareque benevolen-

L. 18. c. 3.

L. 2. de Vir.

Ariſt. 3. eth.

tiam, quâ effectum divinitus eſt, ut per Mariæ exempla blandiſſimè pelliceremur. Habent fortaſſe Chriſti exempla divinum aliquid, ac verendum; eo ipſo quòd hominis Dei opera ſunt. habent geſta ſanctorum aliquid minus, quàm Mariæ ad virtutem incitamenti; quod & ipſi ſuis quandoq; nævis non caruerint. Quare ut Dei eſſet in nos officioſiſſima charitas, eam nobis ſtatuit in exemplum, in qua neque majeſtas Divina quemquã absterreret, nec humana conditio quicquam derogaret. Anſelmus quidem certè, libro de excellentia Virginis, *Maria inquit, mitiora quodammodo, & humaniora nobis præbuit exempla, quàm filius; eò quod opera Christi ſuâ magnitudine veluti terrori ſunt.* Neq; verò illud quod à Michæa c. 6. promulgatum his verbis eſt: *Eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſervientium liberavi te: & miſi ante faciem tuam Moyſem, & Arraon, & Mariam*; abſq; rei iſtius, quam dicimus, ſignificatione, aut inſinuatione, prædictum eſt. videlicet ad educendum ab hoc exilio hominẽ in Patriam, ducibus illis duobus; ſivè Chriſto ipſi, qui Regiâ & Sacerdotali dignitate fulget; accedere ante ambulatricem Virginem Mariam, cujus veſtigia ſublegamus, & odore virtutum ejus trahamur ad currendum; donec metam nobis præſtitutam attingamus. quare hæc, quæ à me dicuntur, nolim ita accipi, quaſi ſic unam beatam Virginem Mariam proponamus in exemplum; ut à conſideratione, ſtudioq; imitandi Sanctos, ipſumvè Chriſtum JEſum, ſubmoveamus; abſit hoc ab animo noſtro. neq; enim hæc nobis mẽs eſt: quin imò magis hoc volumus, ad Chriſti ſcilicet, Sanctorumque imitatio-

Cap. 6.

Michæ, c. 6.

Imitatores Mariæ ſunt & 11. & SS. imitatores.

Digitized by Google

imitationem, ſatis eſſe vnius Virginis, ob oculos imaginem, ac ſimulachrũ ſtatuere, quod enim mores Chriſti è Virgine expreſſi ſint, dubitare nefas eſſe puto, niſi Chriſtum à Matre ſua degenerem fuiſſe dicamus: quod ſi hoc ſalvâ Chriſti reverentiâ dici non debet; matrizavit ergo filius, ſive moribus matris imbutus fuit Chriſtus. hoc adeò veriſimile eſt, ut S. Auguſtinus, ex eo quod dictum fuerat: *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum,* conjecerit ipſum hominem Chriſtum, ijs reſplenduiſſe virtutibus, ut earũ ductu perveniri potuerit ad Patris æterni, Cognitionem; ſive quod is eſſet veri Dei filius, ſic igitur ex filio licet conjectare de Matre; qualis ergo Mater, talis & filius, & imitari nemo poteſt Matrem quin ſit idem filij imitator. Atqui verò etiam fieri nequaquam poteſt, ut Mariæ virtutum æmulator, Sanctorum virtutes non affectetur, quod enim magis vivum, earum omnium virtutum, quæ in Sanctis omnibus reſplenduerũt, excogitari poteſt exemplar; quam MARIA? quæ Regina Sanctorũ omnium appellatur, propterea quòd in ea totius, per varios Sanctos, diſperſæ Sanctitatis collatio integra conſiſtat. Hæc eſt, quæ etiamnum adhuc trimula, quindecim templi gradus conſcendit, ut præluderet ad indicandum ſe illam eſſe, quæ ſupra novem choros Angelorum, & ſex hominum claſſes, hoc eſt Patriarcharum Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum evehenda eſſet. Hæc *eſt virgula fumi, ex univerſis aromatis, pulveris pigmentarij,* compoſita: hæc eſt flos generis humani, in qua ſimul eſt coacervatum, quidquid ſparſim in alijs, eſt

Ioan. 14.

Cant. 3. v. 6.

Digitized by Google

lijs, eſt difuſum: qui ergo fieri poteſt, ut qui ſibi Mariam ſtatuit imitandam; non velit idem, quorumcunq; Sanctorum fieri aſſecla, & virtutis æmulus? Enim verò ſi Tobias, & Job patientes, ſi Abraham fidelis, ſi David mitis, ſi Joſeph caſtus, B. Virgo, (ut cum S. Thoma loquar,) in exemplum omnium virtutum, propoſita fuit; nihil enim eſt virtutis, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris, & gratiæ, quod ex eâ non reſplendeat, quæ ita ſummatim dicta. S. Bonaventura magis enucleavit, & ita expoſuit: *In templo mentis Virgineæ, fuit menſa fidei perfectiſſimæ duodecim articulorum, quos totidem panes deſignabant; fuit & altare aureum ſummæ dilectionis, cum thuribulo, ex quo fumus aromatum id eſt ferventiſſimarum precum, & contemplationum aſcendebat in cælum; adfuit candelabrum, id eſt gratiæ ſeptem donorũ Spiritus Sancti, nec defuere virtutes Cardinales, quas quadruplicis coloris velum inſinuabat.* Nõ exaggerabãt hæc Sanctiſſimi Patres, more Rhetorum; ſed etiam præ illis habemus divinum teſtimonium, quod nempe ſit plena gratiâ, & ſupervenerit in eam Spiritus Sanctus. Cum igitur Maria Virgo, & vivum Chriſti exiſtat exemplum, ipſaq; omnium Sanctorum virtutes in cumulum, atq; adeò in ſinum ſuum congeſſerit, habemus illam, tanquam optimam idæam, & vidæ ducem, ne unquam exerrare poſſimus.

S. Thomas opus 8.

Bonavent.

§. III.

§. III.

Non ſolùm Virgo ſeipſam, ſed eandem Deus, & Sancti in exemplum proponunt.

ATqui verò etiam Maria Virgo, de ſummis illis, excelſiſq; virtutibꝰ, hoc eſt, è faſtigio humilitatis, patientiæ, obedientiæ, ſapientiæ clamitat, & prudentia dat vocem ſuam: indidem clariſſima lucerna reſplendet, & virtutum inditarũ magnificis exemplis ad imitationem nos provocat. Audeo dicere, ideirco Deũ adeò ſtudioſè elaboraſſe manu ſuâ hoc opus, ut haberent homines reliqui, unde ſibi vivendi formam, & exemplum deſcriberent. Et plus hoc aliqui dicunt, primum videlicet B. Virginis imitatorem fuiſſe Deum ipſum, ut jam non aliter Virginis poſſimus eſſe imitatores, quàm ſi Deum imitemur. Enim verò quod ſapientiæ 8. legimus, & â Sapientia increatâ transfert Eccleſia ad Mariam; iſtud nempe: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*: horum inquam verborum, eam videri volunt explicationem. Beatam ſcilicet Virginem fuiſſe primam poſt Chriſtum, idæam, quam mens divina in hoc mundo Architectando, aſſiduè contemplabatur, quod enim in ipſam omnes perfectiones contuliſſet, ideò ab illa inter creaturarum molimina, ſive initio viarum ſuarum, oculos non deflectebat, & quaſi ab eâ decerpebat, quod ſingulis communicaret creaturis; ita tamen, ut non omnes Mariæ perfectiones reliquis creaturis diſpertiretur.

Deus. ſic enim multas haberemus Marias, ſed ſolum partiebatur ſingulis, quod cumulatim erat in Maria. Fuit itaq; Maria judicio horum, prototypon operũ reliquorum, ſivè viarum, quibus Deus, veluti extra ſe egrediebatur ad nos; habentq; dicere; ita ſe Deũ habuiſſe in frabricando mundo, quò pictor in depingendâ tabellâ è vivo aliquo exemplari. etſi enim imitetur colorem, figuram; vitam tamen, & quæ meliora ſunt, imagini non communicat: ſic Deus cum Mundum conderet, nunquam quidem oculum â Maria evariaſſe; eam tamen ad vivum in nullo hominum expreſſiſſe, quamvis aliqua veluti ex illa mutuatus ſit in effingendis Martyribus, Confeſſoribus, cæteriſq; Virginibus. Quod ſi igitur ita eſſet (neque enim exemplorũ querenda eſt veritas) ut ſummus Artifex, ac Opifex Deus in mundi fabrica reſpexerit ad Mariam. (Etenim *poſſedit me*, inquit, *initio viarum ſuarum, & cum eò eram cuncta componens*:) decet profectò nos, in actionibus noſtris idem exemplum intueri, & vnam Dei, Deiq; Genitricis imitatores fieri. Neq; ad hoc hortor, ut ſic virginem moribus exprimere conemur, quaſi alteram quandam efficere ex nobis Mariam valeamus. nam fieri hoc à nobis nullo modo poteſt. Et quamvis hoc potuiſſet Deus; noluit tamen, quod eam eſſe ſingularem, vereq; *benedictam inter mulieres velit*: neq; ſolum quoad prærogativam virginitatis cum Maternitate; ſed quoad omnes prorſus virtutes ſingularis, & inſuparabilis Virgo Dei Mater Maria. Non igitur hoc volo, ut Mariam exæquare imitando conemur; ſed, quoad fieri poteſt, Mariæ genio, & mo-

ribus

ribus congruere contendamus. Si enim Chriſtus dicere potuit: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*, cum tamen ad Chriſti manſvetudinem pervenire nemo poſſit, ejuſq; perfectionem: quid ni Virgo hoc jure ſuo à nobis expoſcat, dicatq; *Nunc ergo filij, audite me, beati, qui cuſtodiunt vias meas*, hoc eſt, iiſdem itineribus, quibus ego, proficiſcuntur, ſeu meis veſtigijs inſiſtunt. Neq; verò eſt, quod aliqui arbitrentur ſe vias ejus cuſtodire, ſivè Beatæ Virginis imitatores eſſe, propterea quod precatiunculas quaſdam, veluti penſum quotidianum, eidem Dei Genitrici perſolvant. non hoc ſolùm, ait Maria, ut ſibi preces, & deſideria exponantur; ſed ad imitationem virtutum ſuarum invitat; cùm dicit: *Nunc ergo filij audite me: Beati qui cuſtodiunt vias meas*: quod ipſum adeo ſeverè à nobis exigit, inculcatq; ut addat. *Et nolite abijcere eam*; vel ut alij vertunt: *Ne feriamini*; ob id ſcilicet, quòd adeò luculentum virtutis exemplũ imitari prætermittatis: nec vana profectò, aut affectata interpretatio eſt, cum deinceps apertè fateatur de ſe Sapientia; *qui me*, inquit, *oderunt, diligunt mortem*: ſicuti enim imitari, ſignum amoris eſt; ita ab imitatione reſilire, odij indicium: *qui me* igitur inquit, *oderunt, diligunt mortem, & qui in me peccaverit, lædet animam ſuam*. Ergo cum Dei Mater Maria, nobis propoſita ſit à Deo, ut in hac domo, quæ eſt Eccleſia Dei, inſtar lampadis fulgentiſſimæ, & ſingulare quoddam exemplum exiſtat; & ipſamet materna quâdam pietate ad imitationem invitet, & dicat. *Nunc ergo filij audite me: Beati qui cuſtodiunt vias meas*, cumq; nihil in ea deſiderari poſſit: *in me enim*, ait, i-

Digitized by Google

pſa, *gratia omnis viæ, & veritatis; in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Cum etiam inſtet, & dicat, ne cæteroquin *feriamini.* Cùm, inquam, tam dulcis, amababilisq; ſit; æquum profectò eſt, ut ad ipſius ductum, ipſâ præſertim invitâte, nos totos applicemus; cùm ad eandem prætérea imitandam, viri Sanctiſſimi, in quibus Sanctus Ambroſius nos adhortentur: cujus Lib. de Vir. ea ſunt, ſanè appoſitiſſima verba. *Sit vobis*, inquit, *tanquam in imagine deſcripta, virginitas, vitaq; B. Mariæ. hinc ſumatis licet exempla vivendi, de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis: in ea, tanquam in exemplari, magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. primus diſcendi ardor, nobitas eſt Magiſtri: quid nobilius Chriſti Matre, quid ſplendidius eâ, quam ſplendor elegit? quid caſtius eâ, quæ corpus, ſine corporis contagione generavit?*

Hæc porrò illa eſt, de qua Canticorum 4. ſcriptum eſt. *Collum tuum ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, ſivè, ut alij malunt legere, *quæ ædificata eſt ad diſciplinas.* Atq; ſicut ea turris Davidica, cui Dei Genitrix confertur, ita ſcite, eleganterque conſtructa fuerat, ut inde (fama eſt) artifices quoq; transferrent, ſibiq; deſcriberent, quod alibi elaboratum volebant; ſic ab hâc Virgine ſumẽdum eſt, quidquid in nobis virtutis ſcalpello induſtriæ molimur effingere: ſive profundiſſima humilitatis fundamenta, ſive parietes attollere ex albo marmore Virginitatis; ſivè propugnacula patientiæ, gratiſſimaq; viſu emblemata modeſtiæ, benignitatis, ſilentij, ſobrietatis, atq; propenſiſſimæ in omnes benevolentiæ,

nevolentiæ, atria patentiſſima. Verum unus ſit nobis inſtar omnium Iſaias Propheta, cum dixit: *ſume tibi librum grandem*: ſive quod Deus ipſe per Iſaiam virginem hâc in exemplum propoſuit: nam ſancto Epiphanio teſte, grandis ille liber eâ voce expreſſus eſt; ut etiam ſpeculum per eam ſignificetur, eſtq; Beatiſſima Virgo omnis Studioſæ actionis verè ſpeculum, atq; exemplum. Atq; tum demum, (ſi nacta fuerit Beata Virgo imitatores) delitioſum ei, jucundumq; futurum eſt, eſſe cum filijs hominum; hoc eſt, habere eos in ſua clientela, fouere, amplecti, protegere: & cum iſtud quidem omni tempore, ſed tum maxime in articulo omnium difficillimo; hoc eſt, in poſtrema humanæ vitæ periodo. Cæterùm quæ ſequenti, & ultimo hujus libri capite, dicturi ſumus ejuſmodi ſanè ſunt, ut ad imitandam, omniq; cultu, ac veneratione, proſequendam ſanctam Dei Genitricem maximopere accendant, inflamentq.

CAPVT III.

De promuntur argumenta, è quibus conſtat B. Virginem ſalutis clientum ſuorum perquam ſtudioſam eſſe.

§. 1. Quòd cultus erga Dei Genitricem ſit ſalutis obtinendæ ſignũ, eruitur ratiocinio ex dictis Patrum, & aperto eorum teſtimonio.

§. 2. Oſtenditur id ipſum ex ijs fœminis, quæ in veteri teſtamento geſſerunt imaginem Mariæ Virginis.

§. 3. Teſtimonijs ſacræ ſcripturæ apertioribus id ipſum confirmatur.

§. 4. Oſtenditur id ipſum ex eo, quòd Beata Virgo ſingulariter in hora mortis aſſiſtat.

Prooemium.

CUm veſtrum nemo ſit, ſodales, qui ſingulari ſtudio pietatis, ac obſervantiæ in Beatam, Deiq; Genitricem Mariam non feratur, cum ipſo ſodalitij inſtituto, quod jam pridem conſectamini, tum verò maximè ipſius Sanctiſſimæ Matris benevolentiâ, ac benignitate, quâ nos ab adoleſcentiâ noſtra prævenit, & traxit ſuaviter, ut Proverb. 31. daremus nomina noſtra ſodalitijs, quæ ſacro ipſius, amabiliſſimoq; nomine fuerant inſignita, ut videri poſſimus eſſe illi, quibus de nocte ſurgens mulier illa fortis, ut pote domeſticis ſuis, virtutum diſtribuit penſum,

Digitized by Google

penſum; ſive quos ſummo mane ad ſe ſe allexerit Maria: cumq; cupiamus eſſe illi, qui mane vigilaverimus ad illam, & invenerimus; neminem etiam futurum puto, qui de eadem inclytâ Dei Matre propenſo ſtudio, & animo non velit aliquid audire. Et quidem illud primo loco dicam, quod omnibus gratiſſimum, longeq; acceptiſſimum eſſe oportet: omnes quidem ſtellæ in diademate Virginis lucent, rutilantq; ſed neſcio quî fiat, ut hæc violentiùs ad ſe oculos rapiat, & benigniſſimo aſpectu animos de ſalute obtinēdâ, portuq; ad quem, ut ſperamus, provehemur, aliquando obtinendo demulceat incertos; ſpemq; attingendæ metæ, propter quam in ſtudio poſiti ſumus, optimam, & certam faciat. Stella hæc clientela Virginis eſt, quâ fit, ut illi, qui cultui Matris Dei ſingulariter dediti ſunt & quendam pietatis ſenſum, cum fiduciâ adverſus eandem ſentiunt; habeāt ſuæ prælectionis ad gloriam, ſivè prædeſtinationis teſſeram; nec leve profectò argumentum. Et hoc quanti faciendum ſit, quis non videat? Enimverò, ſi quiſpiam hujus vitæ, quam degimus, retinendæ cupidus ſic morbo conflictetur, ut in diſcrimine eſſe videatur; non ſanè vulgariter is æſtimarit ea indicia, undecunq; tandem petita ſint (puta ab arteria, â colore, ab aëris temperie) quæ vitæ lōgius ducendæ, ſalutiſq; recuperandæ videri poſſint eſſe prognoſtica. Et credo ſanè hunc gratias habiturum eſſe ei, qui plura bonæ habitudinis, viriumq; recipiendarū adferret argumēta; propterea quod mortis quidem horrore perculſus jaceat, & amore vitæ diutius prorogandæ penè incredibili teneatur.

At quid

At quid quæſo nos, nos, quorum cauſa adhuc agitur, & ſumma totius negotij pendet, hoc eſt, de fortunis, de fama, de capite, de ipſo, inquam, creationis noſtræ fine; ob quem in hanc lucem progeniti ſumus; quid nos exhorreſcere magis debemus, quam mortem illam ſecundam, quæ eſt poſtrema totius hominis ruina, & exitium ſempiternum; repulſorum à facie Domini, ad graviſſima atrociſſimaq; ſupplica? aut verò etiam quid ardentius decet exoptare, quàm vitam illam, quæ agitur in cælo, in ſumma felicitate, ex conſortio Dei Angelorũ, Sanctorumq; & bonorũ omnium affluētia? Quod cum ita ſit, nihil etiam omnino vereor, quin jucundiſſimum nobis futurum ſit intelligere, hunc ipſum Virginis cultum eſſe prædeſtinationis noſtræ ad gloriam optimum, valdeq; ſecurum indicium; atq; etiam hujus rei conſiderationem, additurum eſſe omnibus nobis ſtimulum; ut quam proximè Beatiſſimam Dei Matrem imitemur.

§. I.

Quod cultus erga Dei Genitricem ſit ſalutis obtinendæ ſignum, eruitur ratiocinio ex dictis Patrum, & aperto eorundem teſtimonio.

ERgo dum authoritate SS. Patrũ aliquorũ (infinitum enim eſſet omnes velle recenſere) eorundemq; teſtimonio id ego oſtendo; nihil attinet hortari vos ad aures dictioni meæ præbendas. ſcio

das ſcio enim vos ſponte veſtrâ, nemineq; hortatore ad hæc audienda, intelligendaq; avidè convolaturos eſſe. Et quidem ſi ratiocinio uti velimus ad eruendum hoc, quod quærimus è voluminibus, & dictis Patrum; nullo præſtari id negotio poteſt. Cùm enim, ut longè certiſſimum eſt, & Sanctorum virorum aſſertione teſtatiſſimum: Beata Virgo ſit verè miſericordiæ Mater, feratq; viſcera ad benefaciendum omnibus, qui ſuam implorant opem, perquàm expanſa, & explicata ad ſingulos; conjectura quoq; eſt manifeſta, & optimum conſequendæ ſalutis augurium in eo, qui frequenti prece, & ſedulo cultu Dei Matrem veneratur. Alterum profectò horum, præterquam quòd de eo dubitat nemo, & Sanctorū Patrum authoritate firmatum eſt. Alterum autem eſt illi ita conſequens, ut ſponte ſua, nulloq; contradicente ex eo conſequatur. Ergo ut è multis Patrum teſtimonijs pauca complectar. prodeat in medium primus Andreas Cretenſis, qui Virginem in oratione de aſſumptione, appellat *commune mundi propitiatorium*; & quamvis in exodo propitiatorij magnitudo, quod ſuper Arcam inter duo Cherubin collocabatur, ſic deſcribatur, ut longitudo ejus duorū cubitorum,, & dimidij, & latitudo unius, & ſemiſſis; Sanctus tamen Bernardus ſerm: 4. de eadem aſſumptione, hujus myſtici propitiatorij menſuram neſcit definire: *quis enim*, inquit, *miſericordiæ tuæ, ô Virgo benedicta longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inveſtigare?* Divus verò Bonaventura, de ſpeculo Virginis c. 8. *Magna fuit erga miſeros*, inquit, *miſericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo;*

Andreas Cret. orat. de dormitio. c. 25. v. 17.

S. Bernard.

S. Bonavent.

ſed multò major eſt miſericordia ejus regnantis in cælo, ut quod de Moabitide illa Ruth dictum eſt a Booz; pronunciare de Maria poſſimus, id eſt; (priorem miſericordiam, Ruth c. 3. *poſteriore ſuperaſti* ;) Quod ipſum affirmat Petrus Damiani ſermone primò de Nativitate Virginis. *Numquid*, ait, *quia ita Deificata, noſtra humanitatis oblita es? nequaquam Domina, non convenit tanta miſericordiæ, tantam miſeriam oblivisci.* Nec attinet in recenſendis ejuſmodi Patrum teſtimonijs de pietate virginis erga nos diutius immorari, cùm habeamus totius Eccleſiæ teſtimoniũ: Sic enim orat in pervigilio Virginis Aſſumptæ. *Idcirco Virginem de præſenti ſeculo tranſtuliſti, Domine, ut pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat.* Serm. ſignũ magnũ c. 7. Quid plura? ut enim ad rem, & ſcopum noſtrum magis accedamus, teſtimonio S. 4. Regũ. 4. Bernardi. *Maria eſt illa Mulier, cujus omnia vaſa divinitus facta ſunt plena oleo, eſt illa vidua, cujus lachrymis redijt ad vitam unicus Matris ſuæ.* Lu. 7. v. 12. Cùm ergo, ut quidem ex his colligimus, adeò ad benefaciendum, miſerandumq; prompta ſit Virgo Maria; dubium non poteſt eſſe ullum, quin eos, qui pro ſalute ſua ipſam deprecantur, & ſedulò colunt, ipſa exaudiat, atq; adeo Virginis cultũ eſſe bonum omen prælectionis ad gloriam. Cæterùm verò hæc ſic aſſertioni noſtræ ſuffragantur; ut non apertè & abſq; deductione unius ex alio colligatur. Attamen ſi quis Patribus credit, vacillare in accommodando fidem ei, quod dicimus, nemo poteſt. hoc eſt, eos, qui Beatæ Virginis auxilium implorant, ſeduliq; ipſius cultores ſunt, magnum adeundæ olim hæreditatis æternæ habere præſagium. Atq; in hoc tota ratiocinatio ſita eſt:

Digitized by Google

ſita eſt: Nam ſi quempiam liberaliſſimum eſſe non dubitem, beneq; animatum, atq; propenſum erga me ſentiam, erogaturum etiam mihi, quidquid ab eo petiero, maximè confido: Ita cùm Sanctorum Patrum teſtimonio diſcam, Virginem ad omnes benevolentiſſimā eſſe, nihil eſt, quod ambigam clientes ſuos, atq; virtutum aſſeclas, ejus, quod ab eâ petunt, compotes aliquando futuros; hoc eſt, æternæ ſalutis, & gloriæ. quod ſi quis cujuſpiam è Patribus ſuper hoc ſententiam, non ratiocinando deductam; ſed manifeſtè aſſertam, requirat; audiat hâc ſuper re pulcherrimum, apertumq; S. Anſelmi c. 4. de excellentia Virginis, pronunciatum; & tale eſt: *Cui datum eſt, dulci ſtudio, ſæpè poſſe cogitare de Beata Virgine, magnum is promerendæ ſalutis habet indicium*: quo quid apertius dici poteſt nonne hoc ipſum pronunciatō, quod oſtendendum accipimus? Ex qua Patrum doctrinâ non ſolùm ſummatim, & veluti in ſemente ſparſâ; ſed propalàm enumeratâ factum eſt, ut ea paſſim reciperetur ſententia. Quare Ludovicus noſter de Ponte, vir planè pius, dum varia prædeſtinationis ſigna affert, hoc ſanè non intermittit, quod eſt, ſtudioſè affici erga Dei Genitricis cultum, atq; venerationem. Et verò ſi quos Tabellionum cancellos circumſtare aſſiduè videamus; noñe id, quod eſt, facilè conijcimus, eos videlicet à Tabellione nominatim in album referendos? atqui de cultoribus Beatæ Virginis, ejuſq; aras, & feſta celebrātibus par debet eſſe judicium; propterea quòd ipſa à Georgio veneto, redemptionis noſtræ primiceria nuncupetur: ſicut enim Primicerius (quippe Tabellionum

Circa finem capitis 4.

Ludovicus de ponte p. 5. m. 38.

In Harm. cant. 2. t. 3.

Regis Princeps) adlectos milites conſcribebat; ita etiam Beata Virgo, cùm reſcribat in libro vitæ, quotquot ad eam ſpectant, primiceria dicta eſt; quare Sanctus Bonaventura in Pſalt. mariano & ipſe unus ex circumſtantibus pulpita ſic affatur Virginem: *Deduc me in portum ſalutis, ac per te inter juſtos ſcribatur nomen meum.* Demum, ut concludam hanc partem, cum deinceps in hoc genere allaturus ſim multò illuſtriora; cui ambiguum ſit, eripiendum facilè reum illum eſſe à morte, qui Matrem Regis habeat ſibi per multa obſequia, & opera obſtrictam?

§. II.

Oſtēditur id ipſum ex ijs fæminis, quæ in veteri teſtamento geſſerunt imaginem Mariæ Virginis.

Ioan. Epiſt. 1. cap. 5.

POſſum hic aliquid dicere ſimile ei, quod ait Sanctus Joannes epiſtola prima c. 5. *ſi teſtimonium*, inquit, *hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt, quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt; quoniam teſtificatus eſt de Matre ſua.* Accedamus ad id ergo, quod volumus è ſacris literis oſtendendum: Beatæ nempè Virginis amorem, quo eam Chriſtiani quiq; proſequuntur, quove diligitur, & piè colitur, divinæ quoq; dilectioni atteſtari, quâ dilexit nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati; atq; adeò tandem felices in cælo, nimiumq; beati. Si enim verum eſt (de quo dubitat

dubitat nemo) Sanctiſſimam Dei Genitricem in vita, geſtis, moribuſq; quarundam è lege veteri fæminarum, quaſi penicillo adumbratam fuiſſe; prout etiam conſtat Chriſtum ipſum ejuſdem filium, quorundam virorum veluti umbris præmonſtratum: facilè quidem oſtendemus Deiparæ cultũ, quo eam proſequimur, magnam felicitatis capiendæ ſignificationem continere. quas enim illuſtriores Beatæ Virginis imaginem prætuliſſe fæminas dicemus? Nonnè in reliquis Eſtherem, Juditham, atq; Berſabee coñumerabimus? & ad has cognominem ejus, hoc eſt, Moyſis, & Aaronis ſororem Mariam? hoc certè aperte indicat Eccleſia, quæ in pervigilio ejuſdem Virginis Aſſumptæ iiſdem penè verbis alloquitur Deiparam, quibus Mardochæus Eſtherem. Eccleſia ait, *quam idcirco de præſenti ſæculo tranſtuliſti Domine, ut apud te pro nobis fiducialitr oret.* Et Mardochæus. *Quis novit, utrum idcirco ad Regnum veneris, ut in tali tempore parareris?* & quoniam Virgo Maria in fæminis veteris teſtamenti præmonſtrata eſt, dicitur *Aurora conſurgens;* quaſi jam tum quoſdã adventus ſui radios præmiſerit. Cùm igitur aliæ aliarum Virginis virtutum prænunciæ fuerint, hæc pietatis maternæ, hoc eſt, Marianæ, adumbrata quædam fuêre ſimulachra. Et ſicut exemplar nunquam habet totum id, quod habet illud, ex quo deſcriptum, delineatumq; eſt; cùm etiam quandoq; vitã, & motu careat, quæ tamen in archetypo reperiuntur; ita mulieres illæ, quæ Beatam Virginem in ſeipſis expreſſerunt, ut aliquo modo ſimiles ei ſunt, multùm tamen ab eà diſcedunt. Neq; enim

Cantic. 6.

Eſth. 7.

 exiſti-

exiſtimãdum eſt propterea, quòd illæ præceſſerunt, idcircò ex illis delineatam, deſcriptamq; fuiſſe Mariam; imò verò ipſæ magis è Virginis prototypo fuere expreſſæ; nec tam dicenda eſt Maria ſimilis illis, quàm illæ ſimiles Mariæ. quo pacto Sanctus Paulus
Cap. 7. ad Hebræos ſcribens, ait, *Melchiſedechū ſimilem fuiſſe filio hominis*, ideſt Chriſto: & ita oportuit dici, quando non homo imagini, ſed imago homini ſimilis eſſe dicitur; quod ſi tamen tãta fuit in exemplari pietatis ſignificatio, atq; ad benefaciendum ſic prolixa promptitudo, nec non in ijs, apud quos ipſæ pro Clientibus ſuis interveniebant, tantum extitit voluntatis ſtudium ad indulgendum præcibus earum; conijcere facilè poſſumus, quantum Mariæ preces ad Deum, & filium valeant pro colentibus ſuis, ipſorumq; clientum apud Mariam. Prima igitur ſit Eſther, quæ Virginis Matris perſonam manifeſtè ſuſtinuit; nam quod de Eſthere, deq; Marito ejus Aſvero ſcriptum legimus, magis in Mariam cadit, ejuſq; Sponſum Spiritum Sanctum.
Cap. 2. *Adamavit eam Rex*, (inquit ſacer codex) *plus quàm omnes mulieres, habuitq; gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes, & poſuit diadema Regni ſui in capite ejus, fecitq; eam regnare loco Vaſthi.* Conferamus enim hæc elogia cum illis: *Benedicta tu inter mulieres. Beata, quæ credidiſti. Fecit mihi magna qui potens eſt.* Sed ad rem propius accedamus. Adijt ergo ad Regem Eſther deprecabunda pro populo ſuo, ſic edocta & inſtructa à Mardochæo. Videamus jam quomodo ejus obnixæ petitioni ſatisfaciat Aſſverus; ut deinde diſcamus abundantiam ſuavitatis, quâ Deus afficitur

erga

erga Mariam. *Cùm vidiſſet* (inquit, ſcriptura) *Reginam Eſther ſtantem, placuit oculis ejus, & extendit contra illam virgam auream, quam tenebat manu, dixitq; ad eam* Rex; *quid vis Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? Etiamſi dimidiam Regni partem petieris, dabitur tibi; Cùmq; in convivio accumberent altera die, rurſus liberaliter obtulit Rex optionem quidvis à ſe poſtulandi: quæ eſt petitio tua Eſther, ut detur tibi, & quid vis fieri, etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Audiamus jam Myſticam Mariam, audiamus in Eſthere Mariam delineatam, cùm pro nobis apud filium, & Patrem opem implorat. *Si inveni gratiam*, inquit, *in oculis tuis, o Rex, & ſi tibi placet, dona mihi populum meum, pro quo obſecro.* Et verò conditio illa, *ſi inveni gratiam*, utiq; poſita eſt; cum dictum ei per Angelum fuerit; *inveniſti enim gratiam apud Deum:* ſed videte præterea quo verborũ apparatu, quà emphaſi, quà contentione Satagebat vendicare populum ſuum ab injuria Amonis, qui Diaboli perſonam agebat; ſicut Eſther Mariæ pietatem exhibebat. Ne dubitemus igitur de Mariæ patrocinio; nam ſi placuit Eſtheris fervor, ac ſtudium, quo incubuit ad eripiendum Judaicum populum ad ſe ſe confugientem; multò etiam efficacius Maria in Cælo, in æterno illo convivio cauſam noſtram aget, quæ etiam longè plus Deo placet, acceptaq; eſt, quam Aſvero arriſerit Eſther.

Cæterùm, ſicut non uno aliquo è veteri teſtamento præmonſtratus eſt Chriſtus, ſed per plures id effectum viros; ſic ad Dei Genitricem, ejuſq; adverſum nos pietatem aliquâ ratione depingendam,

Victo-

Victoriaſq; ex Satana reportatas, non una fuit ſatis fœmina; veruntamen plures ad tanti operis ſocietatem neceſſe fuit accerſere, ut in comœdijs fieri aſſolet, ut vitam, reſq; geſtas viri alicujus præſtantis plures referant actores; quorum hic pueritiam, alter juventutem, tertius ætatem maturam, jamq; in ſenium incumbentem exhibeat. Ergo deficit una Eſther, ut Mariæ totum ſtudium pro nobis à morte æterna eripiẽdis impenſum, oculis noſtris ſubijciat. Adveniat ergo pro eâ in ſcenam Juditha. Ecquid autem hæc? certè & ipſa tanto ante inſignia prætulit Beatæ Virgini inſignia, inquam, amoris, & valoris, quo poteſt à morte, & ſervitute liberare. Egreditur ex urbe periculo capitis ſui, erigit afflictos ad ſpem, circumvenit Holofernem, capite truncat, refert ſe intra Civitatem Betuliam, populum ab obſidione liberat, triumphat de hoſte, omnes ſuos contribules à luctu, ad inenarralibile gaudiũ; à mœrore, ad exultationẽ; à trepidatione ad tripudium; à fame, & ſiti, ad rerum omnium traducit abundantiam; atq; è ſqualore, & metu conterritæ multitudinis, ſolemnitatem omni lætitiâ redundãtem effecit. ut meritò ſummus Sacerdos (quod ſingillatim Cap. 15. cadit in Mariam) ſic eam compellarit. *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri.* Multò vero, hæc, inquam, magis ſpectant ad Dei Genitricem, quæ meliùs, ac illa Judith, orando, deprecandoq; hoſtem animæ noſtræ teterrimum interimit, ſivè etiam arcet, & profligat circumſedentem animas noſtras Diabolum. Et quanta ſit Divæ Mariæ virtus ad protegendos eos, qui ad eam confugiunt;

Digitized by Google

fugiunt; non ſolùm in Eſthere, quæ Amonem, aut in Juditha, quæ Holofernē; ſed verò etiam in manu Debboræ, licet oſtēdere, quæ Siſaram occidēdū tradidit; qui omnes cum populo electo inimici fuerint, & per eas fæminas proſtrati, quis ambigere poteſt; & hoſtes illos Diaboli formam tenuiſſe, *cujus cibus electus,* ac fæminas has præluſiſſe Mariæ, de qua ſcriptum eſt; *quod ipſa conteret caput ejus,* hoc eſt, Dæmonis? Quàm porrò ad vivum id quod aliquādo futurum, prædictum ab ipſomet Deo fuerat, cōterendum ſcilicet Dæmonis caput à Muliere, & nativis penè coloribus depictum fuit in jam memoratâ Judithâ? Ecce enim præciſis fontibus enecantur cives intra Bethuliam, ac per gyrum circumdati, ſtrictâ obſidione tenentur, jamq; ad deditionem res tendit: Cùm fæmina una accingit fortitudine lumbos ſuos, & roborat brachium ſuum, & caput ipſum exercitus demetit, & inhiantes cædi, & prædæ Aſſyrios, in fugam vertit, & obſeſſam civitatem à direptione, & morte liberat. Et ſi populum illum fidelem quidem, ſed peccatorem, dixerimus animæ in corpore ſuo detentæ, quod validis febribus, aut alio quocunq; morbi genere affligatur; habere ſimilitudinem; nonne etiam Juditham Beatæ Virginis geſſiſſe ſimulachrum quoddam fatebimur? Ab hac Virgine, & myſtica Juditha cùm in hora mortis ſupervenerit validum auxilium, abacti; in poſtremo illo ſalutis diſcrimine, à prædà, & infeſtatione nequitiæ ſpiritus longè majore jure dicere poterunt; quàm Aſſyrij dixerint: *Vna mulier hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor;* atqui verò e-

Similitudo

 tiam,

tiam, anima illa erepta ab ingenti periculo dicet; quod Achior ille jam in tuto poſitus, pronunciavit: & Virginem mediatricem ſuam, ſic alloquetur. *Be-*
C. 13. v. 31. *nedicta tu â Deo tuo, in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſrael*: quæ quidem elogia; atq; prænunciationes in Maria impletas, perfectaſq; nemo non videt. Accedat ad iſtas mulier illa ſapiens ad referendam nobis Dei genitricem, in eo, quod protegat populum, & hæreditatem Domini; mulier in-
2. Reg. quam illa, de qua ſecundo Regum cap. 20. Ecce vir ſeditioſus, genuinum Diaboli germen, Seba nomine, populum ad defectionem ſollicitarat, atq; ab legitimo Rege Davide abſtraxerat. Miſit ergo David miniſtros ſuos, & civitatem Abela, quam hoſtis Davidis Seba tenebat; circumdant munitionibus, & moliuntur deſtruere muros; cùm exclamavit mulier de Civitate ad Joab, & conventione cum eo factâ; à direptione civitatem & ruinâ, adeoq; è tyrannide Sebæ hominis nefarij; vendicavit. Nam ingreſſa ad omnem populum locuta eſt ei ſapienter, atq; effecit, ut abjurato Sebæ imperio, non ſolùm ipſum deteſtarentur, ſed in gratiam veri Regis David redirent; abſciſſo capite perduelli illi, & foras projecto ad Joab, qui tubâ cecinit, & Civitatem obſidione liberavit. quis non videat in hâc; tot capitum hoſtilium repetitâ in ſacris literis per mulieres factâ detruncatione, deſignatã fuiſſe illam, de qua prædictum eſt fore, ut ipſa Dæmonis caput contereret? Ah igitur quoties (ſi liceret intueri) vult vindex Deus de ijs, qui ad hoſtem omnium teterrimum

transfu-

transfugerunt, pœnas ſumere, jamq; applicatis machinis, animam illam ſeductam, ad terram proſternere parat; cum Virgo Sapiens impetrat animæ illi ſalutare conſilium, ut ſcilicet deſciſcat à Dæmone, & reconcilietur Chriſto, qui placatus, recedit à malo, quod facere cogitabat? Quod ſi fortaſſe alicui; tot illuſtrium fœminarum, quæ Virgini venturæ, ejuſq; pietati erga eos, qui ſe ipſius clientelæ devoturi fuerant præcucurrere; teſtimonia non ſufficiunt: addamus illis Abigaëlem illam, quæ ſicut Modeſtiæ Virginis imago exſtitit, ut infrâ dicemus; ita & benevolentiæ Marianæ ad domeſticos ſuos, ab irâ Dei vendicandos. David quippe, injuriâ laceſſitus à Nabal; gladio accinctus, & armatâ manu ſtipatus, irâq; æſtuans procedebat; ut ſe ſe de homine injurio vindicaret. Interceſſit iræ Davidis ſapiens mulier Abigail, placavit laceſſitum injuriâ, & citra cujuſq; ſuorum damnum precibus, ac blãditijs mitigatum; redire coëgit. Et quoties credamus evenire inſcijs nobis, ut Maria cõferat manus cum Deo, ne vibret, & percutiat terram, & deleat peccatores? Fuit & Berſabee, (utpote Salomonis Mater, qui Chriſti regnantis in cælo glorioſè ſimilitudinem geſſit) delineata ex Matre Dei Maria, in eo, quod cùm ad filiũ acceſſiſſet, tantùm ab eo honorata fuit. Nam ſurrexit Rex in occurſum ejus, adoravitq; eam, & ſedit ſuper thronum ſuum, poſituſq; eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus, ut intelligamus ſymbolicam Mariam, de qua canit Eccleſia. *Adſtitit Regina à dextris in veſtitu deaurato*; & quod de Beata Virgine ſermo ſit, innoteſcit ex adjuncto verſu: *ad-*

Hierem. 26. v. 3.

1. Reg. c. 25.

ducentur Regi Virgines poſt eam. Audiamus nunc Berſabee; petitionem (inquit illa) unam parvulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei Rex. *Pete Mater mea, neq; enim fas eſt, ut avertam faciem tuam*, qua in re videmus. Et Berſabeen; rogata ab Adonia cum eſſet, eidem ſatisfaciendi ſtudio adijſſe ad filium: Regem verò non ſolum detuliſſe honorem Matri, ſed promptum ſe ſe exhibuiſſe facilemq; ad elargiendum quidquid ab eo Mater petijſſet. quæ omnia veluti in ſcenâ nobis exhibentur ad ſignificandam utriuſq; in nos, ideſt, Matris & filij JESV Chriſti facilitatem ad opitulandum nobis. Neq; tamen intermittam hic indicare, quod planè dignum conſideratione eſt: tametſi enim tantùm abeſt, ut Salomon petitioni Matris obſecundarit, ut etiam Adoniam, cui Abiſag Sunamitis, quæ fuerat Davidis uxor petebatur; eâdem ipſâ die interficiendum curarit; nihilominus conſtanter affirmo, vel ex hoc ipſo facto; & Mariæ benignitatem, & ad impetrandum quidvis à filio facultatem, præoſtenſam eſſe vel maximam. Ego enim ſic ratiocinor. Rex Salomon non ſolùm detulit honorem Matri ſed etiam fas eſſe negavit aliquid ei, non concedere petenti. At tu dicis: apertè non conceſſit Salomon petita; quin ei mortem intulit, cui connubium poſtulabatur. Verùm quid hoc obſtat? an non legiſti aliquando illud canonicum axioma: *Exceptio in contrarium firmat regulam?* hoc eſt lex lata eò firmior, ſanctiorque eſt quòd aliquid quo minus ſub eâ comprehendi valeat, ab eâ excipitur? cujus rei ratio affertur; nam dum ſeponitur aliquid, quod lege illâ ſtatui;

aut pro-

3. Reg. 2.

aut prohiberi videatur; manifeſtum eſt eam legem minimè quidem ſubreptitiam, veruntamen (ut loquuntur periti legum) ex certâ ſcientiâ latam fuiſſe; propterea quod totum id, diſtinctè præceptum, bene exacteq; perpenſum, & ad judicij trutinâ examinatum fuerit. quare cùm eam Matri ſuæ Salomō optionem fecerit: *Pete Mater mea, neq; enim fas eſt, ut avertam faciem tuam*: ſtatimq; exceperit ſolum id, quod apertè in regni ſui vergebat ruinam, manifeſtum etiam eſt nos id totum per Mariæ preces, obtenturos eſſe; quod Chriſto inhoneſtum non ſit. Cujuſmodi profectò non eſt; ſi patriam illam, per Dei Genitricem efflagitemus, in qua non nubent, neq; nubentur: quam non ſolum nobis à filio ſuo impetrabit Maria, ſed etiam itineris Ducem ſe præbebit; uti de hoc prænunciavit Michæas c. 6. & officium ejus quale futurum eſſet in Eccleſia, inq; peregrinatione hâc noſtra; præmonſtravit: quod enim Exodi 15. deſcriptum eſt, quod nempè Maria Prophetiſſa ſoror Aaron ſumpſerit tympanum in manu ſuâ, egreſſæq; ſint omnes mulieres poſt eam; quale fuerit, quidvè portenderet; indicavit Michæas cum dixit. *Eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſervientium liberavi te, & miſi ante faciem tuam Moyſem, Aaron & Mariam*: quo quid aliud ſibi voluit; quàm quòd ſicut Moyſes & Aaron Chriſtum nobis exhibuerunt; qui eſt Rex & Sacerdos, & duorum perſonam unus ſuſtinet; præſertim cum ſcriptum ſit in Epiſtola Iudæ. *Ieſus populum ſuum de terra Ægypti ſalvans*: Ita ſororem eorum Mariam, imaginem Dei Genitricis fuiſſe, quod hæc: nobis præeat, & manu ducat ad reperien-

Exod. 15.

ducentur Regi Virgines poſt eam. Audiamus nunc Berſabee; petitionem (inquit illa) unam parvulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei Rex. *Pete Mater mea, neq; enim fas eſt, ut avertam faciem tuam*, qua in re videmus. Et Berſabeen, rogata ab Adonia cum eſſet, eidem ſatisfaciendi ſtudio adijſſe ad filium: Regem verò non ſolum detuliſſe honorem Matri, ſed promptum ſe ſe exhibuiſſe facilemq; ad elargiendum quidquid ab eo Mater petijſſet. quæ omnia veluti in ſcenâ nobis exhibentur ad ſignificandam utriuſq; in nos, ideſt, Matris & filij JESV Chriſti facilitatem ad opitulandum nobis. Neq; tamen intermittam hic indicare, quod planê dignum conſideratione eſt: tametſi enim tantùm abeſt, ut Salomon petitioni Matris obſecundarit, ut etiam Adoniam, cui Abiſag Sunamitis, quæ fuerat Davidis uxor petebatur; eâdem ipſâ die interficiendum curarit; nihilominus conſtanter affirmo, vel ex hoc ipſo facto; & Mariæ benignitatem, & ad impetrandum quidvis à filio facultatem, præoſtenſam eſſe vel maximam. Ego enim ſic ratiocinor. Rex Salomon non ſolùm detulit honorem Matri ſed etiam fas eſſe negavit aliquid ei, non concedere petenti. At tu dicis: apertè non conceſſit Salomon petita; quin ei mortem intulit, cui connubium poſtulabatur. Verùm quid hoc obſtat? an non legiſti aliquando illud canonicum axioma: *Exceptio in contrarium firmat regulam?* hoc eſt lex lata eò firmior, ſanctiorque eſt quòd aliquid quo minus ſub eâ comprehendi valeat, ab eâ excipitur? cujus rei ratio affertur; nam dum ſeponitur aliquid, quod lege illâ ſtatui;

3. Reg. 2.

aut pro-

Digitized by Google

aut prohiberi videatur; manifeſtum eſt eam legem minimè quidem ſubreptitiam, veruntamen (ut loquuntur periti legum) ex certâ ſcientiâ latam fuiſſe; propterea quod totum id, diſtinctè præceptum, bene exacteq; perpenſum, & ad judicij trutinâ examinatum fuerit. quare cùm eam Matri ſuæ Salomō optionem fecerit: *Pete Mater mea, neq; enim fas eſt, ut avertam faciem tuam:* ſtatimq; exceperit ſolum id, quod apertè in regni ſui vergebat ruinam, manifeſtum etiam eſt nos id totum per Mariæ preces, obtenturos eſſe; quod Chriſto inhoneſtum non ſit. Cujuſmodi profectò non eſt; ſi patriam illam, per Dei Genitricem efflagitemus, in qua non nubent, neq; nubentur: quam non ſolum nobis à filio ſuo impetrabit Maria, ſed etiam itineris Ducem ſe præbebit; uti de hoc prænunciavit Michæas c. 6. & officium ejus quale futurum eſſet in Eccleſia, inq; peregrinatione hâc noſtra; præmonſtravit: quod enim Exodi 15. deſcriptum eſt, quod nempè Maria Propheti- *Exod. 15.* ſa ſoror Aaron ſumpſerit tympanum in manu ſuâ, egreſſæq; ſint omnes mulieres poſt eam; quale fuerit, quidvè portenderet; indicavit Michæas cum dixit. *Eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſervientium liberavi te, & miſi ante faciem tuam Moyſem, Aaron & Mariam:* quo quid aliud ſibi voluit; quàm quòd ſicut Moyſes & Aaron Chriſtum nobis exhibuerunt; qui eſt Rex & Sacerdos, & duorum perſonam unus ſuſtinet; præſertim cum ſcriptum ſit in Epiſtola Iudæ. *Ieſus populum ſuum de terra Ægypti ſalvans:* Ita ſororem eorum Mariam, imaginem Dei Genitricis fuiſſe, quod hæc: nobis præeat, & manu ducat ad re-

periendam promiſſam; & ubertate fructuum fœcũdiſſimam regionem. Et quemadmodum de altero viſo Pharaoni oſtenſo; hoc eſt ſpicarum, dixit Dei interpres Joſephus; *quod autem vidiſti ſecundò ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis eſt indicium:* Sic
Pſalm. 77. etiam ad ſtatuendum Dei Genitricem eſſe Ductricem, & ante ſignanam; facit quod pſalmo 77. habetur, & à S. Hieronymo exponitur de Sãctiſſima Domina Maria; videlicet, *Eduxit eos in nube diei*, rectè enim in nube diei intelligimus Mariã, quæ, ut Sanctus Doctor ait, *nullo humano ſemine imprægnata, ſemper in luce, & nunquam in tenebris fuit;* adeoq; prælucet exemplo, & qui ſequuntur imitando; perveniunt eo; quò ducit, hoc eſt ad beatitudinem. Porrò, quo faciat hoc ſtudio, quâ ſedulitate, & propenſiſſima voluntate; contemplemur in imagine ejus ſatis
Gen. 24. v. 17. ad vivum expreſſa. Neq; enim obliviſci tui poſſum Rebecca, aut ab animo meo impetrare, ut credam; non fuiſſe te Dei Genitricis ejuſq; in nos adjuvando benevolentiæ, pulcherrimum ſimulachrum: in eò quod adeò te facilem, promptamq; exhibuiſti, in hauſtu aquæ præbendo; cùm diceres, *Bibe Domine mi; quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* In quo tamen perſpicere & iſtud licet: quantum videlicet venuſtiſſima quamvis imago, diſtet ab Archetypo Maria. Nam ſi Rebecca, cùm eſſet rogata à ſervo Abraham, liberaliter aquam exhibuit: Maria etiam prævenit preces; & vinum optimum procuravit. quare figurâ ratiocinandi, concludendiq; eâ, quâ Chriſtus uſus eſt, hic etiam, nos uti poſ-
Matth. 6. ſumus: *Si lumen, inquit, quod in te eſt, tenebræ ſunt;*

ipſæ te-

ipſæ tenebræ quantæ erunt? hoc eſt; converſo hoc ratiocinij genere dicere; ſi tenebræ legis veteris; ita lucent: lumen Evangelij quantum erit? quod ſimile eſt illi, quod Apoſtolus dicit ſi miniſtratio mortis, literis deformata in lapidibus fuit in gloriā; ita ut non poſſent, intendere filij Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? ſi ergo deſcriptio vmbræ Marianæ, ut quidem in Rebecca videre eſt; ita venuſta, & elegans eſt: ſi inquam Rebecca adeò ad benefaciendū proclivis fuit: quid ipſum corpus, id eſt, prototypon Maria? quid non vitæ, ſpecioſitatis, ac liberalitatis habebit? *2. Corint. 3.*

§. III.

Teſtimonijs Sacræ Scripturæ, apertioribus id ipſum confirmatur.

S*Perent ergò in te, qui noverunt nomen tuum; quoniam non derelinquis quærentes te Domina.* Et locupletes ſunt ipſæ ſacræ literæ hujuſce rei teſtes: non ſolum in eo, quod Virginis pietatem, benefaciendiq; ſtudium, in quibuſdam mulieribus expreſſere, velutiq; rudi penicillo delineavêre: ſed quia ejuſdem rei fidem faciunt apertioribus ſignificationibus, & evidentibus teſtimonijs, quæ etiam deinceps allaturi ſumus. Atq; inprimis illa ſunto, quæ Eccleſiaſtici 24 capite habentur. nam etſi ea de filio, præcipuè dicta noſcuntur; attamen Eccleſia Dei,

quæ eſt

quæ eſt firmamentum, & columna veritatis, officio B. Virginis (quod dicitur in ejus ſolemni die Conceptionis & feſtivitatis ad Nives) illa ipſa inſerit; tamq; ad Dei Matrem quoq; ſpectantia, & ſpectare credendum eſt; cum ſenſum ſponſi, hoc eſt Spiritus Sancti (quo inſpirante locuti ſunt Sancti Dei) ignorare non poſſit Sponſa. Sic ergo ſapientiam loquẽtem refert Eccleſiaſticus, ut manibus ipſis palpare poſſimus, ipſam Dei Genitricem eſſe præſidium certiſſimum ad obtinendam ſalutem. Nolo hic totum vigeſimum quartum caput Eccleſiaſtici recitare, ſed ex illo, ea tantum huc tranſcribam, per quæ aſſeritur hoc ipſum, quod pertractamus, cultum nempe Beatiſſimæ Virginis eſſe; patriæ cæleſtis obtinendæ, quaſi arrham clientibus præſtitam. Inter cætera igitur encomia, quæ Sapientia ſibi adſcribit, & ut jam dixi, teſtimonio Eccleſiæ, competũt Beatæ Virgini; quæq; in rem noſtram faciunt; hæc ſunt: *In multitudine electorum habebit laudem & inter benedictos benedicetur;* Qui porro ſunt in ſacris literis electi? qui benedicti? nonne ij, qui ad vitam æternam præordinati ſunt; dicente Evangelio: *multi vocati pauci verò electi*: & illud: *venite benedicti Patris mei.* En quomodo conſonant ſibi ſcripturæ? *Sapientia*, ſub quo nomine, Beata Virgo, intelligitur; *habuit laudem in multitudine electorum*; *& inter benedictos benedicetur*: quod ſi igitur laudas animitus, & deprædicas Sanctam Dei Genitricem, electus es, ſi benedicis ei, benedictus es; & utrumq; (teſte ipſâ Sapientia;) omen eſt, ac teſſera prædinati; quis igitur â Marianis laudibus unquam conticeſcat; cùm huic operi

2. Pet. 1.

operi ſpes tanta offeratur, atq; expectatio? Verùm pergamus: ut enim intelligeremus electionis ad gloriam, non eſſe ſufficiens argumentum interruptam & perquam raram Beatæ Virginis recordationem, ſed quotidianam eſſe oportere, & aſſiduam; ſubditur: *In hæreditate Domini morabor;* quaſi dicat: Illi ſunt hæreditas Domini, apud quos domicilium fixi, non inſtabile, & ad horam diverſorium: præſertim cùm proverbiorum 8. ſcriptũ ſit: Beatus homo qui audierit me, & vigilat ad fores meas quotidie. Et ſcitote hoc ei â filio communicatum, ut in ejus nempè hæreditate moretur; ſivè ut eos Beata Virgo tanquam filios Dei acceptet, apud quos conſtanter in honore eſt; ait enim: *tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creavit me requievit in tabernaculo meo:* hoc eſt, filius inſpiravit Matri ſuæ cùm latitaret intra viſcera virginea, tanquã in tabernaculo; quid inſpiravit? hoc quod ipſamet refert: *Et dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices.* & videte, ac diſpicite non caſu, ſeu fortuitò inſeri memoriam Jacob, & Iſraël, apud quem Beata Virgo demoretur; quia fuit is electus præ Eſau, & eligendorum typus fuit, ut pote de quo dictũ fuit: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Id quod etiam exemplo, ſeu teſtimonio luculentiore, & magis domeſtico oſtendam. Ecquid enim Beatus Joannes Evangelij ſcriptor prædeſtinatus ad gloriã non fuit? imò forma quædam, velutiq; idæa electorum fuit, cùm ſingulariter dilectus ille diſcipulus diceretur, in quem etiam deindè tot dona ſua congeſſit Dei filius; hoc eſt, Virginitatis Aureolam, Martyrij pal- *Ad Rom. 9.*

mam, Apoſtolatus gloriam, prophetiæ decus, ac E-vangelij ſcriptoris inſigne: Cúmq; dilectio præordinationis ad gloriam cauſa ſit, neceſſe eſt, ut qui præcipuè dilectus dicitur, ſingulariter quoq; prædeſtinatus habeatur. Quare Eccleſia de hoc ipſo Apoſtolo uſurpat illud: *Ecce puer meus electus, quem elegi poſui ſuper eum ſpiritum meum.* Videamus igitur jam; an ea, quæ Beata Virgo accepit in mandatis; hoc eſt, ut ipſa hæreditetur in Iſraël, & mittat radices in electis; utrum hoc non expreſſerit in Joanne, quem formam electorum dicimus fuiſſe. Inprimis namq; Chriſtus è Cruce teſtamentum condens Matri ſuæ legavit Joannem, & Joañi viciſſim Matrem; *ex illâ* quippè *horâ accepit eam in ſua*; utpote legitimo teſtamento hæres ab ipſo Chriſto inſtitutus; quocirca quod prædictum erat Virgini, ideſt hæreditare, ſive hæreditatem capias; id ſub Cruce peractum eſt. Neq; id ſolum ſed illud etiam præſtitit; quod eidem Virgini indictum fuerat: id eſt; *Et in electis mitte radices.* Namq; ut à fide dignis ſcriptoribus accepimus, non ſolum Virgo cohabitavit Joanni, ſed cum eo poſt Chriſti aſcenſionem Hieroſolymis Antiochiam deſcendit: quod fuit mittere radices, ſeu permanenter inhærere. Cum igitur eum, quem Electorum perſonam ſuſtinuiſſe dicimus Joannem E-vangeliſtã, reipſa Virgo Mater, & quidem ore Dominico hæreditate acceperit, is verò Virginem ſummo ſtudio, reverentiaq; proſecutus fuerit, idq; ſine intermiſſione; adeoque Beatiſſima Virgo executa ſit, quod eidem mandatum fuerat, ut ſcilicet hæreditaretur in Iſraël, inq; electis mitteret radices, dubitare

bitare nequaquam poſſumus prædeſtinationis ſignum eſſe cultum conſtantem Beatæ Matris. Auguſtinus quidem certè ſuper illa verba: *Sic eum volo manere donec veniam:* fuſè docet; S. Joañem prædeſtinatorum, imò beatorum geſſiſſe imaginem, quem cum Virgo in filium ſuſceperit ipſiq; electi eandem Dei Genitricem in Matrem delegerint non dubium eſt, quin Maria electorum Mater ſit; hoc eſt, eorum, qui Virginem ut Matrem ſuam colunt. Ita ut electis & Virgo ſint ſibi viciſſim mutua, ac reciproca hæreditas. Et quo pacto Chriſtus hoſtia, & Sacerdos; ſic Maria hæres, & hæreditas noſtra eſt, eâque & longè majore in electos fertur benevolētiâ, & viciſſim electi erga illam, quâ quique mortalium in ſuam feruntur hæreditatem. Cæterùm redeamus jam ad inſinuanda ea, quæ dicto loco Eccleſiaſtici 24. huic ipſi atteſtantur ſententiæ; quâ ſentimus imbibitam animo erga Dei Genitricem pietatem eſſe futuræ gloriæ, ſeu beatitudinis prognoſticon: Ait ergo ſymbolica Maria: *Et ſic in Sion firmata ſum, & in Civitate Sanctificatâ ſimiliter requievi, & in Ieruſalem poteſtas mea.* quæ omnia quid aliud ſonant, quàm quòd Dei Mater apud electos, & Sāctos demoretur, propterea quòd ipſi ſint ejus cultores, & clientes unici; quibus ipſa proinde procuret neceſſarias virtutes ad regnum conſequendum, in eo quod ſe dicit: *Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & Sanctæ ſpei*: quodque in ſe ſit *gratia omnis viæ & veritatis*: nam quis ſine via perveniat? aut ſine veritate verum animæ finem, & portum aſſequatur? Et ne quis exiſtimet quòd ipſe pri-

S. Auguſtinus.

or elegerit Virginem in patronam, cum ab eâ electus ſit ante in clientem, & præventus in amando; *Tranſite*, inquit, *ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Invitat igitur ipſa prior ad ſeſe; & ad hoc allicit, ut genitum ex ſe regeneret in cordibus noſtris, eò quod non ſolum genuerit filium intra, & extra uterum; ſed eundem ipſum parturit, & format in mentibus clientum ſuorum: qua in re Deum Patrem imitatur, qui apud ſe filium genuit; & rurſus extra ſe cùm introduxit illum iterum in orbem terrarum, cumq; facit illum acceptari â quibuſdam; qui credendo, amandoque Chriſtum concipiunt in cordibus ſuis: quod ſi fortaſſe malimus dum vel hoc ipſum Beatæ Virgini obſequium præſtamus, in eo quod oſtendimus ejus cultum, eſſe prædeſtinationis ſignum; ſi malimus, inquam, ex ipſâ Dei Genitrice intelligere: quòd nos in hoc obſequij genere verſantes, maneat gloria ſempiterna; Audiamus ita proloquẽtem: *qui elucidant me vitam æternam habebunt*: hoc eſt igitur oraculum Virginis, ipſa teſtatur quòd conjectura aſſequi conamur, & ait: qui elucidant me vitam æternam habebũt: faciuntque mihi ſpem hæc verba; ſcrutanti vitam Virginis. Nam cui credamus, ſi Mariæ non habemꝰ fidem? Ipſa dicit pura, & ſimplex, ſine dolo, & veritatis Magiſtra: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt* Ecquid enim eſt aliud id quod ago; ô Dei Genitrix Maria, dum te magnum prædeſtinationis augurium, ac omen prædico, dum reliquas undecim ſtellas, quæ verticem tuum ambiunt perſcrutari apparo (& ut pro dignitate faciam ipſa ſuggeret) quid a-

quid ago, dum hoc ago? nońe hoc, ut elucidem te? & reddam (ſi fieri poſſit) hominibus illuſtriorem? Teneo verbum tuum Maria, & abſcondo illud intra mentis meæ ſinus, ibi depono; ut cum hora ultima ingruet, & reddēda mihi erit ratio filio tuo, de multis, quorũ, proh dolor! nulla eſt ratio; depromam illud, & exhibebo promiſſionem tuam, & non falles ſpem meam, quam habeo in te, & de te ô Maria! in eo quod aperies mihi venam vitæ, fontem lachrymarum, quibus abluam mala mea, & miſeriam meam, ſuſpirantem ad miſericordiam tuam. Atque ut major ſit Clientulorum de magnæ hujus patronæ præſidio, fiducia; ea etiam quæ capite 8. de ſapientia habentur in parabolis Salomonis, Eccleſia in ſolemnitate Beatæ Virginis ad Nives eidem accomodat, quæq; filij ſunt propria benè annuente filio, cum Matre communicat. Nam quis diffidat de obtinenda venia, ſi eam, quam colit, & omni quo poteſt ſtudio proſequitur, ſic loquentem audiat: *Beatus homo qui audit me, & qui vigiliat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtij mei, qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*: quibus verbis quid clarius, aut expreſſum magis dici poteſt?

Parabola Salomonis.

§. IIII.

Oſtenditur idipſum ex eo, quòd Beata Virgo ſingulariter in hora mortis aſſiſtat.

Digitized by Google

VErum enim verò omittamus hoc ipſum, multoque magis conjecturas; abſtineamus à figuris, non accerſamus aliundè rationum momenta, quibus domi abundamus: etenim ſi Eccleſiæ inſtitutio, & Spiritus Sancti per Scripturas ſacras oraculo conſtat Beatæ Virginis favor in diuortio animæ à corpore; nonnè magnum ſatis habemus argumentum Virginis cultum eſſe prædeſtinationis ſignum? Nam ſi ipſa ſingulariter in confinio vitæ, & mortis interpellatur, & præſto eſt; ſatis eſt manifeſtum Mariam ſummæ rei præpoſitam, & quaſi conſtitutam à Deo Conſilij præſidem, vel ſacram quandam anchoram, quæ ſit navigantium perfugium ultimum in periculo horrendi illius naufragij, ex quo ſi quos, nonnè potiſſimum clientes ſuos ereptura eſt? adeoque Virginis cultus, apertum eſt prælectionis ad gloriam indicium: Quod igitur Eccleſia facit, videlicet ut vitæ occaſum Dei Genitrici commendet, etſi ſatis per ſe poſſit eſſe ad fidem faciendam; hoc eſt Virginis clientes ab eâ jure poſſe præſidium expectare: Attamen unde Eccleſia edoceri de hoc potuerit, ut Virginem in horâ mortis deprecatricem aſſiduè interpellet audiamus: Virginis hujus filius, de qua nobis ſermo, tantam Judicij die appropinquante futuram prædixit eſſe trepidationē, ut deſideraturi ſint homines, ut cadant montes ſuper eos; & colles operiant eos, unde porrò hic tantus pavor, ut ab ipſis montibus obrui, & occuli expetituri ſint miſeri mortales? non aliũdè ſanè arbitror, quam à venturâ irâ incutiendum eum timorem, quem cum prævideret S. Joannes, præmonebat ut

Luc. 23. v. 30.

bat ut fugerent ab irâ venturâ; quod ſi hic Dei furor & indignatio marinis fluctibus ſimilis habetur â S. Job, cum dicat: quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum; & natura ferocienti mari objecit mõtes ne terram obruat; ſatis indicavit nobis Deus; quo veluti obice refrænanda ira ſua ſit; hoc eſt imploratione Mariæ, quæ mons eſt ſupra verticem montium; etenim exaltata eſt ſuper choros Angelorum. Ergo inundanti iræ Dei, jam jamque peccatores abſorbere paranti obviat Maria, ſeque inter Dei minas, & nos, aggeris inſtar mediam locat, iramque Dei æſtuantem in placidam, & tranquilliſſimam vertit benevolentiam. O quæ tunc afflictiſſimo homini, & vehementer trepidanti; cùm interveniente Dei Matre, ereptus fuerit ex ijs anguſtijs, jucunda, grataque futura eſt reſpiratio? Nam quis expertus aliquando non eſt, cùm intercluſis oris & narium meatibus, reſpirandi facultas non conceditur, quæ tunc homini anguſtiæ ſint, quis pavor, quis naturæ eluctari conantis angor, & trepidatio; ne ſi tantillum adhuc impediatur halitus, ſpiritus ipſe elidatur? Videmus in brutis, quæ ſuffocantur; videmus in hominibus, qui ſuſpendio extinguuntur, quantum captandæ auræ, animantia quæque ſollicita ſint. Hoc igitur pacto anhelanti homini ad ſalutem, Deique amicitiam, quem ſibi iratum ſentit, jam jamque poſtremam perniciem minitante, præſto adeſt Maria, & fugientem è corpore halitum revocat, & ſemianimem fovet, & non ad vitam modo, ſed ad gloriam, & gaudia perducit Maria, æterna. Nonne igitur opitulatricem hanc, reſpirationis

c. 38. v. 23.

Iſaia 2. & Greg. 1. Reg. cap. 1.

inſtar,

inſtar, hominibus datam eſſe dicemus? & illo quidem tempore, quo gratiſſima eſſe ſolet aſpiratio? Nolo hic dicere quod argutè quidam commenti ſunt; dum Virginem reſpirationis inſtar omnibus, ſed maximè moribundis eſſe volunt: *cùm Deus Æthera firmaret ſurſum, ipſa aderat ſapientia* ſeu Virgo (inquiunt) *cum eo cuncta componens*; quod quid aliud eſt; quàm è Maria veluti quodam aëris prototypo, ſicut reliquarum rerum conditionem, & naturam, ita aëris rimatum fuiſſe opificem Deum. atqui verò aër ad hoc potiſſimum eſt, ut eum aſſiduè reciprocemus, & ut abſq; eo, vivere non poſſimus, quod ſanè proprium eſt Dei Genitrici, ut ab ea (abſq; vitæ diſpendio) aſpiranda, ceſſare non valeamus; ſed tunc maximè cùm apprimè feſſi fuerimus, hoc eſt cum huius vitæ curſum peregerimus; nobis tunc animã agentibus creberrimus anhelitus eſt neceſſarius, hoc eſt frequentiſſima, & ſine intermiſſione imploratio Dei Genitricis: ſatis nobis ſit hanc in rem (neque enim argutijs illis animitus inhæremus.) Germanus Patriarcha, qui de Zona Virginis appoſitè dixit: *Quemadmodum corpus noſtrum vitalis Signum operationis, habet reſpirationem, ita & Sanctiſſimum nomen tuum, Virgo Beatiſſima, quod in ore ſervorum tuorum verſatur aſſiduè in omni tempore, loco, & modo: vitæ, lætitiæ, & auxilij, non ſolum eſt ſignum, ſed etiam procurat*, & conciliat. Ipſi quæſo judicate Sodales utrum de hâc Virginis clientela, & curâ maternâ circa lectulos moribundorum ſuorum, non habeamus in ſacris literis, & Doctoribus, ſat aperta teſtimonia. Cum enim duæ ſint opiniones, de ſitu, ſeu proſpectu, quem Chriſtus

Proverb. 8. v. 28.

Germanus patriarcha.

Bernardin. t. 3. ſer. 2.

Digitized by Google

Chriſtus Cruci ſuffixus habebat; hoc eſt ipſum facie ad Orientem ſpectaſſe ut Alenſis, vel, ut Damaſcenus ad occidentem; utraque tamen ſententia non diſcrepat in eò, quod Beata Virgo latus illud Crucis ſtipaverit, quod erat ad ſeptentrionem. Nam Alexander Alenſis cum Chriſtũ tunc obverſum orienti fuiſſe dicat; Virginem etiam à ſiniſtris collocat: At Damaſcenus, qui ad occidẽtem è cruce proſpectum eſſe aſſerit; ſtatuit illam à dextris. Vt videatur apud hos Patres, illud certum & fixum fuiſſe, ut oportuerit Beatam Virginem id latus Chriſti morientis ſtipare, quod reſpiciebat ad ſeptentrionem: eaque ſuâ ſtatione ſignificaſſe Mariam, ſe protecturam moribundos contra Aquilonem, ſeu Dæmonem; qui dixit: ſedebo in lateribus Aquilonis, ut quamvis ex eâ parte irruat turbo vehemens, ac inſidioſus; attamẽ pia Mater quaſi oppoſitu corporis ſui, defendat nos, & horâ mortis ſuſcipiat. An legiſtis fortaſſe nunquam, quid de ſerpente illo antiquo, & veteratorio prædictum à Deo ſit; futurum quidem ut inſidietur calcaneo, ideſt extremis noſtris; ſed verò legere ibidem potuiſtis, quod ipſa, ideſt Dei Mater Maria cõtereret caput ejus, ne virulento ſuo afflatu nocere valeat. Atteſtatur ipſe huic ſpei noſtræ Deus Pater: quippè dixiſſe fertur Sanctæ Catharinæ Senenſi (ut legere eſt apud Bloſium) in hæc verba: Mariæ unigeniti mei glorioſæ Genitrici; à bonitate meâ conceſſum eſt propter incarnati verbi reverentiam, ut quicunq; etiam peccator ad eam cum devotione recurrit, nullo modo decipiatur à Dæmone infernali, hæc enim eſt præparata, electa, & poſita tanquam

Damaſcen. lib. 4. de fide exhodoxa c. 13. ſedulio l. 4 carminum Beda in Lu. 23.

L. 4. c. 13.

Iſai. 14. 13.

S. Catharin. Bloſius conclavis parte ſecunda, cap. 1.

quæ eſt firmamentum, & columna veritatis, officio B. Virginis (quod dicitur in ejus ſolemni die Conceptionis & feſtivitatis ad Nives) illa ipſa inſerit; tamq; ad Dei Matrem quoq; ſpectantia, & ſpectare credendum eſt; cum ſenſum ſponſi, hoc eſt Spiritus Sancti (quo inſpirante locuti ſunt Sancti Dei) ignorare non poſſit Sponſa. Sic ergo ſapientiam loquẽtem refert Eccleſiaſticus, ut manibus ipſis palpare poſſimus, ipſam Dei Genitricem eſſe præſidium certiſſimum ad obtinendam ſalutem. Nolo hic totum vigeſimum quartum caput Eccleſiaſtici recitare, ſed ex illo, ea tantum huc tranſcribam, per quæ aſſeritur hoc ipſum, quod pertractamus, cultum nempe Beatiſſimæ Virginis eſſe; patriæ cæleſtis obtinendæ, quaſi arrham clientibus præſtitam. Inter cætera igitur encomia, quæ Sapientia ſibi adſcribit, & ut jam dixi, teſtimonio Eccleſiæ, competũt Beatæ Virgini; quæq; in rem noſtram faciunt; hæc ſunt: *In multitudine electorum habebit laudem & inter benedictos benedicetur*; Qui porrò ſunt in ſacris literis electi? qui benedicti? nonne ij, qui ad vitam æternam præordinati ſunt; dicente Evangelio: *multi vocati pauci verò electi*: & illud: *venite benedicti Patris mei.* En quomodo conſonant ſibi ſcripturæ? *Sapientia*, ſub quo nomine, Beata Virgo, intelligitur; *habuit laudem in multitudine electorum*; *& inter benedictos benedicetur*: quod ſi igitur laudas animitus, & deprædicas Sanctam Dei Genitricem, electus es, ſi benedicis ei, benedictus es; & utrumq; (teſte ipſâ Sapientia;) omen eſt, ac teſſera prædinati; quis igitur à Marianis laudibus unquam conticeſcat; cùm huic

2. Pet. 1.

operi

operi ſpes tanta offeratur, atq; expectatio? Verùm pergamus: ut enim intelligeremus electionis ad gloriam, non eſſe ſufficiens argumentum interruptam & perquam raram Beatæ Virginis recordationem, ſed quotidianam eſſe oportere, & aſſiduam; ſubditur: *In hæreditate Domini morabor;* quaſi dicat: Illi ſunt hæreditas Domini, apud quos domicilium fixi, non inſtabile, & ad horam diverſorium: præſertim cùm proverbiorum 8. ſcriptũ ſit: Beatus homo qui audierit me,& vigilat ad fores meas quotidie. Et ſcitote hoc ei â filio communicatum, ut in ejus nempè hæreditate moretur; ſivè ut eos Beata Virgo tanquam filios Dei acceptet, apud quos conſtanter in honore eſt; ait enim: *tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creavit me requievit in tabernaculo meo:* hoc eſt, filius inſpiravit Matri ſuæ cùm latitaret intra viſcera virginea, tanquã in tabernaculo; quid inſpiravit? hoc quod ipſamet refert: *Et dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices.* & videte, ac diſpicite non caſu, ſeu fortuitò inſeri memoriam Jacob, & Iſraël, apud quem Beata Virgo demoretur; quia fuit is electus præ Eſau, & eligendorum typus fuit, ut pote de quo dictũ fuit: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Id quod etiam *Ad Rom. 9.* exemplo, ſeu teſtimonio luculentiore, & magis domeſtico oſtendam. Ecquid enim Beatus Joannes Evangelij ſcriptor prædeſtinatus ad gloriã non fuit? imò forma quædam, velutiq; idæa electorum fuit, cùm ſingulariter dilectus ille diſcipulus diceretur, in quem etiam deindè tot dona ſua congeſſit Dei filius; hoc eſt, Virginitatis Aureolam, Martyrij palmam,

 mam,

Digitized by Google

mam, Apoſtolatus gloriam, prophetiæ decus, ac Evangelij ſcriptoris inſigne: Cúmq; dilectio prædinationis ad gloriam cauſa ſit, neceſſe eſt, ut qui præcipuè dilectus dicitur, ſingulariter quoq; prædeſtinatus habeatur. Quare Eccleſia de hoc ipſo Apoſtolo uſurpat illud: *Ecce puer meus electus, quem elegi poſui ſuper eum ſpiritum meum.* Videamus igitur jam; an ea, quæ Beata Virgo accepit in mandatis; hoc eſt, ut ipſa hæreditetur in Iſraël, & mittat radices in electis; utrum hoc non expreſſerit in Joanne, quem formam electorum dicimus fuiſſe. Inprimis namq; Chriſtus è Cruce teſtamentum condens Matri ſuæ legavit Joannem, & Joañi viciſſim Matrem; *ex illâ* quippè *horâ accepit eam in ſua*; utpote legitimo teſtamento hæres ab ipſo Chriſto inſtitutus; quocirca quod prædictum erat Virgini, ideſt hæreditare, ſive hæreditatem capias; id ſub Cruce peractum eſt. Neq; id ſolum ſed illud etiam præſtitit; quod eidem Virgini indictum fuerat: id eſt; *Et in electis mitte radices.* Namq; ut à fide dignis ſcriptoribus accepimus, non ſolum Virgo cohabitavit Joanni, ſed cum eo poſt Chriſti aſcenſionem Hieroſolymis Antiochiam deſcendit: quod fuit mittere radices, ſeu permanenter inhærere. Cum igitur eum, quem electorum perſonam ſuſtinuiſſe dicimus Joannem Evangeliſtã, reipſa Virgo Mater, & quidem ore Dominico hæreditate acceperit, is verò Virginem ſummo ſtudio, reverentiaq; proſecutus fuerit, idq; ſine intermiſſione; adeoque Beatiſſima Virgo executa ſit, quod eidem mandatum fuerat, ut ſcilicet hæreditaretur in Iſraël, inq; electis mitteret radices, dubitare

bitare nequaquam poſſumus prædeſtinationis ſignum eſſe cultum conſtantem Beatæ Matris. Auguſtinus quidem certè ſuper illa verba: *Sic eum volo manere donec veniam:* fuſè docet; S. Joañem prædeſtinatorum, imò beatorum geſſiſſe imaginem, quem cum Virgo in filium ſuſceperit ipſiq; electi eandem Dei Genitricem in Matrem delegerint non dubium eſt, quin Maria electorum Mater ſit; hoc eſt, eorum, qui Virginem ut Matrem ſuam colunt. Ita ut electi, & Virgo ſint ſibi viciſſim mutua, ac reciproca hæreditas. Et quo pacto Chriſtus hoſtia, & Sacerdos; ſic Maria hæres, & hæreditas noſtra eſt, eâque & longè majore in electos fertur benevolētiâ, & viciſſim electi erga illam, quâ quique mortalium in ſuam feruntur hæreditatem. Cæterùm redeamus jam ad inſinuanda ea, quæ dicto loco Eccleſiaſtici 24. huic ipſi atteſtantur ſententiæ; quâ ſentimus imbibitam animo erga Dei Genitricem pietatem eſſe futuræ gloriæ, ſeu beatitudinis prognoſticon: Ait ergo ſymbolica Maria: *Et ſic in Sion firmata ſum, & in Civitate Sanctificatâ ſimiliter requievi, & in Ieruſalem poteſtas mea.* quæ omnia quid aliud ſonant, quàm quòd Dei Mater apud electos, & Sāctos demoretur, propterea quòd ipſi ſint ejus cultores, & clientes unici; quibus ipſa proinde procuret neceſſarias virtutes ad regnum conſequendum, in eo quod ſe dicit: *Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & Sanctæ ſpei:* quodque in ſe ſit *gratia omnis viæ & veritatis:* nam quis ſine via perveniat? aut ſine veritate verum animæ finem, & portum aſſequatur? Et ne quis exiſtimet quòd ipſe prior ele-

S. Auguſtinus.

or elegerit Virginem in patronam, cum ab eâ electus ſit ante in clientem, & præventus in amando: *Tranſite*, inquit, *ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini*. Invitat igitur ipſa prior ad ſeſe; & ad hoc allicit, ut genitum ex ſe regeneret in cordibus noſtris, eò quod non ſolum genuerit filium intra, & extra uterum; ſed eundem ipſum parturit, & format in mentibus clientum ſuorum: qua in re Deum Patrem imitatur, qui apud ſe filium genuit; & rurſus extra ſe cùm introduxit illum iterum in orbem terrarum, cumq; facit illum acceptari à quibuſdam; qui credendo, amandoque Chriſtum concipiunt in cordibus ſuis: quod ſi fortaſſe malimus dum vel hoc ipſum Beatæ Virgini obſequium præſtamus, in eo quod oſtendimus ejus cultum, eſſe prædeſtinationis ſignum; ſi malimus, inquam, ex ipſâ Dei Genitrice intelligere; quòd nos in hoc obſequij genere verſantes, maneat gloria ſempiterna; Audiamus ita proloquẽtem: *qui elucidant me vitam æternam habebunt*: hoc eſt igitur oraculum Virginis, ipſa teſtatur quòd conjectura aſſequi conamur, & ait: qui elucidant me vitam æternam habebũt: faciuntque mihi ſpem hæc verba; ſcrutanti vitam Virginis. Nam cui credamus, ſi Mariæ non habemꝰ fidem? Ipſa dicit pura, & ſimplex, ſine dolo, & veritatis Magiſtra: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt* Ecquid enim eſt aliud id quod ago; ô Dei Genitrix Maria, dum te magnum prædeſtinationis augurium, ac omen prædico, dum reliquas undecim ſtellas, quæ verticem tuum ambiunt perſcrutari apparo (& ut pro dignitate faciam ipſa ſuggeret)

quid a-

quid ago, dum hoc ago? nonne hoc, ut elucidem te? & reddam (ſi fieri poſſit) hominibus illuſtriorem? Teneo verbum tuum Maria, & abſcondo illud intra mentis meæ ſinus, ibi depono; ut cum hora ultima ingruet, & reddēda mihi erit ratio filio tuo, de multis, quorū, proh dolor! nulla eſt ratio; depromam illud, & exhibebo promiſſionem tuam, & non falles ſpem meam, quam habeo in te, & de te ô Maria! in eo quod aperies mihi venam vitæ, fontem lachrymarum, quibus abluam mala mea, & miſeriam meam, ſuſpirantem ad miſericordiam tuam. Atque ut major ſit Clientulorum de magnæ hujus patronæ præſidio, fiducia; ea etiam quæ capite 8. de ſapientia habentur in parabolis Salomonis, Eccleſia in ſolemnitate Beatæ Virginis ad Nives eidem accomōdat, quæq; filij ſunt propria benè annuente filio, cum Matre communicat. Nam quis diffidat de obtinenda venia, ſi eam, quam colit, & omni quo poteſt ſtudio proſequitur, ſic loquentem audiat: *Beatus homo qui audit me, & qui vigiliat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtij mei, qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*: quibus verbis quid clarius, aut expreſſum magis dici poteſt? *Parabola Salomonis.*

§. IIII.

Oſtenditur idipſum ex eo, quòd Beata Virgo ſingulariter in hora mortis aſſiſtat.

VErum enim verò omittamus hoc ipſum, mul-
toque magis conjecturas; abſtineamus à fi-
guris, non accerſamus aliunde rationum mo-
menta, quibus domi abundamus: etenim ſi Eccleſiæ
inſtitutio, & Spiritus Sancti per Scripturas ſacras o-
raculo conſtat Beatæ Virginis favor in diuortio ani-
mæ à corpore; nonnè magnum ſatis habemus ar-
gumentum Virginis cultum eſſe prædeſtinationis
ſignum? Nam ſi ipſa ſingulariter in confinio vitæ,
& mortis interpellatur, & præſto eſt; ſatis eſt mani-
feſtum Mariam ſummæ rei præpoſitam, & quaſi
conſtitutam à Deo Conſilij præſidem, vel ſacram
quandam anchoram, quæ ſit navigantium perfu-
gium ultimum in periculo horrendi illius naufra-
gij, ex quo ſi quos, nonnè potiſſimum clientes ſuos
ereptura eſt? adeoque Virginis cultus, apertum eſt
prælectionis ad gloriam indicium: Quod igitur
Eccleſia facit, videlicet ut vitæ occaſum Dei Geni-
trici commendet, etſi ſatis per ſe poſſit eſſe ad fidem
faciendam; hoc eſt Virginis clientes ab eâ jure poſ-
ſe præſidium expectare: Attamen unde Eccleſia e-
doceri de hoc potuerit, ut Virginem in horâ mortis
deprecatricem aſſiduè interpellet audiamus: Virgi-
nis hujus filius, de qua nobis ſermo, tantam Judicij
die appropinquante futuram prædixit eſſe trepida-
tionē, ut deſideraturi ſint homines, ut cadant mon-
Luc. 23. v. 30. tes ſuper eos; & colles operiant eos, unde porrò hic
tantus pavor, ut ab ipſis montibus obrui, & occuli
expetituri ſint miſeri mortales? non aliūde ſanè ar-
bitror, quam à venturâ irâ incutiendum eum timo-
rem, quem cum prævideret S. Joannes, præmone-
bat ut

Digitized by Google

bat ut fugerent ab irâ venturâ; quod ſi hic Dei furor & indignatio marinis fluctibus ſimilis habetur â S. Job, cum dicat: quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum; & natura ferocienti mari objecit mõtes ne terram obruat; ſatis indicavit nobis Deus; quo veluti obice refrænanda ira ſua ſit; hoc eſt imploratione Mariæ, quæ mons eſt ſupra verticem montium; etenim exaltata eſt ſuper choros Angelorum. Ergo inundanti iræ Dei, jam jamque peccatores abſorbere paranti obviat Maria, ſeque inter Dei minas, & nos, aggeris inſtar mediam locat, iramque Dei æſtuantem in placidam, & tranquilliſſimam vertit benevolentiam. O quæ tunc afflictiſſimo homini, & vehementer trepidanti; cùm interveniente Dei Matre, ereptus fuerit ex ijs anguſtijs, jucunda, grataque futura eſt reſpiratio? Nam quis expertus aliquando non eſt, cùm intercluſis oris & narium meatibus, reſpirandi facultas non conceditur, quæ tunc homini anguſtiæ ſint, quis pavor, quis naturæ eluctari conantis angor, & trepidatio; ne ſi tantillum adhuc impediatur halitus, ſpiritus ipſe elidatur? Videmus in brutis, quæ ſuffocantur; videmus in hominibus, qui ſuſpendio extinguuntur, quantum captandæ auræ, animantia quæque ſollicita ſint. Hoc igitur pacto anhelanti homini ad ſalutem, Deique amicitiam, quem ſibi iratum ſentit, jam jamque poſtremam perniciem minitantẽ, præſto adeſt Maria, & fugientem è corpore halitum revocat, & ſemianimem fovet, & non ad vitam modo, ſed ad gloriam, & gaudia perducit Maria, æterna. Nonne igitur opitulatricem hanc, reſpirationis

C. 38. v. 11. [margin note]

Iſaia 2. 2. Greg. 1. Reg. cap. 1.

inſtar,

Chriſtus Cruci ſuffixus habebat; hoc eſt ipſum facie ad Orientem ſpectaſſe ut Alenſis, vel, ut Damaſcenus ad occidentem; utraque tamen ſententia non diſcrepat in eò, quod Beata Virgo latus illud Crucis ſtipaverit, quod erat ad ſeptentrionem. Nam Alexander Alenſis cum Chriſtũ tunc obverſum orienti fuiſſe dicat; Virginem etiam à ſiniſtris collocat: At Damaſcenus, qui ad occidẽtem è cruce proſpectum eſſe aſſerit; ſtatuit illam à dextris. Vt videatur apud hos Patres, illud certum & fixum fuiſſe, ut oportuerit Beatam Virginem id latus Chriſti morientis ſtipare, quod reſpiciebat ad ſeptentrionem: eaque ſuâ ſtatione ſignificaſſe Mariam, ſe protecturam moribundos contra Aquilonem, ſeu Dæmonem; qui dixit: ſedebo in lateribus Aquilonis, ut quamvis ex eâ parte irruat turbo vehemens, ac inſidioſus; attamẽ pia Mater quaſi oppoſitu corporis ſui, defendat nos, & horâ mortis ſuſcipiat. An legiſtis fortaſſe nunquam, quid de ſerpente illo antiquo, & veteratorio prædictum à Deo ſit; futurum quidem ut inſidietur calcaneo, ideſt extremis noſtris; ſed verò legere ibidem potuiſtis, quod ipſa, ideſt Dei Mater Maria cõteret caput ejus, ne virulento ſuo afflatu nocere valeat. Atteſtatur ipſe huic ſpei noſtræ Deus Pater: quippè dixiſſe fertur Sanctæ Catharinæ Senenſi (ut legere eſt apud Bloſium) in hæc verba: Mariæ vnigeniti mei glorioſæ Genitrici; à bonitate meâ conceſſum eſt propter incarnati verbi reverentiam, ut quicunq; etiam peccator ad eam cum devotione recurrit, nullo modo decipiatur à Dæmone infernali, hæc enim eſt præparata, electa, & poſita tanquam

Damaſcen. lib. 4. de fide exhodoxa c. 13. ſedulio l. 4 carminum Beda in Lu. 23.

L. 4. c. 13.

Iſai. 14. 13.

S. Catharin. Bloſius conſolatio parte ſecunda, cap. 1.

Digitized by Google

eſca dulciſſima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum: ô ſolatium inenarrabile! o inæſtimabilis pretij pignus, nam quando unquã major inſtat neceſſitas, quàm cum vaferrimus Sathan modicum tempus ſupereſſe videt, & omnes technas ſuas exerit, ut animam è corpore exeuntem circumveniat, & abſorbeat! Atqui (Deo Patre teſte) nemo, qui recipit ſe in tutelam illius, quæ meritiſſimò refugium peccatorum dicta eſt, nemo, inquam, decipitur à Dæmone infernali; quod ſi decipitur nemo Virginis cliens à Dæmone, cum ſupremum inſtat; & omnium maximum periculum; omnis etiam Virginis Cliens certam habet ſalutis ſuæ arrham. Quid ergo? truculẽtus licet, & ſæviſſimus ſit Satan, milleque nocendi calleat artes; confidamus tamen, fiduciæ enim anſam de Matre ſuâ, porrigit nobis ipſe Deus ejus filius. Allatret inferni canis, captetq; prædam animam meam, atque inſidietur calcaneo meo, ſeu extremis vitæ; non diffidam, quia Virgo humillima inimica eſt Regi ſuper omnes filios ſuperbiæ, & ipſa conteret caput ejus. Nonne hujus rei paradigma exhibuit nobis memorata Eſther; cum enim jam penderet edictum Suſis, & literæ miſſæ eſſent de Judæis paſſim internecione delendis; ipſa procidit ad pedes Regis, & deprecabũda dixit; *quomodo ſuſtinere potero necem, & interfectionem populi mei?* videte viſcera charitatis; audite verba ſollicitæ matris, & avidè flagitantis; *quomodo*, inquit, *potero ſuſtinere necem, & interfectionem populi mei?* quod ſi etiam velimus ſpectare Mariam, in Eſthere repellentem ab animabus noſtris Zabulon; videamus quo

Iob. 41. 25.

Eſth. 8. 6.

Zelo,

Zelo, animique fortitudine, mitiſſima alioqui Regina, & pacis modeſtiæque amantiſſima pro Mardochæo, & populo exarſit in Amon cum dixit: *hoſtis peſſimus iſte eſt Amon:* nullum fulmen mihi credite, ita ipſum percellere, ejuſq; machinationem diſijcere potuiſſet, quantùm ejaculatum verbum valuit ferire ſaluti inſidiantem hoſtem acerrimum; quantâ porrò exultare lætitiâ animam illam credamus, quæ infernalis accipitris unguibus pæne tenebatur, & patrocinante Mariâ, eripitur è manibus, & incolumis cuſtoditur? ergo ſi iratum tibi Deum ſentias, & vultum Judicis vehementer reformidas, ne quæſo actum de ſalute tuâ putes; quia intercedet Virgo furori ejus, & ſedabitur ira, idcircò enim illam Deus donis, & gratijs adeo cumulavit, ut habeat remittendi injurias, ac ſcelerum pœnas, promptiſſimam cauſam. Et quidem, referente Ezechiele, libenter indulſiſſet olim Deus hominibus, ſed qui ſe ei opponeret non invenit. *Quæſivi*, inquit, *de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſipem eam, & non inveni, & effudi ſuper eos indignationem, in igne iræ meæ conſumpſi eos.* Sed nūquid oblivìſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira miſericordias ſuas? non diſſimulet pietas divina, & quando virum non invenit, qui ſe opponat pro Domo Dei; fœminam quærat, quæ obſiſtat iræ ſuæ, & quam aliam ad ſe placandum magis idoneam reperiet, quàm Matrem, neq; difficile fuerit eam reperire; obviabit enim illi, tanquam Mater honorificata; imò cum ſollicita ſit ipſa pro nobis quæret, & diſcurret anxia pro nobis: & verò, cum invenerit,

Cap. 7. 6.

C. 22. v. 30.

Pſ. 76. 10.

 quem

Eccl. 15. 2. *quem diligit anima ſua non dimittet, donec benedixerit nobis :* & quamvis Moyſi dixerit, *dimitte me, ut iraſcatur furor meus, contra eos, & deleam eos :* Neutiquam hoc dicturus eſt Matri : hoc enim adinvenit pietas Dei, ut ſalvâ etiam juſtitiâ, miſereretur hominum ; nam ſi juſtitia Dei vindex hoc exigit, ut de facinoribus pænæ ſumantur ; pars tamen juſtitiæ quædam eſt ; ut preces Matris, non reſpuantur. Vnde miro modo ſervatâ juſtitiæ integritate, dum parcit ob Matris preces, juſtitiam exercet ; quoniam pietas erga Matrem, juſtitia quædam eſt. Quare ut quantum præſidium in Dei Matre collocatum habeamus, melius intelligamus, ita volo nos exiſtimare de Beata Virgine : ipſam in articulo temporis illius, omnium difficillimi ; cum videlicet de ſumma rerum agitur ; inter peccatorem, & Deum vindicem malorum : non oppoſituram meras preces, & officioſas duntaxat deprecationes ; verùm (ut ita dicam) interpoſituram authoritatem, & cauſæ ſuæ æquitatem. Cum enim ipſa Mater Regis ſit, regiâ dignitate potitur ; interpellat igitur pro nobis non modò ut oratrix ſeu deprecatrix ; ſed ut advocata ; hoc eſt allegat pro cauſa noſtra ; rationes ex æquitate juris ſui petitas, quarum potiſſima illa eſt ; quod Mater ſit Judicis, & hoc deberi ſibi obtendit à filio : Adde, (quod ſanè minus non eſt) cum Filius ſit aliquid Matris, ipſaq; hæc eadem Mater filium ſuum obtulerit in redemptionem generis humani, per id effecta eſt mediatrix, ac reparatrix noſtra ; quod ſi cum maxima inſtat neceſſitas, pretium ſangvinis filij ſui repoſcat, & periclitantibus nobis de vitâ, velit illud impertire

Cant. 3. Exod. 32.

tanquam

tanquàm litron, quo redimamur, aut ne venundemur teterrimo Satanæ; quî poterit negare filius jus ſuum exigenti, & poſtulanti Matri? Patiar videri me, uti exaggeratione, & uberius oratione, quàm res poſtulat ſuperfluere, niſi hoc ipſum, quod modò de Beatæ Virginis patrocinio authentico dixi ſacrarum literarum authoritate, corroboravero. Atque inprimis, non ignoratis, Judicia olim in portâ civitatum haberi ſolita fuiſſe; unde exſtat id proverbiorum 31. de fæmina forti elogium. *Nobilis in portis vir ejus cum ſederit cum Senatoribus terræ.* quòd ſi ita eſt, vos id ſcire; neque præterit illud: reorum videlicet patronos, jure plerumq; agere, etſi preces etiam intermiſcere ſoliti ſint. Cum igitur de Virgine noſtra ſcriptum ſit; quòd, *juxta portas Civitatis, & in ipſis foribus loquitur*: eò nimirum accedit ſtudio patrocinandi; quòd ſi cauſam agit, neutiquam deſerta eſt beneficio legum, & juris; & proinde Patronæ, & advocatæ nomen meritiſſimo ſortita eſt, quod nō ſolum preces interponat, quod eſt munus ſupplicis, ſed merita cauſæ profert, jus ſcilicet maternum; & pretium oblatum, atque hoc eſt; quod ait ſapiens; *Iuxta portas Civitatis in ipſis foribus loquitur*; hoc eſt in hora mortis, quæ eſt egreſſus ex hac vita, & ingreſſus in aliam; in illo limine & bivio ad dexterā, aut ad ſiniſtram; ibi loquitur, & rationum ſuarum momenta producit. Magna profectò namque ſunt hæc ad obtinendum quodvis, præſidia, ut meritò obtenta deinceps victoria, ipſa victrix, & triumphatrix de Satana dicat: *Melior eſt fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo*: quaſi dicat:

Proverb. 31.

Prov. 8.

Prov. 8.

non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati. 1. Petri 1.

Equidem gaudeo (Sodales) multa ſuppeditari hoc in genere favoris Mariani in ea hora, & ultimo diſcrimine, argumenta, quo etiam major exiſtat noſtra erga Dei Matrem fiducia. Eſt igitur Maria, ad ea quæ diximus: Civitas refugij ad quam cum lictores infernales, manus inijcere in nos attentaverint, (quod iminente obitu potiſſimum moliuntur) confugiamus. Hæc eſt Arca Noë, ut quando inundaverit diluvium illud *aquarum multarum;* per eam enavigemus ſuper omnes colles, & cælos uſque ad Empyreas ſedes. Hæc eſt virga Moyſis, quâ repente diviſum eſt mare rubrum; & facta via fuit populo electo, ut eriperetur â ſtrage, & internecione. quam pulchro, divinæ literæ ſchemate hanc Beatæ Virginis præſtantiſſimam opitulationem in opportunitate, per id factum expreſſere! Iminebat tergo feroeiſſimus Pharao cum exercitu ſuo anhelantium ad direptionem, ac cædem populi totius Iſraelitici, inſtabat mare rubrum, & fugam omnem intercludebat: ô quæ tunc erant anguſtiæ populo Dei; cum illinc quidem currus Pharaonis inſtarent; fremitus equorum exaudirentur, & minaces vultus poſtremam perniciem ſpirantes conſpicerētur, & hinc via omnis evadendi â maris vaſtitate intercepta eſſet. At profectò longè major affligit anxietas animam in confinio vitæ, & mortis poſitam, cùm vitæ quidem nulla amplius ſpes ſupereſt, & teterrimus Satan inſtat ut in ruinam impellat, ac deſperationis abyſ-

ſum,

ſum. Verùm enim verò gaudete, Sodales; nam arripuit Moyſes Virgam, cujus attactu divulſæ ſunt aquæ, & Iſraëlitæ *mirabile conſecuti ſunt iter ut invenirentur illæſi in aquis validis, etenim terra apparuit arida, & in mari rubro via ſine impedimento.* Cumq; nos etiam ſimile quiddam, appetente jam morte experiemur; cùm patrocinante Dei Matre repellentur Dæmonis inſidiæ, atq; ex turbulentiſſimo ſtatu, & omnium maximo diſcrimine traducemur in amœniſſimam regionem, lætiſſimamq; rerum faciem. *Ridebit in noviſſimo fœmina fortis:* hoc eſt clientes ſuos graviſſimo timore perculſos, mœrentesq; adducet in Jubilum, inenarrabilemq; lætitiam, & ridere faciet. Sap. 19. v. 7. Prob. 31.

Hic ego (Sodales) opinari facilè poſſum, vos quidem, qui Mariam ſub velo figurarum latitatem, atq; adeò hactenus ſolùm quandam ejus ſtudij, quo proſequitur moribundos, umbrã conſideratis; jam vos (inquam) arbitror cupere in ſe ipſa expreſſam, non aliâ quapiam in re delineatam, videre Mariam. Atq; ego quidem hujus Marianæ pietatis paradigma quoddam ſi modo animo diſpiciatis; ita luculentum, teſtatumq; exhibebo, ut oculis ipſis, benignitatem Matris, & ſupereffluentem miſericordiam, videre vobis videamini, atque ita ut nefas eſſe quam maximum cenſeatis, de Virgine hac vel tantillum aliquid velle diffidere, cùm habeat tam dulcia, & explicata viſcera ſuæ beneficentiæ ad omnes in quovis etiam eventu, qui opportunus ſit ad ſubveniendum: ex quo facilè demum conijciatis, quantò magis ſuper impenſura ſit ſeipſam, cùm ſumma inſtabit neceſſitas ad evitandam poſtremam, maximam-

que o-

ed by Google

que omnium calamitatem. En igitur Sodales mei; nam referente Joanne Apoſtolo; *nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat Mater IEſu ibi, vocatus eſt autem, & IEſus, & diſcipuli ejus ad nuptias.* exiſtimatis quod per Mariæ preces ſubventum ſit inopiæ vini, hoc eſſe quod velim dicere? imò iſtud ipſiſſimum eſt: *deficiente vino* (refert Evangeliſta) *dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent:* qua in re, tanta Beatæ Virginis mihi intermicat pietas, dulcedo, teneritudo cordis, denique maternitas, ut edicere ſatis non valeam; Hoc enim perpendo, quod prudentiſſima Virgo, & unà Miſericordiæ Mater; ſollicita fuerit, caveritque, ne quid etiam corporalis alimoniæ deeſſet; & ubi intellexit aliquid deſiderari, non dubitarit filio ſuo, & Deo ſuggerere, quid? videlicet illud: *vinum non habent:* Atqui hoc modicum eſt, dixerit aliquis; bibant aquam ſi vinum non habent; ſed Mater inquit amabiliſſima: Nuptiæ ſunt, invitati adſunt, erubeſcerent, qui invitarunt, fieretque non modica inter convivantes animorum ægritudo, atque tædium; & ego depreſſos mœrore vultus, videre non ſuſtineo: *Vinum non habent:* & quod nõ habent hoc à te peto Fili, petijt, impetravit, non abundans ſolùm, ſed eo etiam, quod hactenus bibebant, multò pretioſius. Atq; ego quidem ſic arbitror, Sodales, ut quoniam primum, in hac commutatione aquæ in vinum, interpellante Matre ſuâ miraculum edidit divinâ virtute Chriſtus; voluiſſe etiam per id declarare, quantum apud ſe Mater ſua poſſet; & ſi ad ſitim reſtinguendam; vel potius ad erubeſcentiam aliquam declinandam, agente Matre, na-

Ioan. 3.

træ, naturæ vires exceſſit; ita facilè futurum, ut eadem procurante, quam plures ruborem illum evadant, quo vehementiſſimè percelluntur ij, qui damnationis ſuæ ultimam, ac peremptoriam ſententiam excipiunt: ſicq; fore, ut intolerabilem (heu ſitim) quam ex amiſſione ſummi boni, inter ardores inferni perpetiuntur damnati; Mariæ clientes ejuſdem Patronæ precibus; reſtinguant. Hoc à ſe expectare vult Maria eos, qui in ejus ſunt contubernio; ait enim Evangeliſta: *Et erat Mater Ieſu ibi*: hoc per Matrem ſuam effecturum ſe ſignificavit Chriſtus, in eo quod Matris ſuæ faciem non avertit. Et verò die illâ, quando Societate Virginis ſacræ perfruemur in cælo, inter gratiarum actiones dicere ei poterimus. Magna quidem fuit pietas tua, ò Mater Dei noſtri, qui eſt beatitudo noſtra, cùm illos convivas in Cana Galileæ ab erubeſcentia, & ſiti vendicaſti, ſed hoc ſuperat abundantiam pietatis tuæ, quòd præſtitiſti nobis dum pietate tuâ prævenisti ſitim illam, ſitim felicitatis æternæ; ſitim, quam incendia barathri vehementer accendunt, erubeſcentiamq; illam prævertens avertiſti à vultibus noſtris, cùm incorrecta malitia, & damnata pravitas toti mũdo innotuiſſet.

Et quando ex eis, quæ hactenus dicta ſunt, non ſatis adhuc Beatæ Virginis teſtata pietas eſſet, ac virtus; innumera liceret afferre exempla, & fide digniſſimas narrationes de Virgine, quòd ſæpiſſimè moribundis adeſſe viſa ſit: & ut omnia cætera omittam, & nominatim illa, quæ Cæſarius libro 7. exemplorum recenſet: unum attingam quod refert Illuſtriſſimus annalium ſcriptor Baronius Tomo vnde- *Cæſarius* *Baronius.*

K cimo,

cimo, & hoc eſt: Fulberto Carnotenſi Epiſcopo (ô pietatem!) Fulberto, inquam, in extremis conſtituto; illa ipſa, quæ infanti JESV, & filiolo ſuo præbuerat ſugenda, Fulberto morienti, exhibuit ubera Dei Mater Maria; quid amplius deſideremus; quod majus â Virgine ſolatiũ, præſidiumvè expectemus; lactor & ego, recordatione hujus facti, & quadam mens mea ſpiritus teneritudine liqueſcit, eoq; magis quod ſubit animum meminiſſe, etiam in lectulum, & in ſinum Noſtri Stanislai Koſtkæ ingeſtum, ab eadem amantiſſima Matre; Jeſulum ſuum; ut nihil jam velut a Virginis hujus pietate, ac dulcedine alienum, ſperare non poſſimus; atq; veriſſimum id eſſe, & compertum, exploratumq; haberi, quod

4. part. tit. 15. c. 14. §. 7.

Anſelmus ab Antonino nominatus; ait: *neceſſarium* videlicet *eſſe ut ij, ad quos converterit oculos Beata Virgo: pro eis advocans; juſtificentur, & glorificentur* ſed quid oculos dicam? dum medullam vberum ſuorum lac, inquam, Virgineum exſugendum afferat clientibus ſuis, quò in vitam alantur ſempiternam. Vultis ut faciam oculis ipſis, vos videre Beatam Virginem reducentem è faucibus inferi peccatorem, quibus jam jam ob delicta ſua immergendus erat?

Thomas Cātiprat.

Attendite: *hoc fere tempore,* inquit Thomas Cantipratenſis, libro 2. vitæ S. Ludgardis, *Dominus Innocentius Papa Tertius, poſt celebratum lateranenſe Concilium ab hac vita migravit moxq; apparuit viſibiliter Ludgardi: Illa autem, ut vidit eum ingenti flammâ cinctum, quiſnam eſſet percunctatur. Reſpondit ſe eſſe Innocentium Pappam. At illa cum gemitu: quid hoc eſt, inquit: communem omnium noſtrum Patrem, tam dirè cruciari? reſpondit*

ſpondit ille: Tres ob cauſas ita crucior quæ etiam æternis ſupplicijs me juſtiſſimè addixiſſent, niſi; quid niſi? Audite, quid interceſſerit; ne Innocentius Tertius æternùm damnaretur, neve abſque ſpe videndi Deum ullâ; æternis apud inferos, cum Dæmonibus mactaretur ſupplicijs: *niſi*, inquit, *per interceſſionem piiſſimæ Matris Dei, cui Monaſterium condidi, in extremis me pœnituiſſet.* Et addidit: *quod etiam ad te ſuffragia petiturus venire potui, idipſum mihi à ſuo filio miſericordiæ Mater impetravit.* Ergo Maria, & ne damnaretur effecit, & purgatorij pœnas mitigavit, ſed illi, â quo conditum ſibi fuerat monaſterium. & fieri poterit, ut obſequia, quæ ipſi præſtamus, & præſtituri deinceps ſumus, irremunerata prætereat? Nunquam id ejus patietur pietas, nõ ferent ejus viſcera; ſed commovebuntur ſuper miſeria noſtra magna nimis, & id quod ab eâ indeſinenter petimus, faciet, orabitq; pro nobis, nunc, & in hora mortis noſtræ. O Deus creator animæ noſtræ non eramus, & conditi ſumus abs te, quantumvis nos impij, rebelles, & ingrati legem tuam prætergreſſi ſumus: attamen tui ſumus. O Deus, in quem credimus, quem timemus. Tu dixiſti: *Ite ad ſervum meum Iob, & faciem ejus ſuſcipiam.* Cap. 42.
Nunquid ſi iverimus ad Matrem tuam Mariam, faciem ejus non ſuſcipies? ſuſcipiet, ſuſcipiet. Et hæc tota ratio fiduciæ meæ. Salve igitur Regina, mater miſericordiæ, vita dulcedo, & ſpes noſtra ſalve.

LIBER SECUNDUS.

De maximis duobus illicijs ad imitandam B. Dei Genitricem MARIAM, hoc est Maternitate Dei; & Virginitate.

ETsi ea, quæ primo libro præsertim cap. 3. de cultu B. Virginis diximus, quòd videlicet id sit prædestinationis signum, magnum addere possint calcar, non ad implorandum modò Dei Genitricis auxilium; sed etiam ad ejus mores, virtutesq; imitandas: potissimùm tamen eò spectãt, ut spe tanti præsidij, quod exspectari ab ea potest, ad prehensandam ejus clientelam invitent, & opem. quòd si etiam stimulare ad imitandum possunt, hoc quodammodo consectaneum est illi, & non præcipuus ejus disputationis scopus; ut necessarium proinde videatur eorum meminisse nunc, quæ propria sunt imitationis argumenta, hoc est, ut authoritas exemplo non desit; & ad hoc persona hujusmodi sit quæ amore dignissima habeatur. Quæ duo mirificè nobis obveniunt ex cõsideratione Maternitatis Dei, atque Virginitatis MARIANÆ. Nam quid augustius illâ, quæ Deum peperit, aut quid amabilius eâ, quæ in partu Virgo permansit? Atqui sic omnes à natura comparati sumus, ut magnopere moveant nos exempla eorum, quos diligimus; accendamurque ad

Digitized by Google

que ad imitandos eos, quos magni facimus. Et neutrum deeſt humani generis delitio; non intemerata Virginitas ad benevolentiā; Nec Matris Dei majeſtas ad reverentiā, æſtimationemq; ei cōciliandam.

CAPVT I.

De admirabili, ac ſingulariſſimo, in una eademq; muliere S. MARIA Maternitatis, ac Virginitatis complexu, & nexu.

§. 1. Ratio methodi, quæ tenetur in expoſitione tanti myſterij.

§. 2. De primo Symbolo in prima mundi creatione, & reſtauratione, in luna, ſole, primo homine, & Melchiſedecho.

§. 3. De ſecundo Symbolo in Virga Aaronis, ſceptro Ioſephi tabulis Moyſis, vellere Gedeonis, & Mana.

§. 4. De 3. ſymbolo in monte de quo ſine manibus abſciſſus eſt lapis, in Rubo ardente, in ſolio eburneo, porta Ezechielis, & arca fœderis.

§. 5. De quarto Symbolo in lilio convallium, verme, Abiſag, & acervo tritici.

§. 6. De quibusdam prænotionibus futuræ Virginis, & matris apud Ethnicos exſtantibus.

§. 7. De Symbolo quinto in Arca Noe.

§. 8. De Symbolo ſexto in Cunis Moyſis.

§. 9. De Symbolo ſeptimo in fœminis ſterilibus.

§. 10. Ex occaſione fœminarū ſterilium fit digreſſio ad triplicem ſtatū animæ Chriſtianæ ſeu Deo cōjugatæ.

§. 11. De ſymbolo octavo in oraculis prophetarum.

Eccl. 15. 2. *quem diligit anima ſua non dimittet, donec benedixerit nobis* : & quamvis Moyſi dixerit, *dimitte me, ut iraſcatur furor meus, contra eos, & deleam eos* : Neutiquam hoc dicturus eſt Matri : hoc enim adinvenit pietas Dei, ut ſalvâ etiam juſtitiâ, miſereretur hominum ; nam ſi juſtitia Dei vindex hoc exigit, ut de facinoribus pœnæ ſumantur ; pars tamen juſtitiæ quædam eſt ; ut preces Matris, non reſpuantur. Vnde miro modo ſervatâ juſtitiæ integritate, dum parcit ob Matris preces, juſtitiam exercet ; quoniam pietas erga Matrem, juſtitia quædam eſt. Quare ut quantum præſidium in Dei Matre collocatum habeamus, melius intelligamus, ita volo nos exiſtimare de Beata Virgine : ipſam in articulo temporis illius, omnium difficillimi ; cum videlicet de ſumma rerum agitur ; inter peccatorem, & Deum vindicem malorum : non oppoſituram meras preces, & officioſas duntaxat deprecationes ; verùm (ut ita dicam) interpoſituram authoritatem, & cauſæ ſuæ æquitatem. Cum enim ipſa Mater Regis ſit, regiâ dignitate potitur ; interpellat igitur pro nobis non modò ut oratrix ſeu deprecatrix ; ſed ut advocata ; hoc eſt allegat pro cauſa noſtra ; rationes ex æquitate juris ſui petitas ; quarum potiſſima illa eſt ; quod Mater ſit Judicis, & hoc deberi ſibi obtendit à filio : Adde, (quod ſanè minus non eſt) cum Filius ſit aliquid Matris, ipſaq; hæc eadem Mater filium ſuum obtulerit in redemptionem generis humani, per id effecta eſt mediatrix, ac reparatrix noſtra ; quod ſi cum maxima inſtat neceſſitas, pretium ſangvinis filij ſui repoſcat, & periclitantibus nobis de vitâ, velit illud impertire

Cant. 3. Exod. 32.

tanquam

tanquàm litron, quo redimamur, aut ne venundemur teterrimo Satanæ; quî poterit negare filius jus ſuum exigenti, & poſtulanti Matri? Patiar videri me, uti exaggeratione, & uberius oratione, quàm res poſtulat ſuperfluere, niſi hoc ipſum, quod modò de Beatæ Virginis patrocinio authentico dixi ſacrarum literarum authoritate, corroboravero. Atque inprimis, non ignoratis, Judicia olim in portâ civitatum haberi ſolita fuiſſe; unde exſtat id proverbiorum 31. de fæmina forti elogium. *Nobilis in portis vir ejus cum ſederit cum Senatoribus terræ.* quòd ſi ita eſt, vos id ſcire; neque præterit illud: reorum videlicet patronos, jure plerumq; agere, etſi preces etiam intermiſcere ſoliti ſint. Cum igitur de Virgine noſtra ſcriptum ſit; quòd, *juxta portas Civitatis, & in ipſis foribus loquitur*: eò nimirum accedit ſtudio patrocinandi; quòd ſi cauſam agit, neutiquam deſerta eſt beneficio legum, & juris; & proinde Patronæ, & advocatæ nomen meritiſſimo ſortita eſt, quod nõ ſolum preces interponat, quod eſt munus ſupplicis; ſed merita cauſæ profert, jus ſcilicet maternum; & pretium oblatum, atque hoc eſt; quod ait ſapiens: *Iuxta portas Civitatis in ipſis foribus loquitur*; hoc eſt in hora mortis, quæ eſt egreſſus ex hac vita, & ingreſſus in aliam; in illo limine & bivio ad dexterã, aut ad ſiniſtram; ibi loquitur, & rationum ſuarum momenta producit. Magna profectò namque ſunt hæc ad obtinendum quodvis, præſidia, ut meritò obtenta deinceps victoria, ipſa victrix, & triumphatrix de Satana dicat: *Melior eſt fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo*, quaſi dicat:

Proverb. 31.

Prob. 8.

Prob. 8.

non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. 1. Petri 1.

Equidem gaudeo (Sodales) multa suppeditari hoc in genere favoris Mariani in ea hora, & ultimo discrimine, argumenta, quo etiam major existat nostra erga Dei Matrem fiducia. Est igitur Maria, ad ea quæ diximus: Civitas refugij ad quam cum lictores infernales, manus inijcere in nos attentaverint, (quod iminente obitu potissimum moliuntur) confugiamus. Hæc est Arca Noë, ut quando inundaverit diluvium illud *aquarum multarum*; per eam enavigemus super omnes colles, & cælos usque ad Empyreas sedes. Hæc est virga Moysis, quâ repente divisum est mare rubrum; & facta via fuit populo electo, ut eriperetur â strage, & internecione. quam pulchro, divinæ literæ schemate hanc Beatæ Virginis præstantissimam opitulationem in opportunitate, per id factum expressere! Iminebat tergo ferocissimus Pharao cum exercitu suo anhelantium ad direptionem, ac cædem populi totius Israelitici, instabat mare rubrum, & fugam omnem intercludebat: ô quæ tunc erant angustiæ populo Dei; cum illinc quidem currus Pharaonis instarent; fremitus equorum exaudirentur, & minaces vultus postremam perniciem spirantes conspicerētur, & hinc via omnis evadendi â maris vastitate intercepta esset. At profecto longè major affligit anxietas animam in confinio vitæ, & mortis positam, cùm vitæ quidem nulla amplius spes superest, & teterrimus Satan instat ut in ruinam impellat, ac desperationis abys-

sum,

Digitized by Google

ſum. Verùm enim veró gaudete, Sodales; nam arripuit Moyſes Virgam, cujus attactu divulſæ ſunt aquæ, & Iſraëlitæ *mirabile conſecuti ſunt iter ut invenirentur illæſi in aquis validis, etenim terra apparuit arida, & in mari rubro via ſine impedimento.* Cumq; nos etiam ſimile quiddam, appetente jam morte experiemur; cùm patrocinante Dei Matre repellentur Dæmonis inſidiæ, atq; ex turbulentiſſimo ſtatu, & omnium maximo diſcrimine traducemur in amœniſſimam regionem, lætiſſimamq; rerum faciem. *Ridebit in noviſſimo fæmina fortis:* hoc eſt clientes ſuos graviſſimo timore perculſos, mœrenteſq; adducet in Jubilum, inennarrabilemq; lætitiam, & ridere faciet. Sap. 19. v. 7. Prov. 31.

Hic ego (Sodales) opinari facilè poſſum, vos quidem, qui Mariam ſub velo figurarum latitātem, atq; adeò hactenus ſolùm quandam ejus ſtudij, quo proſequitur moribundos, umbrā conſideratis; jam vos (inquam) arbitror cupere in ſe ipſa expreſſam, non aliâ quapiam in re delineatam, videre Mariam. Atq; ego quidem hujus Marianæ pietatis paradigma quoddam ſi modo animo diſpiciatis; ita luculentum, teſtatumq; exhibebo, ut oculis ipſis, benignitatem Matris, & ſupereffluentem miſericordiam, videre vobis videamini, atque ita ut nefas eſſe quam maximum cenſeatis, de Virgine hac vel tantillum aliquid velle diffidere, cùm habeat tam dulcia, & explicata viſcera ſuæ beneficentiæ ad omnes in quovis etiam eventu, qui opportunus ſit ad ſubveniendum: ex quo facilè demum conijciatis, quantò magis ſuper impenſura ſit ſeipſam, cùm ſumma inſtabit neceſſitas ad evitandam poſtremam, maximamque o-

que omnium calamitatem. En igitur Sodales mei; nam referente Joanne Apoſtolo; *nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat Mater IEſu ibi, vocatus eſt autem, & IEſus, & diſcipuli ejus ad nuptias.* exiſtimatis quod per Mariæ preces ſubventum ſit inopiæ vini, hoc eſſe quod velim dicere? imò iſtud ipſiſſimum eſt: *deficiente vino* (refert Evangeliſta) *dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent*: qua in re, tanta Beatæ Virginis mihi intermicat pietas, dulcedo, teneritudo cordis, denique maternitas, ut edicere ſatis non valeam; Hoc enim perpendo, quod prudentiſſima Virgo, & unà Miſericordiæ Mater; ſollicita fuerit, caveritque, ne quid etiam corporalis alimoniæ deeſſet; & ubi intellexit aliquid deſiderari, non dubitarit filio ſuo, & Deo ſuggerere, quid? videlicet illud: *vinum non habent*: Atqui hoc modicum eſt, dixerit aliquis; bibant aquam ſi vinum non habent; ſed Mater inquit amabiliſſima: Nuptiæ ſunt, invitati adſunt, erubeſcerent, qui invitarunt, fieretque non modica inter convivantes animorum ægritudo, atque tædium; & ego depreſſos mœrore vultus, videre non ſuſtineo: *Vinum non habent*: & quod nō habent hoc à te peto Fili, petijt, impetravit, non abundans ſolùm, ſed eo etiam, quod hactenus biberant, multò pretioſius. Atq; ego quidem ſic arbitror, Sodales, ut quoniam primum, in hac commutatione aquæ in vinum, interpellante Matre ſuâ miraculum edidit divinâ virtute Chriſtus; voluiſſe etiam per id declarare, quantum apud ſe Mater ſua poſſet; & ſi ad ſitim reſtinguendam; vel potius ad erubeſcentiam aliquam declinandam, agente Matre, na-

Joan. 3.

træ, naturæ vires excessit; ita facilè futurum, ut eadem procurante, quam plures ruborem illum evadant, quo vehementissimè percelluntur ij, qui damnationis suæ ultimam, ac peremptoriam sententiam excipiunt: sicq; fore, ut intolerabilem (heu sitim) quam ex amissione summi boni, inter ardores inferni perpetiuntur damnati; Mariæ clientes ejusdem Patronæ precibus; restinguant. Hoc à se expectare vult Maria eos, qui in ejus sunt contubernio; ait enim Evangelista: *Et erat Mater Iesu ibi*; hoc per Matrem suam effecturum se significavit Christus, in eo quod Matris suæ faciem non avertit. Et verò die illâ, quando Societate Virginis sacræ perfruemur in cælo, inter gratiarum actiones dicere ei poterimus. Magna quidem fuit pietas tua, ò Mater Dei nostri, qui est beatitudo nostra, cùm illos convivas in Cana Galileæ ab erubescentia, & siti vendicasti, sed hoc superat abundantiam pietatis tuæ, quòd præstitisti nobis dum pietate tuâ prævenisti sitim illam, sitim felicitatis æternæ; sitim, quam incendia barathri vehementer accendunt, erubescentiamq; illam prævertens avertisti à vultibus nostris, cùm incorrecta malitia, & damnata pravitas toti mũdo innotuisset.

Et quando ex eis, quæ hactenus dicta sunt, non satis adhuc Beatæ Virginis testata pietas esset, ac virtus; innumera liceret afferre exempla, & fide dignissimas narrationes de Virgine, quòd sæpissimè moribundis adesse visa sit: & ut omnia cætera omittam, & nominatim illa, quæ Cæsarius libro 7. exemplorum recenset; unum attingam quod refert Illustrissimus annalium scriptor Baronius Tomo undecimo,

Cæsarius *Baronius.*

 cimo,

cimo, & hoc eſt: Fulberto Carnotenſi Epiſcopo (ô pietatem!) Fulberto, inquam, in extremis conſtituto; illa ipſa, quæ infanti JESV, & filiolo ſuo præbuerat ſugenda, Fulberto morienti, exhibuit ubera Dei Mater Maria; quid amplius deſideremus; quod majus â Virgine ſolatiũ, præſidiumvè expectemus; lactor & ego, recordatione hujus facti, & quadam mens mea ſpiritus teneritudine liqueſcit, eoq; magis quod ſubit animum meminiſſe, etiam in lectulum, & in ſinum Noſtri Stanislai Koſtkæ ingeſtum ab eadem amantiſſima Matre; Jeſulum ſuum; ut nihil jam velut a Virginis hujus pietate, ac dulcedine alienum, ſperare non poſſimus; atq; veriſſimum id eſſe, & compertum, exploratumq; haberi, quod Anſelmus ab Antonino nominatus; ait: *neceſſarium* videlicet *eſſe ut ij, ad quos converterit oculos Beata Virgo: pro eis advocans; juſtificentur, & glorificentur* ſed quid oculos dicam? dum medullam vberum ſuorum lac, inquam, Virgineum exſugendum afferat clientibus ſuis, quò in vitam alantur ſempiternam. Vultis ut faciam oculis ipſis, vos videre Beatam Virginem reducentem è faucibus inferi peccatorem, quibus jam jam ob delicta ſua immergendus erat? Attendite: *hoc fere tempore,* inquit Thomas Cantipratenſis, libro 2. vitæ S. Ludgardis, *Dominus Innocentius Papa Tertius, poſt celebratum lateranenſe Concilium ab hac vita migravit moxq; apparuit viſibiliter Ludgardi: Illa autem, ut vidit eum ingenti flammâ cinctum, quiſnam eſſet percunctatur. Reſpondit ſe eſſe Innocentium Pappam. At illa cum gemitu: quid hoc eſt, inquit: communem omnium noſtrum Patrem, tam dirè cruciari? reſpondit*

4. part. tit. 15. c. 14. §. 7.

Thomas Cantiprat.

ſpondit ille: *Tres ob cauſas ita crucior quæ etiam æternis ſupplicijs me juſtiſſimè addixiſſent, niſi*; quid niſi? Audite, quid interceſſerit; ne Innocentius Tertius æternùm damnaretur, neve abſque ſpe videndi Deum ullâ; æternis apud inferos, cum Dæmonibus mactaretur ſupplicijs: *niſi*, inquit, *per interceſſionem piiſſimæ Matris Dei, cui Monaſterium condidi, in extremis me pœnituiſſet.* Et addidit: *quod etiam ad te ſuffragia petiturus venire potui, idipſum mihi à ſuo filio miſericordiæ Mater impetravit.* Ergo Maria, & ne damnaretur effecit, & purgatorij pœnas mitigavit, ſed illi, â quo conditum ſibi fuerat monaſterium. & fieri poterit, ut obſequia, quæ ipſi præſtamus, & præſtituri deinceps ſumus, irremunerata prætereat? Nunquam id ejus patietur pietas, nō ferent ejus viſcera; ſed commovebuntur ſuper miſeria noſtra magna nimis, & id quod ab eâ indeſinenter petimus, faciet, orabitq; pro nobis, nunc, & in hora mortis noſtræ. O Deus creator animæ noſtræ non eramus, & conditi ſumus abs te, quantumvis nos impij, rebelles, & ingrati legem tuam prætergreſſi ſumus: attamen tui ſumus. O Deus, in quem credimus, quem timemus. Tu dixiſti: *Ite ad ſervum meum Iob, & faciem ejus ſuſcipiam.* Cap. 42.
Nunquid ſi iverimus ad Matrem tuam Mariam, faciem ejus non ſuſcipies? ſuſcipiet, ſuſcipiet. Et hæc tota ratio fiduciæ meæ. Salve igitur Regina, mater miſericordiæ, vita dulcedo, & ſpes noſtra ſalve.

que ad imitandos eos, quos magni facimus. Et neutrum deeſt humani generis delitio; non intemerata Virginitas ad benevolentiã; Nec Matris Dei majeſtas ad reverentiã, æſtimationemq; ei cõciliandam.

CAPVT I.

De admirabili, ac ſingulariſſimo, in una eademq; muliere S. MARIA Maternitatis, ac Virginitatis complexu, & nexu.

§. 1. Ratio methodi, quæ tenetur in expoſitione tanti myſterij.

§. 2. De primo Symbolo in prima mundi creatione, & reſtauratione, in luna, ſole, primo homine, & Melchiſedecho.

§. 3. De ſecondo Symbolo in Virga Aaronis, ſceptro Ioſephi tabulis Moyſis, vellere Gedeonis, & Mana.

§. 4. De 3. ſymbolo in monte de quo ſine manibus abſciſſus eſt lapis, in Rubo ardente, in ſolio eburneo, porta Ezechielis, & arca fœderis.

§. 5. De quarto Symbolo in lilio convallium, verme, Abiſag, & acervo tritici.

§. 6. De quibusdam prænotionibus futuræ Virginis, & matris apud Ethnicos exſtantibus.

§. 7. De Symbolo quinto in Arca Noe.

§. 8. De Symbolo ſexto in Cunis Moyſis.

§. 9. De Symbolo ſeptimo in fœminis ſterilibus.

§. 10. Ex occaſione fœminarũ ſterilium fit digreſſio ad triplicem ſtatũ animæ Chriſtianæ ſeu Deo cõjugatæ.

§. 11. De ſymbolo octavo in oraculis prophetarum.

Proœmium.

OMnes quidem MARIÆ virtutes ſuâmet ipſarum pulchritudine, & præſtātiâ ad imitationem ſui pelliciunt; Attamen quia MARIÆ ſunt, trahūt ex ipſo fonte, ex quo emanant, neſcio quid gratiæ majoris, & illecebræ ad afficiendos ſtudioſorum MARIÆ animos, ad eas ſcilicet, quoad fieri poteſt in ſe ipſis exprimendas. Et ſi diſpicere velimus quid ſit illud, ex quo MARIANÆ animi dotes ita redoleant, & alliciant, reperiemus, idipſum videlicet eſſe, quod Mater Dei ſit, & Virgo. Illud facit, ut in pretio ſit, hoc ut in amore. Cumq; fieri nullâ ratione poſſe videatur, ut qui verè æſtimet, ametq; MARIAM, ejuſdem nolit eſſe imitator: de duplici hâc MARIANA excellentia, primo quidem conjunctim, tùm deinde ſeorſim hoc libro agemus: Vt hoc pacto virtutum MARIANARVM, tanquàm aciei caſtrorum ordinatæ, veluti ſublato vexillo, quàm plurimi ad hæc ſigna, & MARIÆ ſublegenda veſtigia concurrant.

§. I.

Ratio methodi, quæ tenetur in expoſitione tanti Myſterij.

PErſtringor nimio, fulgore hujus excellentiæ; neque enim gemini iſtius ſplendoris claritatem, imbecillitas oris mei ſuſtinere poteſt, quare deſperato de his ſermone congruo, atque pro rei dignitate

dignitate ſat amplo, manum intendam ad ea ſolum indicanda, quibus olim Deus exorituri hujus admirandi phœnomeni, quaſdã imagines, ac veluti præluſiones demonſtravit. Vt quoniam oculorum aciem in ipſum ſolis jubar non valemus exporrigere, præviam lucem, quæ dicitur aurora inſpiciamus: quippè tot ſunt fœcundæ Virginitatis, ſurgentes auroræ: quot modis matrem unam, eandemq; Virginem, præoſtenſum eſt aliquando adventuram. Dabitur igitur, credo, mihi venia, ſi ſolùm per quædam ſymbola, & rei grandis iſtius, quam dicere vellem, & nequeod ſimulachra ad Virgineæ Matris, Maternæq; Virginitatis excellentiam manu duxero intelligendam, inſtar videlicet mutorum, qui quod linguâ non valent expromere, varijs ſignificationibus, & nutibus indicant. Præſertim cum hæc veritatis, atq; tantæ ſpeciei adumbrata veſtigia Deus ipſe poſuerit: atque excuſationem admittere quiſq; debet, ſi quibuſdam involucris obtectum ei trado lumen: cum manifeſtum ſit ex radiorum conventu in pellucentiſſimum corpus, quæ fiat reverberatio, atque in oculos intuentium repercuſſio, ut non modò palpitare faciat, & obtundi aciem oculorum, ſed planè ipſam videndi vim, facultatemque exſtingui. Quod ſi etiam Democritus in oppoſitum ſoli, & perpolitum umbonem intuitus ab evibrato lumine excœcatus eſt; quando non eluminabimur nos, ſi duos illos fulgentiſſimos radios, Maternitatis, inquam, & Virginitatis, in B. Virginem, quæ eſt *ſpeculum ſine macula*, coincidentes, nullo interpoſito velamine voluerimus intueri? Ergo admirabilis hujus copulæ, commix-

Democrit.

Sapient. 7. v. 26.

commixtioniſque ex *fœcunditate*, atque *Virginitate* quædam quaſi emblemata in veteri teſtamẽto ſub certis figuris rei futuræ digito Dei deſcripta producamus. Tum rareſcente figurarum nube in vatum prænuncijs: prophetarum aliquot hâc ipſâ de re præſagia, & oracula afferamus.

Neque ſanè aliquid novi inſtituimus. Ecquid enim non opponimus manum oculis, ut ſolis altitudinem videamus? Cumq; ipſum inſpicere non ſuſtineamus, imaginem ſolis, quam reddit in aquâ, contemplamur? ſic etiam cùm nimius fulgor è matre, & Virgine exiliens, feriat oculos, in opaca umbrarum, ac veterum figurarum eos retorquemus: in montem videlicet umbroſum, hoc eſt, in MARIAM velo figurarum obtectam quod enim MARIA mons dicatur, è Danielis 3. compertum eſt, de hoc mõte pharan, ſeu (juxta verſionem 70.) umbroſo, Sãctum venturum prædixit propheta: *Deus* (inquit) *ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte pharan* quia de Virgine à Spiritu Sancto in varijs figuris obumbrata, Chriſtus erat naſciturus. Ergo quem videre in ſeipſa non poſſumus, aſpiciemus in ejus imagine: obnubemus fulgentiſſimum MARIÆ vultum, ut videre eam poſſimus: ſic facies Moyſis velo tegebatur ut videri Moyſes poſſet. Rex mira! tegitur ut videatur; avertuntur oculi à ſole in terram, ut videri poſſit ſol: quid agis? videre ſolem vis, & terram aſpicis? ſuſpice en Sol in Cœlo eſt: at Sol quidem in Cœlo eſt; ſed videri non niſi in imagine poteſt: hoc igitur agemus, & quaſi ex umbra, quã altus ſit Sol, perſpiciemus. Qua in re etiam Romanorum triumphos

Habacuc cap. 3.

Exodi 34.

phos

phos imitabimur, inquibus eæ ex hoſtibus manubiæ victori præferebantur, quæ poterant, ut in triumpho ſcipionis Aſiatici (teſte Livio l. 37.) evenit: nam cum prælata fuerint ei 224. ſigna militaria, dentes eburnei 1231. Coronæ aureæ 234. non tamen ipſæ vrbes expugnatæ, ſed earum duntaxat ſimulachra ducta fuere in pompa: Ita nos cùm Virgineam ipſam maternitatem verbo explicare non poſſimus, ejus imaginem oſtentabimus. Et verò ſi Mariam quærimus, ibi quæramus eam ubi commorari ſe dicit: *ſub vmbrâ,* inquit, *illius, quem deſideraveram ſedi,* ibi eſt, ſub vmbrâ latitat, *donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*; hoc eſt, noctem lux eliminet; & hoc decebat Virginem illam, quæ ab Iſaiâ dicitur *Alma,* hoc eſt Virgo à publico ſecreta, & abſcondita; hoc Virginitatis decus exigit ut obvia non ſit, quæ verè Virgo eſt. Nam etſi Mater eſt, faceturq; quoniam *ego feci, ut in Cœlis oriretur lumen indeficiens*: adjecit tamen: *Et veluti nebulâ texi omnem terram*; propterea quòd in omni propemodum re, ut deinceps videbimus, Virgineæ Maternitatis aliquod impreſſum ſit videre ſimulachrum. Illa igitur quæ fecit, *ut in Cœlis oriretur lumen indeficiens*, hoc eſt, illum, qui dixit: *Ego ſum lux mundi*; illa ipſa *quaſi nebulâ texit omnem terram.* Inſtar videlicet apum, quæ mellificaturæ, & enixuræ fœtus ſuos Alvearis concava quaſi tenuiſſimo velo obveſtiunt. quo porro alio tegumento obtexit ſe ſe, quàm candidiſſimo Virginitatis linteo? Ita ut Maternitas Virginitatem tegat, & hæc viciſſim maternitatem abſcondat. Atque vtraq; ut potè res ſacra, & ſanctiſſima, figurarum circumvoluitur

Cantic. 2.

Cap. 7.

Eccli 24.

L involu-

involucris: quâ de re præclarè S. Auguſtinus: *Bonæ ſunt*, inquit, *in ſcripturis* myſteriorum profunditates quæ ob hoc teguntur, ne vileſcant ob hoc quæruntur, ut exerceant, ob hoc aperiuntur, ut paſcant. Paſcamur igitur, quotquot Virginis Matris ſtudioſi ſumus: & velamen figurarum, quoad licet, & conceditur; venerabũdi reducamus, quò nobis fas ſit: MARIAM Virginem pariter, ac Matrem cõtemplari.

§. II.

De primo Symbolo in prima Mundi creatione, & reſtauratione in Luna, Sole, primo homine, & Melchiſedecho.

SI quod primum in hoc genere nobis occurrit, id comminiſci velimus, mihi quidem videtur in ipſo mundi crepuſculo edita; (quod in magnis aſſolet) Virginis Matris Idea: & præluſiſſe is, qui superventurus erat, & cujus virtus obumbratura Virgini, dum ferretur ſuper aquas, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, abyſſi operientis terram inanem, & vacuam; hoc eſt, Virginem ſeminis Virilis expertem, cui erant aquæ inſtar Calyptræ, quæ velamen ſponſarum eſt. Indicabat Spiritus Sanctus more avium, genium ſuum ad ſuperfætandum, ut excludentur ex aquis piſcis ſive ἰχθύς, quam vocem efficiat acroſticha Sybillæ, & reipſa eſt Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ etenim ſi primas litteras harum vocum græcarum conjungas in unam, conflabis nomen ἰχθύς

Vide Augu. de ciuit. l. 18. cap. 23.

ἰχθὺς ſeu piſcis & piſcis ex mari eſt, & Maria Marea-
marum ſonat: oſtendit iteratò hanc propenſionem
Spiritus Sanctus cùm à Noe ex arca miſſa columba,
id eſt, Spiritus Sanctus ex Patre, Filioq; procedens;
nam arca Chriſti typus eſt; ſed rediit columba ferēs *Auguſt. de civit. l. 15.*
ramum olivæ, quoniam Chriſtus pax noſtra tunc *cap. 15.*
datus non eſt; ſed juxta illud Lucæ 10. *ſin autem re-
vertetur ad vos*; rediit, cum nō eſſet filia pacis, & nō
erat; quòd diſrupti forent omnes fontes Abyſſi ma-
gnæ, etenim Virgo, canticorum 4to. *fons ſignatus* di-
citur. Videtur etiam in eâ ipſâ, cui ſæpenumerò B.
Virgo confertur, hoc eſt, in minore luminari, quod
eſt Luna, exhibuiſſe Deus ſpecimen fæcuditatis, ac
Marianæ Virginitatis. quid igitur habet MARIA cum
Lunâ coĩune? quomodo eam, quam præ magni-
tudine fulgoris in MARIA videre non poſſumus Vir-
ginitatis, atq; fœcunditatis copulam, in ejus imagi-
ne, ſive in Lunâ perſpiciemus? quo pacto è veſtigio
hoc, hunc Herculem cognoſcēmus? Ecce vobis;
quâ ratione Virgineæ fœcunditatis Deus inſervit
Symbola in Lunâ: quippe cum hæc omnium, quæ
gignuntur in terris, Mater ſit, expers tamen ipſa eſt
corruptionis, quin cādidiſſima nitet; & id demum,
ac ſolùm obnoxium putredini eſſe cenſetur, quod
ſublunare eſt. Habet igitur hæc duo nominatim lu-
na, ut parens quædam ſit, effectrixq; rerum, & nihil-
ominus ipſa ſupra corruptibilium conditionem e-
mineat. Et quoniam facultas hæc gemina, *generare*
videlicet, *incorruptumq; permanere*; meliùs id ipſum
excellentiuſq; B. Virgini competit, quàm huic ipſi
planetæ; Idcirco ſub MARIÆ pedibus luna ſtatuitur,

apocalypſis 12. *Signum magnum apparuit in Cœlo Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus.* Nî malimus dicere, & hujus hieroglyphi, aliam etiam reddere rationem idest hâc: quòd cum videlicet MARIÆ præſtantia in eo potiſsimum poſita ſit, quòd Mater Dei, & Virgo exiſtat: hanc ipſam prærogativam ſuam, excellentiamq; premendo Lunam pedibus, oſtēdat Lunam, inquam, quæ typus quidam eſt ejus facultatis; hoc eſt, fœcunditatis, & incorruptelæ & in hoc genere omnibus hominibus ſupereminet MARIA, quâ ſimili ratione ſoliti ſumus ſubter Heroum ſtatuas incidere nomina eorum, ut eâ ſubſcriptione de claretur cujus ſit effigies, aut ſimulachrum. Ergo ubi Deus per ſacras litteras fœminam longè pulcherrimam Spiritus Sancti penicillo nobis efformaſſet, ne quo pacto, quænam iſta adeo inuſitatæ pulchritudinis eſſet mulier ignoraremus, ſubſtravit pedibus ejus Lunam; effecitq; hieroglyphum, qui expoſitus eſt idem quòd MATER, & VIRGO. Non præterivit hoc ipſum gentiū doctiſſimos; tametſi illi quidem legere duntaxant noſſent, at vocum ſignificationem non intelligerent: non præterivit, inquam, eos in hoc Lunæ aſtro eſſe fœcunditatis; atq; nihilominus integritatis ſymbolum. Etenim in Corneliæ Auguſtæ numiſmatibus (ut author eſt Pierius l. 44.) in alijs quidem ad Lunæ imaginem accedebat vocabulum, *fœcunditas;* in alijs circa Lunæ figuram, inciſa erat vox hæc, *pudicitia.* Vt duarum rerum adeo inter ſe diſſimilium in unum eundemq; Planetam concurſus, & ab ipſiſmet Ethnicis perſpectus, præludium quoddam fuerit ejus, quæ futura erat aliquando,

Virgo

Virgo fœcunda & Mater illibatiſſima. Neq; deſunt alia in Cœlo phœnomena quæ fuerint Virgineæ matris præſagia ſi enim faciē cœli, ita cōſtituit Deus, ut ex eâ (teſte ipſo Domino) conjicere valeamus pluvias, ſerenitatēq; velimuſne eundē cœli aſpectū nullum tantæ rei, adeoq; admirabilis habere indicium, ut cū palā deinde aňunciaretur, tātò facilius capi poſſet, quò plura prodigij hujus in rerum naturâ paſſim conſpicerentur impreſſa veſtigia? Sol ipſe profectò miraculi hujus ſpecimen præbet in eò, quod cum radium ex ſe enitatur, ejus tamen nequaquam lædatur integritas. Videmus igitur non ſolùm gigni lumen abſq; genitoris corruptela, ſed per corpora ſpargi, permeareq; ſine læſione diaphani; ut illæſo Virginitatis clauſtro per MARIÆ vterum egreſſus eſt ad nos Chriſtus JESVS. Quòd ſi quis arbitretur congruum, ut in homine ſimuletur homo? Atque ad res quaſq; maximas materiem ſeligi oportêre prænobilem; accipitote hoc tertium Maternæ Virginitatis ſymbolum. Etenim Deus, cui futuræ Matris Virginitas cordi erat; eam in homine primo, (qui forma fuit, ſeu imago ſecundi, ut loquitur Apoſtolus) vivis coloribus expreſſit in eo, quòd ſicut primus homo è terra, nullo adhuc proſciſſa vomere, nulliſque inaratâ ſulcis, effectus eſt; ita ſecundus ex integerrimâ Virgine enatus; Quod autem unâ ratione oſtendit creatus Adam; declarat idipſum Melchiſedec alia: *Namq; ſi* (ut habetur ad Hebræos cap. 7.) *Melchiſedec ſine patre, ſine Matre, ſine genealogiâ, neq; initium dierum habens, neq; finem* vitæ, *aſſimilatus filio Dei*, ſi in his omnibus (inquam) geſſit typum Chriſti

Matth. 16.

Ad Rom. 5.

Digitized by Google

Melchiſedec; tùm vero in eo etiam, quòd ἀπάτωρ, & ἀμήτωρ fuiſſe dicatur: Chriſtus enim neq; Matrem habuit *de Patre naſcens ante ſæcula*; neq; Patrem (*oriundus quippe ex Iſrael, cujus nervus emarcuit*) progenitus in tempore ex Matre quòd ſi abſq; Patre naſcitur Chriſtus è MARIA, Mater, & Virgo eſt MARIA.

§. III.

De ſecundo Symbolo in Virgâ Aaronis, Sceptro Joſephi, tabulis Moyſis, vellere Gedeonis, & Manâ.

Numer. 17. ALio quaſi idiomate, ad rem tamen eandem ſignificandam, uſus eſt Deus, cùm ex arida Aaronis virgâ gemmulas, ac flores produxit: voluit enim per id factum fœcundam Matris ſuæ Virginitatem nobis eloqui; ſed in ænigmate: quod ipſa tamen expoſuit Virgo, & amatoribus ſuis veluti per cancellos proſpiciendam ſe dedit, cùm Eccleſiaſtici 24. de ſe pronũciavit: *Flores mei fructus honorũ, & honeſtatis*: ijs enim ipſis verbis & matrem ſe eſſe & Virginem pronunciavit; oſtenditq; quid Virga florens Aaron portenderet. Dùm enim non diſcernit fructum à flore, & florem fructum appellat dicens: *Flores mei fructus honoris*; quaſi una eademq; res ſit *fructus*, & *flos*, ſatis apertè indicat illud: *Virginitatis gloriâ permanente*, quæ flos eſt; ſe huic mundo edidiſſe ſalvatorem, qui fructus eſt ventris benedictus. Imo etiam interpretari & aliter poſſumus: cùm enim proles honori ſit Matri ſuæ, eo quod ob illam

illam fœcunda appareat; eandem tamen Matrem proles ipſa enata quodammodo dehoneſtat; propterea quòd corrupta non neſciatur eſſe illa, quæ uterum geſtavit, & filium enixa eſt. Ita, ut idem honori, paritérq; dedecori ſit Matri filius. Quod utrumq; complexus eſt Lucas cap. I. in Matre Præcurſoris Eliſabetha, de quâ cum narret, quòd ſe occultârit menſibus quinq; adjecit nihilominus ipſam dicere ſolitam: *Reſpexit Dominus auferre opprobrium meum inter homines:* nam ut quid ſe occultat illa, à quâ abſtulit Deus opprobrium, an fors ideo quòd eadem proles ſuſcepta pudori pariter ſit, ac honori? Etenim quæ genuit filium opprobrio quidem ſterilitatis liberata eſt; at quandam honeſtatis, & pudicitiæ jacturam feciſſe in comperto habetur. Quò fit ut nulla præter vnam MARIAM, verè dicere poſſit. *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis*, ſola quippe MARIA, *ſine tactu pudoris inventa eſt mater ſalvatoris*. *Ad Heb.* II. Summitatem hujus virgæ floridæ, & Aaronicæ, ſeu Virgæ Jeſſææ, adoravit in ſpiritu Patriarcha Jacob; hoc eſt, Chriſtum è Virgine naſciturum, cùm pomũ ſceptri, ſeu faſtigium, quod manu prætendebat Joſeph ejus filius, vicina tangens, & futura prædicens, pronus eſt veneratus. Quid igitur Virga à ſtipite ſuo avulſa, & Joſephi manu geſtata, cujus apex adoratur aliud eſt, quàm Virgo ex regali progenie exorta, & Deum, & hominem generans? Ecquid non hoc ipſum voluit Deus; hoc eſt, Virgineæ fœcunditatis ubiq; præſagia quædam conſtitui, quando in tabulis lapideis digito ſuo legem incidit Deus; hoc eſt, *Exod.* 31. Virginem de Spiritu Sancto concepturam, parituramq;

ramq; legiſlatorē, qui eſt Chriſtus JEſus? Certè quidem, ita legimus exodi 31. *Dedit Dominus Moyſi duas tabulas teſtamenti lapideas* ſcriptas digito Dei. Et porro quis digitus Dei alius, quàm is de quo canit Eccleſia: *Dextera Dei tu digitus*; hoc eſt, Spiritus Sanctus; de quo aſſeverat Angelus Virgini, quòd *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*; hic eſt digitus, quo inci-

Lucæ. ſa lex eſt: deq; illo dicebat Chriſtus Lucæ 11. *Quod ſi ego in digito Dei ejicio Dæmonia*, & quem Lucas *digi-*

Matthæi. *tum Dei* appellat; Matthæus cap. 12. *Spiritum Dei* nominat: hoc igitur digito, ſeu Spiritu Dei ingenitus, inditusq; eſt vtero Virginis filius Dei: Et vide quod

Exodi 31. v. 18. & 32. v. 16. ſcripta, ſeu inciſa, aut ſculpta lex eſſe dicatur in tabulis lapideis: incidendo enim ſicut neceſſe non eſt aliquid ab eo eximi, in quo inciditur, ita neque aliquid addi, præter ipſum verbum, propterea quod è viſceribus MARIÆ Virginis, tanquàm candidiſſimo, & ſolido marmore, abſq; inſperſione ulla, aut intinctione, ſolo Digito Dei obſtetricante prognatum, & *Verbum caro factum eſt*. En autem quomodo *dies dieī eructat verbum*, in eo enim quòd meminerim jam quemadmodum Chriſtus *non ex voluntate viri*; ſed *ex Deo* factus ſit homo ſubvenit animo panis illius recordatio, quem dedit Dominus *de Cælo* populo ad terram promiſſionis tendenti, quiq; non ex terra ſemine quopiam conſitâ, ſed Angelorum manibus

Ioan 6. v. 32. productus, effectuſq; eſt. *Imo non Moyſes* (Chriſtus ipſe ait) *dedit vobis Panem de Cælo, ſed Pater meus dat*

Ioan. 6. *vobis de Cælo panem verum; panis enim Dei eſt, qui de Cælo deſcendit, & dat vitam mundo* Et hoc totum quid aliud eſt, quàm quod Virgo minimè ſuſcepto ſemine con-

ne conceperit, pepereritq; Christum Deum, quem Manna ipsomet Christo assertore designabat? Edidit deinceps Deus hujus rei, factiq; prorsus admirandi, alia quædam prognostica; vt cùm purissimam, candidissimamq; Gedeonis lanam, rore cœlitus imbuit; propterea quòd non de terra maduit, & veluti aquâ fontanâ imprægnata est MARIA, sed de rore Cœli fœcundata: Etenim *cum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet; sermo tuus de Regalibus sedibus venit:* quare quod Virginem ipsam Vellus Gedeonis appellemus, inde est; quòd cœlesti rore humectata est, descenderitq; in eam filius Dei; *quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramen;* adeo videlicet tacitò, & clam ut teste S. Ignatio, latuerit ipsum Dœmonem, cœteroquin pervigilem; neq; enim scivit illam Virginem, quem peperisse non ignorabat. Christus igitur veluti ros in Lanam decidit, quando sine opera viri de Virgine conceptus est; quod si vero Christum non rori, sed velleri conferamus; salva tamen erit nobis in hoc Virginitatis fœcũditas; sicut enim vellus abstrahitur à carne sine vulnere; ita Christus sine læsione carnis MARIANÆ à Spiritu Sancto exclusus est è Virgine.

Iudicum 6.

Deut. 32. canti. Moysis ex S. Hieronym: l. 1. com. in cap. 1. Matth.

S. Bernard. ser. 2. de nat.

§. IV.

De tertio Symbolo in monte, de quo sine manibus abscissus est lapis; in rubo ardente; in solio eburneo; horto concluso, fonte signato; porta Ezechielis, & arca fœderis.

M Videri

VIderi potest Deus eum cum veteris instrumẽti patribus, tenuisse morem, quem viri principes cum servis suis, & infimæ sortis famulis servant: non enim quod fieri ab eis volunt, apertis verbis, manifestaq; suæ voluntatis significatione, semper declarant; sed veluti dedignantes cum ijs miscere sermonem; solùm nutibus agunt. Et sanè ij, qui antequam Deus hominem assumeret ævo superiore vixerunt, computantur in servis ab Apostolo, qui ad Rom. 8. ait: *non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore:* Et ad Galatas *Nolite iterum jugo servitutis contineri*; In eo enim, quod dicit: *iterum*; eos, qui ante legem novam fuere, dubio procul servos fuisse declarat. Ea propter sanè mirum non est; si Deus, & Dominus subobscurè cum ijs agebat; atque per involucra signorum, id quod volebat significabat. Atq; hinc est quòd cum Christus parabolas, quæ latẽtem veritatem occultabant, turbis proponeret, eas seorsim Apostolis, quos in amicis habebat, enucleabat. Hâc de causa ut Deus ostenderet; Moysen esse sibi intimum, in hæc verba edixit Aaroni, & Mariæ sorori ejus: *Audite sermones meos: si quis fuerit inter vos propheta Domini; in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Sicut ergo veteribus illis filium è Virgine nasciturum subobscurè, attamen verè serioq; per ea, quæ hactenus exposita sunt, indicavit Deus; Ita & per id, quod in viso nocturno ostendit Nabuchodonosori; quando scilicet visus est sibi Rex

Ep. ad Rom. 8. *Ad Gal. 5.* *Matthæi 13.* *Numeri 12.* *Daniel 2.*

ille vi-

ille videre lapidem sponte excidere è monte sine manuum adminiculo, eundemq; postea in montem excrescere; Quis enim hic mons, qui lapidem enititur, qui factus est in caput anguli, & nullæ in eruendo lapide manus adhibentur: nisi absq; opera viri producens Virgo salvatorem? Quæ proinde etiam salutatur mysticus mons: *mons,* (inquam) *de quo sine manibus abscissus est lapis.* Cœterùm dicat jam aliquis cùm Moyse; *Ibo, & videbo visionem hanc grandem: Ecce enim rubus ardet, & non comburitur:* ardet Rubus ab igne qui Deus est; etenim Deus *ignis cõsumens est*, quomodo igitur non consumitur integritas Virginis Deo plenæ? Non consumit Deus ea, quæ facit, nisi reperiat aliquid in ijs, quod ipse non fecit: Atque Virgo Sanctissima tota & ex asse opus Dei est: Enimvero *creavit eam altissimus*: & nihil est in eâ reperire, quod ipse non fecerit: cohabitare igitur hic ignis Virgini potest, licet sit rubus; hoc est humoris exspers & aridus. Concepit ignem rubus, & arsit, nec consumptus est: concepit MARIA Deum, & hominem, & Virgo permansit. *Exodi 3.*

Nõ plus intulit damni Marianæ pudicitiæ factus ex eâ homo Deus, quàm attriverit soliũ eburneũ cõsidens in eo Salomon: Et est plusquam Salomon hic *2. paralip.* qui residet in solio, solio eburneo ob Virginitatis candorem, & firmitatem: Et meliùs de hoc solio, seu Virginis vtero potest dici illud quod habetur 3. Reg. 10. hoc est: *non est factum tale opus in universis regnis*: & meritò, quia Virgo Mater.

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem,
Gaudia matris habens cum Virginitatis honore.

At vero etiam nonne existimare velimus, Salomonem hunc in sinu Virginis recumbentem, velut in meridie ad interiora Austri, in feruentissimo pectore, deniq; in eburneo solio suo, inhalare amorem suum tam castæ Matri, & suavia cum eâ miscere colloquia, blãdissimeq; appellare verbis hujuscemodi? *hortus conclusus, fons signatus, soror mea sponsa.* Et en; tribus his, quamvis diversis nuncupationibus, seu matris suæ elogijs, id ipsum tamen dicit; hoc est; quod mater sua, eadem & Virgo sit: nulla quippe manus ex horto concluso decerpsit florem; nullus pes aquam fontis signati vitiavit: Cum nullo semine satus sit hortus, educavit tamen florem illum, qui Nazaræus est appellatus: & quomodo non est Virgo quæ dicitur soror; & quomodo non est mater, quæ audit sponsa? sed neque per venas insinuavit se se in fontem aqua, quæ cœlitus instillata; etenim *pluviam voluntariam dabit Dominus*; quoniam ipse prævenit nos in misericordia, & miserationibus, oriens ex alto. Et quando orientis memoriam intuli, memini quoque tui Ezechiel; edic igitur obsecro: *Cùm te manus Domini convertit ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa*; quid de porta illa, Dei manifestatione, comperisti. *Et dixit Dominus ad me* (inquit Ezechiel) *porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam* Nam quæ est porta ista, quæ non aperietur, & tamen Dominus ingressus est per eam. Vel potius, quis est iste Dominus? an is, qui clausis introivit ad discipulos ostijs? quiq; clauso exiijt è sepulchro? is utiq; est, qui Vir-

Cãt.1. Iob.9.

Cant. 4.

Ps. 67. Lucæ cap. 44.

qui Virginitatis illæſo ſignaculo conceptus intra Virginem eſt, atq; ex eadem Virgine irreſerato ventre prognatus. Atq; in hujus rei, ſeu myſterij perpēſione verſanti mihi ſubvenit arcæ illius arcæ inquam, fœderis recordatio; eò quòd & ipſa Virgineæ fœcūditatis figuram geſſiſſe mihi videatur; ſi namque ea, quæ continebātur in arca, fueruntq; S. Paulo teſte: *tabulæ teſtamenti, urna in qua Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat*; ſi humanitatis Chriſti ſymbola quædam fuere; quid enim tabulæ legis in arca indicabant, quàm quod Chriſtus legifer noſter ſit? ut Iſaiæ 33. dicitur; quid manna? niſi quod panis noſter ſuper ſubſtantialis ex Maria ſit? quid etiam arida Virga refloreſcens? niſi quod Chriſtus exſanguis, & emortuus, redivivus effectus fuerit? Fuerat quidem arca teſtamenti typus quidam, & imago Eccleſiæ; in qua non ſolum vera Chriſti lex proponitur, ſed etiam Chriſti caro ſervatur, & fides reſurrectionis annunciatur; At nihilominus Virgineæ Matris figura in eo fuit, quòd ſicut Arca è lignis ſethin imputribilibus fortiſſimis levibus, (ut ait Hierony:) fabrefacta fuerat; ita corruptioni obnoxia non erat, quæ mundi concepit, pepcritq; ſalvatorem. Quamvis & alio Matris Dei in arca fœderis, Virginitas indicata eſt argumento: Etenim (ut ibidem, ait Apoſtolus) Arca fuerat omni ex parte auro circumtecta; in quo internoſcitur illa, quam David & filiam vocat, & aſtitiſſe Reginam in veſtitu deaurato: & ſermonē eſſe de Maria Virgine fatētur interpretes. Et verò quæ Regina, & filia dicitur, quid aliud eſſe ſignificatur; quàm quòd una eademq; ſit Virgo & conjunx?

Ad Hebr. 9. *Iſaias* *In cap. 41. Iſaia.* *Pſalm. 4.*

§. V.

§. V.

De quarto Symbolo in lilio cōvallium verme, Abiſag, & acervo tritici.

EXiſtimare aliquis jam fortaſſe poſſit; omnia, quæ in ſacris litteris habentur myſteria, ad innuendum admirabile illud vinculum Virginitatis ſcilicet, atq; fœcunditatis Marianæ, expoſita jam eſſe; nihilq; præterea ſupereſſe: Cœterum quod Regius pſaltes de Cœlorum apud omnes celebritate vaticinatus eſt dicens: *Non ſunt loquelæ neq; ſermones; quorum non audiantur voces eorum*; quod nihil eſt aliud, quàm dicere: omnium verbis nationum laudes orbium cœleſtium efferri. Id ipſum, inquam de hoc planè inclyto, ac ſacroſancto myſterio; Virgine ſcilicet, eademque matre dici poteſt; Ipſam videlicet omni genere ſignificationum fuiſſe præmonſtratam: Vt meritiſſimò ſub Perſona Sapientiæ latitans MARIA dixerit: *cum eo eram cuncta componens*. Nam ſi in cunctorum fabricâ intervenit, mirum ſanè non eſt; ſi paſſim quædam ſui impreſſa reliquit veſtigia.

Pſalm. 8.

Proverb. 8.

Ergo etſi Chriſtus, uti paullo ante dicebamus, hortenſis flos eſt, & in horto concluſo enatus: Attamē idem ipſe, qui flos horti eſt, eſt etiam flos campi, liliumq; convallium: Diſcamus cauſam appellationis hujus, & varietatis: Cum enim flores hortorum plantari, vel ſeri ſoleant, non item camporum, qui ſponte ſua, & nullo colente è terra veluti

Cantic. 2.

Virginea

Virginea germinant: præſtare viſum eſt, ſi Chriſtus lilium potius convallium, quam hortorum diceretur. Verum venite mecum, & rimemini verſutias parabolarum: Nam quid lilio pulchrius, & quid verme, ſeu lumbrico abſurdius? Nihilominus tamen ſicut vocis barbaræ, & latiniſſimæ una eademque eſt ſignificatio; ita etiam quod pulcherrimi, beneq; olentis lilij eſt myſterium; eſt & putidiſſimi vermiculi in divinis litteris, Sacramentum. Audite non me; ſed magnum Eccleſiæ doctorem Auguſtinum: Cum enim Chriſtus, aut ipſe David perſonam Chriſti gerens illud Pſalmi 22. elocutus ſit: *Ego ſum vermis, & non homo:* de hâc, tantaq; ſui abjectione ſic ingenioſiſſimus vir diſſerit: Videtur, (inquit) ad commendandam humilitatem dictum; ſed non eſt contemnenda altitudo myſterij; Ideo ſe hoc nomine etiam a propheta Davide pronunciari voluit, quia vermis de carne ſine concubitu naſcitur, ſicut ille natus eſt de Virgine. Quid hoc planius, & ad rem, quam quærimus appoſitum magis? perſpicaces utiq; fuere oculi Sanctorũ, ut jam quidem nunc videre fuit in Auguſtino; quippe ita ſcripturas ſcrutati fuere; ut ſugerent mel de petra, & nullus dubito; quin delectatione perfuſi fuerint incredibili; cùm fracto cortice litteræ ad nucleum Spiritualis intelligentiæ, pervenêre.

Epiſt. 120. cap. 8.

Pſalm. 22.

Aſſociemus in hoc genere ſtudij, & indaginis Auguſtino Hieronymum: quòd enim frigeat ſenio confectus David, quæraturq; illi vxor Juvenis, pulcherrimaq;, complexu cujus recaleſcat caro pœne emortua; Atq; repertâ Abiſag ſunamitide Virgine ſpecioſiſ-

S. Hieronym.

Digitized by Google

ſpecioſiſſimâ, concaluerit ex illa David, non tamen ad laſciviam; hoc ipſum, inquam, quod Virgo virum complexa Virginitatis detrimentum non ſit paſſa, (*Rex enim non cognovit eam*) quid portendebat aliud, quam fore aliquando, ut MARIÆ Virginitas virum quidem complecteretur, & tamen non deſineret eſſe incorrupta? Ergo Doctor ille maximus (ſic enim Eccleſia indigitavit Hieronymum) de vitâ Clericorum ad Nepotianum ſcribens: *Abiſag noſtrâ,* inquit, *quæ nunquam ſeneſcit, in meo requieſcit ſinu; impolluta eſt, Virginitatiſq; perpetuæ; Et quæ in ſimilitudinem* MARIÆ; *cùm quotidie generet, ſemperq; parturiat incorrupta eſt*, quod ſi non omnium eſt ad iſtiuſmodi emblema, quod Hieronymus expoſuit, ſine quapiam cogitationis illecebrâ, mentis oculos referre: In alio veluti ſchemate fœcunditatem Virginis exhibebo. Ecce enim, quòd in Canticis dicitur: *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilijs*; nonne id ipſum ſonat? & tamen turpitudinis ſpeciem nullam animo ingerit; neq; vllius imbecillæ faceſſit moleſtiam verecundiæ? quid enim aliud frumenti acervus ſibi vult, quàm fœcunditatis vbertatem? Aut quid lilia vallãtia ſimilem ventri acervum tritici; niſi Virgineæ matris parthenicum candorem?

3. Reg. 1.

Cantic. 7.

§. VI.

De quibuſdam prænotionibus futuræ Virginis, & Matris apud Ethnicos extantibus.

Dexterè

Digitized by Google

DExterè profectò, valdeque appoſitè, ſyrophœniſſa, cujus fidem laudavit ipſe Dominus, reſpondit cum dixit: *etiam Domine, nam* Matth, 15. *& catelli comedunt de micis, quæ cadunt ex menſa dominorum ſuorum.* Et ſic eſt, ut ex copia myſteriorum Dei aliquid etiam eorum redundet in nationes. Nec alienũ eſt; quando prælata fax hero prælucet quoq; famulis: Quin magno divinæ ſapientiæ conſilio factum eſt; ut tenuioribus primùm divinæ ſapientiæ ac lucis aſperſi radijs, ad manifeſtum fidei fulgorem, deinceps oculi eorum non palpitarent. Cum enim eadem virgo, & Mater non à paucis modò Judæorum credenda foret; ſed prædicanda in gentibus; Ne tantæ rei magnitudo, ac inſolentia abſterreret, atq; à credendo avocaret: voluit Dei ſapientia quædam rei futuræ indicia inſinuare, ut eo pacto præpararentur animi Ethnicorum ad præſtandam ſenſim fidem rei palam promulgandæ. Hoc enim habet Dei ſuavis adminiſtratio ut rerum naturam ſecundet, & genium; quemadmodum enim è puero non repente fit vir ætate provectus; ſed per ætatis incrementa adoleſcimus, atq; perficimur: Ita fidem rerum abditarum, atque à communi ſenſu remotarum, non ſubitò extorquet ab animis hominũ Deus: ſed prævijs accomõdatiſſimiſq; perſuaſionibus elicit aſſenſum. Exemplo ſit articulus reſurrectionis Chriſti. Primò enim reſurrecturũ ſe eſſe prædixit: factus circa ſepulchrum terræ motus eſt; revolutus lapis ab oſtio monumenti: annunciatur ab Angelo reſurrectio: Viſionem Angelorum ſe vidiſſe teſtantur mulieres; curritur ad monumentum,

& vacuum reperitur; deprehenditur ſyndon in quâ corpus poſitum fuerat convoluta, & ſudarium ſeorſim poſitum; multorum rumore reſurrexiſſe Chriſtus circumfertur, & tandem omnibus manifeſtus apparet. Vt verè dictum ſit à ſapiente: Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſq; ad perfectum diem ſed jam ad rem.

Proverb. 4.

Inter proluſiones igitur Virginei partus, quæ ad Gentilium cognitionem pervenere, antequam Virgo Deum, & hominem pareret: fuit in primis vaticinium Sybillæ Cumanæ ex quâ,ut in confeſſo eſt apud interpretes; mutuatus eſt pœne omnia Virgilius, eaq; tranſtulit ad Soloninum Pollionis filium, ipſumq; adeo Octavium Auguſtum. Nam quis non videat Eclogam quartam totam ſpectare ad Chriſti adventum, & quaſi Iſaiæ Prophetiam de fælicitate temporis Meſſiæ, Sybillinis verſibus fuiſſe expreſſam. Nam quæ eſt hæc nova progenies, quæ cœlo delabitur alto? quæ Virgo? Cur ſoli matri monetur ut arrideat puer? ceſſet licet authoritas interpretũ, & nihilominus Virgo Mater Chriſti legetur in poeta. Nec ſane vacat ratione quòd Romæ potiſſimum unde per orbem fides Marianæ pudicitiæ, & Maternitatis diſſeminanda erat; hujuſce diei & veritatis crepuſculum affulgeret. Atq; ut ſe hujus lucis fulgor in dies magis intenderet: Auguſto, ut fertur, ab actiaca pugna Romam revertẽti, in viſo claræ diei oſtenſa fuit Virgo in ſolis halone, filium in vlnis geſtans; & hanc audiviſſe vocem: *Hunc adora.* Illud etiam ibidem memoriæ proditum eſt: In natali Chriſti Domini die templum paeis corruiſſe; quodque tanquam

Vide Cæſar. Bar. in apparatu ad An. Eccl. 7.

tanquam oraculum paſſim haberetur id templum, tam diu ſtaturum fuiſſe, quoad Virgo pareret: cumque nullatenus fieri poſſe Romani arbitrarentur; quaſi in proverbium apud eos abierit illud: *templum pacis templum æternum.* Nec omnino extorres ab hujus diecculæ aſpirante lumine cœteræ nationes fuere. Nam Carnuti in Gallia Druides ſapientiſſimi, aram dedicarunt cum hâc inſcriptione.

VIRGINI PARITVRÆ.

Quin Dorotheus in vita Hieremiæ refert Ægyptios Virgini Matri cultum detuliſſe; ſiquidem Virginem in lecto, & infantem in præſepi, venerarentur. Teſtatiſſimum porro eſt illud, quod S. Thomas ait; nempe in laminâ argentea, quæ è terra effoſſa fuerat; hâc repertam fuiſſe inſcriptam epigraphen: *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum, ô Sol ſub Irene, & conſtantini temporibus Iterũ me videbis.* Atq; his ipſis ad clavũ Regni ſedentibus, inopinatò eruta fuit lamina cum ea inſcriptione: Quid quòd in ipſa rerum naturâ indicia quædã ſtatuit Deus, quæ viam ſternerent ad hujus myſterij fide percipiendam veritatem. Imo Abbate Guarico interprete ſerm. 1. de nativit: ipſa B. Virgo è naturalibus ducit argumentum: dum Eccleſiaſtici 24. ſic ait. *Ego quaſi vitis fructificavi odorem ſuavitatis*; quaſi enim dicat. *Partus quidem meus non habet exemplum in ſexu fœminarum, ſed habet ſimilitudinẽ, in naturis rerum, quæris quomodo Virginitas genuit ſalvatorem? ſicut flos vitis odorem; ſi corruptum inveneris florem, pro eo quod dedit odorem; violatum crede pudorem, quia edidit ſalvatorem.*

22. q. 2. a. 7. ad. 3.

§. VII.

De Symbolo quinto in Arca Noë.

REdeamus jam ad institutum, neque enim in his politioris litteraturæ studijs, diversari diutius ab imminente diluvio permittimur: Ecce enim *rupti sunt omnes fontes Abyssi magnæ, & Catarrhactæ Cæli apertæ sunt, & facta est pluvia, & multiplicatæ sunt aquæ, & vehementer inundaverunt, & omnia repleverunt in superficie terræ & aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertiq; sunt omnes montes excelsi sub universo Cælo quindecim cubitis excrevit aqua super montes, quos operuit*. Porro arca quædam fertur super aquas: quid hæc sibi volunt? Nunquid arca hæc quindecim cubitis exaltata super montes; ipsa est MARIA quindecim gradus templi Salomonis, nullo remigante, seu cum ad huc trimula esset, nemine adminiculante supergressa? quid gradus templi commemoro? an non arca figura fuit MARIÆ, quæ novem Angelorum choros & sex hominum classes; videlicet Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, adeoq; quindecim creaturæ intelligentis ordines transcendit? Imo vero ipsissima est, quam Arca illa omnem supernans aquarum congeriem designabat.

Tametsi enim arca Noe è mente S. Augustini, humanitatis Christi similitudinem gesserit; propterea quod ejus arcæ figura humanæ respondeat. Nam cum longitudo ejus fuerit tercentum cubitorum & latitudo quinquaginta; altitudo vero triginta: sive latitudinem in sextuplum, seu altitudinem in decu-

plum,

Digitized by Google

plum multiplices, efficitur numerus tercẽtum, quod ipſum adhibita proportione, in humana figura ſeu mole videre eſt: Cum enim latitudo hominis ſit id, quod eſt inter latera, & altitudo id, quod in homine ſupino, aut prono eminet ſuper terram; ſi pariter multiplicetur; hoc eſt ſexduplicetur latitudo, & decuplicetur altitudo; efficiẽtur integra, & tota hominis proceritas, ſeu longitudo. Atq; cùm ob hanc humanæ figuræ, & Arcæ ſymetriam: tum etiam ob id & proprius (eodem aut hore Auguſtino) Arca typus quidam fuit, & character humanitatis Chriſti; quòd arcæ feneſtella, & ex quâ emiſſa fuit columba, imaginem geſſerit lateris Chriſti, quod cùm poſt ejus mortem perfoſſum fuiſſet, continuò profudit ſangvinem & aquam; ſeu baptiſma, quod abluendi vim habet â ſangvine Chriſti. Cumq; ablutio, ſeu Sanctificatio noſtra, Spiritui Sancto referatur accepta; non ſanè mirum; quòd cùm ex figurato corpore exiverit ſangvis & aqua; ex figura, ſeu ex Arcæ feneſtellâ prodierit Columba inſigne videlicet, ſeu ſymbolon Spiritus Sancti. Accedit in favorem interpretationis Auguſtinianæ; quòd ſicut in arca continebantur animalia munda, & immunda, ſic & in corpore Chriſti myſtico probos, pravoſq; reperiri. Cumq; hæc ita ſint; ut Arca humanitatis, ſeu Chriſti hominis præſagium quoddam, & oraculum fuerit; attamen quando ſicut idem ſermo plures habere ſignificationes poteſt; ita res eadem rerum eſſe diverſarum ſymbolum: Videamus, quæ dicuntur de arcâ ſiquo pacto congruant MARIÆ Virgini, & Matri. Et quidem ad amuſſim, & ſcite cohærent o-

Lib. de ci. Cit. 15.

rent omnia: Nam prætorquam quòd MARIA, inſtar arcæ, ſupereminet omnibus, uti jam diximus; alijs etiam de cauſis: Arcam Noe; dicimus MARIAM; ſicut enim, erat in Arca Noe, ut mundum cum ſua genealogia repararet, ita Chriſtus in MARIA, ut reſtauraret hominem; & quemadmodum Noe irriſus eſt à Cham filio juniore; ita Chriſtus à Synagoga, quam (teſte S. Gregorio) Joannes ætate junior, & perveniẽs citiùs ad ſepulchrum; ſed non ingrediens expreſſit, ſi igitur Noe Chriſti imago fuit; Arca, quæ illum geſtabat, MARIÆ ſimilitudo erat. Quid quod ſicut Arca cùm ſtaret ſupra montes, emiſit Noen; Ita MARIA in partu Chriſti, meritis fuit excelſiſſima. Adeo ut Scotus aſſeveret non potuiſſe eam, poſt filij conceptionem ultra aſcendere, ſeu mereri. Habemus igitur Maternitatem MARIÆ, in arca Noe præmonſtratam fuiſſe. Aſt ubi in fœcunditate Virginitas? Ecce ediſſero; ſcriptum quippe eſt: fac tibi arcam de lignis levigatis, & bitumine linias intrinſecus, & extrinſecus; quod enim ad hæc minutiſſima artificia tradẽda deſcendat Deus, & quidẽ talia, quæ cœteroquin opus non eſſet homini induſtrio ſuggerere, cum manifeſtũ ſit; rimis carere debere navim, ne aquas accipiat, & mergatur; hoc myſterio non vacat myſterio (inquã) Marianæ Virginitatis: quando etiam Doctoribus de Virginitate corporis diſceptantibus, viſum eſt eam, in intimâ clauſtri Virginalis partiũ conjunctione ſitam eſſe: id quod ligna illa levigata, interq; ſe affabre cõſerta, optimè oſtendũt: neq; illud per tranſennam legendum eſt: juſſiſſe videlicet Deum, ut extrinſecus, & intrinſecus bitumine ob-

Homilia 22. in Evangelia.

Apud ſuarez t. 2. in 3. p. diſ. 18.

Thom. Sanchez. de matrimonio l. 7. di. 14. n. 1.

me oblineretur arca; præſignificatam enim autumo B. Virginem non modò corpore, ſed ſpiritu talem futuram; quod voto firmata, & undiq; bene munita eſſet. Valeat igitur Durandus, qui in Virginis partu veriſimile putat, clauſtrum Virginale fuiſſe reſeratum: Multoq; magis nuncium mittamus Bezæ qui vel modico tempore, hoc eſt dum pareret, apertum Virginis vterum fuiſſe ajebat. Valedicamus etiam Origini, & Tertulliano, qui quod in nuptijs fit, id factum in partu Virginis ajunt: hoc eſt adapertam naſcendo vulvam: quaſi vero non aliter exponi poſſit illud: Maſculus adaperiens vulvam: cum reipſa infantium nemo aperiat, ut Chriſtus, qui penetrando permeavit, quo pacto ſolus, & primus aperuit. Sed dimiſſis hiſce, qui temerè nimis, & contra fidem ſentiunt; Id quod de arca, & Noe cap. 5. Gen. dictum eſt: ſpōte ſuâ cadit in rem noſtram; planeq; rem explicat. Et incluſit eum (inquit ſcriptura) Dominus de foris, quiſeſt iſte deforis à Domino incluſus? Nunquid non eſt Noe in Arca? ſive Chriſtus in Virgine? nam quæ unquam geſſit in vtero filium, & deforis occluſa fuit, ſive Virgo permanſit? præter MARIAM, nulla omninò, nulla.

Apud Vaſq. t. 2. in 3. p. in 4. d. 44. q. 6. n. 7.

§. VIII.

De Symbolo ſexto in cunis Moyſis.

DElectat me ſacrarum litterarum reſeratus ſenſus, & liquidiſſimâ voluptate perfunditur anima mea; ut in hâc vita delitiarum amplius

amplius non requiram: Et quoniam ſicut eſt triſtitiæ coarctare, ita lætitiæ exaggerare; perfuſus gaudio animus è cognitione myſteriorum Dei, foras erumpere geſtit, ut quod intus audivit, foris enunciet: prout etiam David ajebat: ſicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum: quid ergo eſt, quod ſapit animæ meæ, & delibandum alijs cupio propinare? En quid de ſe profitetur ſapientia: Cum eo, inquit, eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; & delitiæ meæ eſſe cum filijs hominũ, quibus de verbis proverb. cap. 8. expreſſis, ut aliquid altiùs repetam: primo quidem ſenſum litteræ aperiam, tum deinde, quid in rem hanc noſtram faciat, ſeu quo pacto transferantur ad Virginem exponam.

Proverb. 8.

Quod igitur ait ſacer codex? cum eo eram cuncta componens; Id ipſum eſt, quod S. Joannes refert: *omnia per ipſum*, id eſt Verbum Dei ſapientiam; *facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, ſive quod ipſe filius dicit: *Pater meus uſq; modo operatur, & ego operor*. Neq; hoc, abſq; rei graviſſimæ ſignificatione dictum aut ſcriptum eſt: nimirum à ſapientiâ quæque condita fuiſſe: Vt non caſu, aut fortuitò (ut quidam inſipientiſſime commenti ſunt) ſed certâ cum ratione, & ob finem Deo digniſſimum; ſciremus omnia fabrefacta fuiſſe: quippe ſapientia increata, ſe cum artifice fuiſſe dicit; Atq; ita ut cum admiranda prorſus ſit orbis machina, tantiq; opus artificij: Attamen non laborioſè, & quodam adhibito conatu ſeu niſu, factam à ſe hanc pulcherrimam, eximiamq; re-

Joan. 8.

Joan. 5.

Digitized by Google

amq; rerum molem, eſſe teſtatur: cum dicat non ſolum: *cum eo eram cuncta componens*, ſed addat: *ludens coram eo*; Inſtar videlicet expertorum, optimorumque artificum, qui ludibundi, mirâque facilitate & quaſi jocabundi, ac leviſſimo brachio exequuntur: in quæ cœteri toto pectore incumbentes, ægerrimè ea perficiunt.

Cœterum in hoc divinæ ſapientiæ luſu, ſi referatur ad B. Virginẽ; non alium eſſe autumo; quàm qualis vſurpari ſolet à Matribus jocabundis, & delitiantibus inter filiolos ſuos etiam num tenellos: Vt cùm in receſſu domorum, amori ſuo erga proles aliquid indulgentes latitant poſt cortinas, vel lecti ſpondam, aut ſe ſe poſt januam occulunt; quaſi conſpectum filiorum ſubterfugientes; ut cum repertæ fuerint à filiolo ſollicitè, & anxiè, veluti prædam quæritante; exultet proles cum Matre, & geſtiat: filius quidem de repertâ parente; & parens delectetur de ipſo filiorum ſolatio; quod ij crepundijs hiſce mirificè afficiantur.

Ergo ſimile quiddam agit nobiſcum Dei Mater MARIA; abſcondit ſe ſe ſub figuris, & involucris veteris teſtamenti, noſq; ad indagandum vbi nam ſit, ipſa obſcuritate accendit; dum faciem ſuam ſubducit ab aſpectu noſtro, cumq; reperta fuerit, gaudeant gaudio magno, quaſi de viſa ſtella cliẽtes ſui. Tametſi igitur illam ſub velo Arcæ Noe repererimus hoc eſt Virginem, & Matrem; rurſus tamen ſubducta eſt ab aſpectu, & non apparet. Video quidem fiſcellam quandam ſcyrpeam illitam bitumine & pice; & in eâ infantulum, eamq; deferri ſecũ-

O do al-

do alueo, eminentemq; ſuper aquas. Proſpiciamus Exodi 2. attentius, an forte non ſit hæc ipſa Virgo, & Mater MARIA: Imo ipſiſſima eſt: Cum enim infans is Moyſes ſit, & Moyſes Chriſti figuram prætulerit; ipſo atteſtante: Deuter: 18. *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies:* Non dubium etiã eſt, quin fiſcella illa ſcyrpea, ut pote enodis, hoc eſt abſq; ullâ peccati ſcabritie, & inſuper illita bitumine, & pice, hoc eſt habens intra ſe quidem filium, & nulli deforis humori intro ſe ſe inſinuanti pervia; Indubitatum, inquam, eſſe debet, quin ipſa fuerit Virginis, & Matris deſcriptio hieroglyphica: Nam & fertur ſuper aquas, quod Virgo in conceptione Chriſti tranſcenderit etiam aquas, quæ ſuper cœlos ſunt; quam in rem appoſitiſſimè dixit in cap. 1. lib. Regum, S. Gregorius S. Gregor. in hæc verba: *MARIA ut ad conceptionem æterni verbi pertingeret, meritorum virtutem ſuper omnes Angelorum choros, uſq; ad ſolium Deitatis evexit.*

§. IX.

De Symbolo Septimo in fæminis ſterilibus.

AT vide, amabo te, Dei ſapientiam; Cum enim ſingularem hanc prærogativam vellet MARIÆ eſſe reſervatam; ut ea nempe ſola eſſet Mater & Virgo: Atq; vna etiam ſapientiſſimè decreviſſet: hanc ſanè miram Virginitatis, ac Maternitatis compoſitionem, per quaſdam veluti Iſagogas,

gogas, ſenſim mundo inſinuare, ut deinde cùm reipſa exhibita fuiſſet, facilius ad aſſenſum admitteretur, vide inquam, quid divinum adinvenit conſilium, *quo attingit à fine, uſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter* : hoc ſcilicet fecit : ut nimirum quidam ex illis veteris teſtamenti Patribus, quiq; Chriſti venturi ſimilitudinem portaturi fuerant, è ſterilibus fœminis progignerentur : Vt cùm eſſet cognitum divino miraculo, ſterilem genuiſſe, minùs ægre crederetur ; parere potuiſſe & Virginem. Quare Sanctus Archangelus Gabriel, cum prædixiſſet MARIÆ fore ut illæſa Virginitate pareret : Eliſabethæ conditione ſua ſterilis, attamen Dei beneficio gravidæ corroboravit exemplo : eâ veluti ratiocinandi forma uſus ; Non eſſe Deo impoſſibile factu, ut Virgo pariat, qui efficere potuit, ut conciperet ſterilis : quod quidem præter logicorum canonem eſt, Negantium, argumentum à minore ad majus affirmando, rectè poſſe procedere. Cœterum id quidem apud homines conſequens non eſt, quibus aliud alio eſt difficilius factu : neq; enim inter homines, qui quod minus difficile eſt, poteſt ; actutum, quod magis arduum eſt, poterit. At verò ſi de virtute divinâ agatur ; hoc eſt vtique conſequens ; nam Deo æque facile eſt omne quod vult ; vti ajebat Angelus geneſ. 18. *Nunquid Deo quidquam eſt difficile ?* & ut Judas Machabæus : *facile eſt concludi multos in manus paucorum, & non eſt differentia, in conſpectu Dei Cæli liberare in multis, & in paucis.* Ergo quod Archangelus Gabriel ad teſtandum Virgineum partum induxerit exemplum illud à fœmina ſterili petitum tale fuit,

Cap. 3. 1. mac. 3.

ac ſi

ac ſi diceret: Si Deus ſterilitatem Eliſabethæ fœcundam reddidit; poterit, & tuam, ô Virgo, Virginitatem fœtu novæ prolis amplificare. Neq; enim fortuitò dixit Angelus: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*; quaſi dicat, redargui in pollicitatione mea non poſſum quaſi non benè inferam ex eo, quòd ſterilis gravida ſit; Virginem quoque reddi poſſe fœcundam: non male, inquit ille, ita cõcludo; *quia non erit impoſſibile apud Deum, omne verbum.* Sed age videamus jam, qui nam ſint illi, qui ex ſterilibus nati ſunt, & Chriſti, qui Virginis filius eſt, veluti quædam ita naſcendo delineamenta duxerunt? Iſaaco quidem certe ytrumq; egregie complet; Nam & Sara Mater ejus ſterilis erat, ut apertè ſcriptura teſtatur, & reipſa compertum eſt; cum primum nonagenaria genuerit filium jamq; deſiiſſent ei fieri muliebria; hoc eſt fluere menſtrua, quæ ſunt ad conceptionem neceſſaria. Genitus eſt ergo Iſaac ſecundum repromiſſionem, quâ teſtatus fuerat Abrahamo Deus, *juxta condictum revertar ad te, hoc eodem tempore*, & habebit Sara filium: licet hoc Saræ valde mirabile videretur, & diceret: *Num verè paritura ſim anus?* Iſte Iſaac ſterilis fœminæ filius, quàm bene, & pene ad vivum vitæ ſuæ actione, Chriſtũ expreſſerit, dubitare poteſt nemo, quiſquis animo recogitet Iſaacum ligna ſupportantem humeris ſuis, tanquam Chriſtum bajulantem ſibi crucem, & montem pariter conſcendentem: Item acceptaſſe mortem à patre ſibi inferendam, eundemq; ligatum recogitet, atq; deſtratum ſuper ſtruem lignorum, Deo victimam caſurum: ipſum nihilominus qua-

Gen. 21. & ad hebr. 11.

nus quaſi à morte redivivum, dum pro eo agnus immolatur, quòd nihil omnino, paſſâ divinitas ſit: Adeoque Iſaaci corpus fuerit aries in vepribus cornibus hærẽs; hoc eſt Chriſtus ſpinis coronatus, & immolatus. Quod ergo ſterilitas Saræ, hoc Virginitas MARIÆ; quod Iſaac; hoc Chriſtus; ille de ſterili; hic de Virgine, & ſi eſt fœcunda ſterilitas, non eſt ſterilis Virginitas. Fuit ergo in Sara ſterili, & tamen Matre, ſimilitudo quædam MARIÆ Virginis, & Matris futuræ. *Aug. de Civit. lib. 16. cap. 32.*

Sed illa nihilominus Saræ nurus Iſaaci conjunx Rebecca Virginitati fœcundæ ſterilitate ſuâ præluſit, in quâ velut inciſam Beatæ Matris Virginitatem videre licet. Namq; ut habetur gen. 25. deprecatus eſt Dominum Iſaac pro vxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis; qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Atqui dum ſterili fœminæ conceditur à Deo fœtus, & fœtus geminus, in quodam veluti paradigmate filius Virginis homo, & Deus depingitur. Nam B. Virgo veluti geminum edidit, dum Deum pariter, & hominem genuit: Pergamus in hâc genealogia ſterilium, & ubiq; videamus Matrem, & Virginem tanto ante prænunciatam. Ergo quod adventantibus perſonis Illuſtribus fieri ſolet; ut præmittantur alij, atque alij, ſic ſteriles iſtæ è lege veteri Matri Virgini præcucurrerunt; ut eſſent prænunciatrices appropinquantis Dominæ, & Reginæ. Nunquid enim Rachel Joſephi Mater, & ipſa ſterilis non fuit? quòd ſi Joſephus Chriſti prodromus, & imitator fuit: certè & Rachel MARIÆ: genuit Rachel Joſephum, qui alio nomine Salvator mundi *Gen. 25.* *Gen. 41.*

dictus eſt, adoratuſque ab vndecim fratribus: quid horum deeſt in exemplari? nonne verus mũdi Salvator Chriſtus JEſus, à totidem diſcipulis, quos & fratres appellarat ſumma veneratione cultus fuit? quod ſi Joſeph à Juda venditus: & Chriſtus ab ejuſdem nominis homine proditus eſt: quare quemadmodum imago Cæſaris, dici Cæſar conſvevit; ita Joſeph Salvator mundi, quod Chriſti eſſet imago, appellatus eſt. Quid plura? Samuel ex Anna, & ipſa ſterili natus eſt; & dedicatus Deo omnibus diebus vitæ ſuæ, & novacula non aſcendit ſuper caput ejus; Judicavit populum; *& notum à Dan vſq; Berſabea, quòd fidelis Samuel Propheta eſſet Domini*; quæ omnia, quàm bene vitam Chriſti, & actiones expreſſerint; cui facile non eſt, ſi velit, recogitando conferre? Legatur Annæ ſterilis, & Matris canticum, quod gratulabunda eructavit, ob datum ſibi divinitus Samuelem, & conſtabit quàm aptè B^æ. Virginis cantico congruat. Dicit Anna: *Exultavit cor meum in Domino, & lætata ſum in ſalutari tuo*; hæc autem quid? oſtendit videlicet MARIA, vnde deſcripſerit Anna canticum ſuum, ait enim: *Exultavit Spiritus meus, in Deo ſalutari meo*. Canit illa: *non eſt fortis ſicut Deus noſter*: canit hæc: *fecit potentiam in brachio ſuo*: dicit illa: *repleti prius pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt*: dicit hæc: *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*; *& exaltavit humiles, eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*. Prætereo Matrem Sampſonis, & ipſam ſterilem, cui tamen, ſicut prædictũ fuerat ab Angelo fore, ut conciperet filium, qui inciperet liberare populum; Ita Virgini prænunciatum,

Matthæi 28. v. 16.

tum, quod conceptura eſſet & paritura filium, nomine JEſum; & quod non inane nomen Salvatoris habiturus eſſet, prædixit Angelus Joſepho: quod ipſe ſalvum facturus eſſet populū à peccatis eorum. Quare quemadmodum Chriſtus in Sampſone incepit liberare populum; ſic in ejus ſterili Matre, cœpit naſci ex Virgine.

§. X.

Ex occaſione fæminarum ſterilium fit digreſſio ad triplicem ſtatum animæ Chriſtianæ, ſeu Deo conjugatæ.

VOlo huic loco de ſterilibus, iiſdemq; adventus Virginis, & Matris poſt annunciatricibus quiddam, quod ad mores ſpectet inſerere. Id quod ſanè cupio animis noſtris penitus imprimi ob eam, quæ percipi poteſt, ex illius conſideratione, utilitatem; ſic enim in theoricis hiſce verſari debemus; ut aliquod ex iis ad nos emolumentum derivemus; ne cæteroquin, menſæ divitis accumbentes, ciborum duntaxat ſuaviolentiam odorati, inter ipſas epulas fame, & macie tabeſcamus. *Pro d. 8. Epiphaniæ.*

Ergo cùm omnes ſterilium partus miraculo Dei obvenerint; tùm multò magis Virginis fœtus prodigioſus fuit. Nam Virgo, aut ſine viro eſt; aut opera viri non vtitur: At ſteriles fœminæ interveniente copula conceperunt; quæcunq; peperêre. quare Sara ſterilis cùm eſſet; & prædiceretur nihilominus ei

nus ei fore ut filium gigneret; opera viri ſe conce-
Gen. 18. pturam eſſe cognovit & dicebat: *poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Eâdem de cauſa, Præcurſoris Mater prægnans ex viro ſene & ipſa ſenex: occultabat ſe menſibus quinque credo pudore deterrita à publico, propterea quod eâ ætate virum cognoviſſet. Majus vtiq; eſt igitur miraculum Virginem, quàm ſterilem parere, etſi utrumq; ſit admirandum: Vnica enim eſt Virgo fœcunda, plures ſteriles tandem effectæ matres fuere. At verò, quæ nec Virgines, neq; ſteriles ſint: de his plenus eſt orbis terrarum. Neque tamen his, quæ partubus abundant, præſto non adeſt Deus ut pariant; ait enim: Si ego, qui cœteris generationem
Iſaiæ 66. tribuo, ſterilis ero? Cœterum hoc nunc conſiderari à nobis volo: quòd cum omnibus, quæcunque pariunt, gignendi facultatem præbeat Deus; ſi tamen fiat ut Virgo innupta aut quæ virum non cognoſcit, etiam non pariat, neminem fore putò qui vitio ei vertat, ſed neq; dari probro ſterili poteſt: nam quo minus pariat, præpeditur, vel à frigiditate, debilitateve (ut evenit in ſenibus) aut à nimia viſcerum pinguedine, aut aliunde, ut meliùs medici norunt: At quod ea quæ virum cognoſcit, nec à conſtitutione, ſeu habitudine corporis vllum habet impedimentum; attamen non concipiat & pariat; ſed deditâ operâ abortiat, aut conceptum elidat, enecetque, iſtud planè ferendum non eſt: ſicut non tulit Deus ſimile factum, in Onan filio Judæ: hic enim cùm ingrederetur ad vxorem fratris defũcti; ne filios ei ſuſcitaret; ſemẽ fundebat in terram.

Quæ

Digitized by Google

Quæ res adeo fuit inviſa, ingrataq; Deo; ut percuſſerit eum Dominus; *quod rem,* (ut ait SS^a) *deteſtabilẽ faceret.* Verùm transferamus hæc ad nos, ſalutaremq; ex his doctrinam eruamus: Quam enim dicamus animam conjugatam quidem, ſed quæ virum non cognoſcat, cui proinde verti vitio non poſſit, ſi non gignat? quam item ſterilem, quæ ab infirmitate quâpiam, ſeu pariendi impedimento habeat excuſationem, etſi cœteroquin viro jungatur? Sed quam tãdem eam, quæ ad hoc, quod virum cognoſcat, minime etiam ſterilis ſit, quæq; proinde poſſit, ac debeat, plures concipere, ac parere liberos? Næ ego veriſimile aliquid dixero, ſi triplicem hanc ſortem, in hominum Chriſtianorum genere, reperiri oſtendero? quid enim? nonne vitæ ſæcularis ſectatores, ſeu laicos, quoad ſpiritales filios, & fructus in lucem edendos, inſtar fœminarum earum habere poſſumus, quæ virum quidem habent, ſed eum non cognoſcunt? Eos vero Eccleſiaſticorum cùm ſæcularium, tùm religioſorum, qui ſic operam ſuam navãt Eccleſiæ ut unà negotijs Reipublicæ civilibus, aut Oeconomicis diſtineantur, conferre licebit cum ſterilibus; quæ quidem virum cognoſcant (neque enim alias eorum deprehendi ſterilitas poſſet) ſed in pleriſq; eorum impedimento fieri aliquo, ut filios eniti non queant. Quæ porro jam ſunt illæ animæ, quæ viro ſuo cohabitant, & ſine pariendi impedimento ſunt? eas eſſe dixerim, quæ divino cùm mãcipatæ ſint ſervitio, moleſtiſſimis præterea negotijs urbicis, ac domeſticis carent. Atq; ego quidem triplicem hunc animæ ſtatum à Salomone fuiſſe præ-

Gen. 38.

nunciatum, in ejuſq; conjugibus delineatum autu-
Cant. 6. mo. *Sexaginta*, inquit, *ſunt Reginæ, octuaginta concubinæ, Adoleſcentularum non eſt numerus.* Noñe Reginarum locum obtinent animæ illæ, quæ nullis hujus vitæ deſiderijs ſubijciuntur, aut ancillantur. Cujuſmodi ſunt illi, qui deſiderium poſſidendi non habent; aut ſi poſſideant, non poſſidentur ipſi ab opibus, honoribus, ſive terrenis voluptatibus? Et ſi quo minus faciunt, cum interea loci virum cognoſcãt; hoc eſt Eccleſiaſticis munijs, (quæ cœteroquin prolifica ſunt) diſtineantur; ſi ob eam, inquam, terrenarum rerum curam, & ſtudium non concipiant filios; qui non ex ſangvinibus, nec ex voluntate carnis; ſed ex Deo nati ſint: hi inter concubinas atque ſteriles connumerabuntur; quamvis viro cohabitent; hoc eſt in domo Dei, ac intra religioſos parietes commorentur. Et veluti hujus generis ſterilitas ex pinguedine naſcitur; cùm opima beneficia animum ad ſe avocant à prolificatione ſpiritalis generationis, per divini verbi prædicationem, Sacramentorum miniſterium, ſynodos, inſpectiones, morum correctiones, & quod caput eſt, per vitæ bonæ exemplum. Inter adoleſcentulas, quæ etſi conjuges, attamen viro ſuo non dum cohabitant, quis non videat ſeculari vitæ deditos, ſeu laicos, eſſe reponendos? hæ vtiq; animæ non niſi grandi miraculo parere poſſunt: Cum hujus generis homines liberis minimè dent operam: quâ etiam de cauſa ſicut vna fuit Virgo, quæ abſq; operâ viri peperit, ita minimus Laicorum eſt numerus, qui ſolidos fructus boni operis emittant, formentq; ſive perficiant Chri-
ſtum in

ſtum in cordibus aliorum. Et quemadmodum plures è ſterilibus poſtea beneficio Dei fœcundæ ſunt redditæ; ita nonnulli eorum, qui ſterilitatis malo laborabant, ob eam animi diſſipationem, ſublato deinceps impedimento, ideſt compoſitis, ſedatiſq; ſollicitudinibus, quæ ſemen patris familias ſuffocabant, Deo, qui ſors eſt, hæreditaſq; eorum, filios genuerunt. At vero uti Matronarum illæ, quæ cùm à natura fœcunditate ſunt præditæ; viro quoq; ſuo adhærent, facile numeroſa prole abundant; ſic animæ, quæ cum intellectum divino lumine habeant illuſtratum (quâ in re cōcipiendi tota vis poſita eſt) ſi præterea careant moleſtiſſimis occupationibus, quibus aſſiduè mens agitata ſemen excutit ut formari fœtus non valeat; Atque interim Chriſto copulentur per rerum divinarum meditationem, ſacram lectionem, ſacramētorum uſum; divini verbi prædicationem, ac ſancta colloquia; neceſſe profectò eſt, eas, ex te Marito JESV, abundātiſſimâ prole redundare: præſertim verò Cum Deus ſe ſe frequentiùs communicet ijs, quos ſuſcipiendæ proli videt eſſe magis idoneos; uti Patriarchas, Abrahamū, & Jacobum, etiam uxoribus primarijs eorum benevolis, feciſſe legimus (neque enim voluptatem, ſed filios quærebant) ut videlicet fœcundis potiùs (etſi deformibus) quàm longe pulchrioribus, ſed ſterilibus commiſcerentur. Lia ſanè illa, lippis oculis, ita dicebat: etiam hâc vice erit mecum maritus meus, quòd genuerim ei ſex filios: Et Abraham relictâ fœminarum pulcherrimâ Sara, Ancillæ commiſcebatur. quæ etiam ideo ſcripta ſunt, ut intelligeremus Gen. 30.

inſiſtendum nobis magis eſſe ijs munijs, atq; negotijs, quoad licet, quæ etſi minus ſpecioſa ſint, magis tamen (ut ſic dicam) prolifica ſunt. Neq; enim hæc, (Deo dictante) ſcripta fuere, ut ſolùm concubitus Patriarcharũ ſciremus, ſed diſceremus, quòd quemadmodum Planetarum in Cœlo concurſus, ſunt ſigna temporum; ita in ſacra pagina, patrum congreſſus, eſſe ſigna morum. Et quoniam veluti baſin quandam hujus noſtræ diſceptationis de triplici animarum ſorte, volumus eſſe Reginas, Concubinas, & adoleſcentulas, omnes Salomonis conjuges, Videamus an aliquid etiam magis appoſitum in rem noſtram elicere inde poſſimus: Certè Salomõ Chriſti typus fuit: cùm quòd Rex pacificus, ſapientiſſimus (adeo ut quæ de Salomone prædicta fuerunt Davidi, propriùs pertineant ad Chriſtum) Tùm verò etiam in eo Salomon Chriſto præluſit; quòd ſicut is innumerarum pene vxorum copiam ſibi aſſociavit, & præſertim alienigenarum; Ita Chriſtus animas quàm plurimas ſibi deſpondit, & quaſi alienigenas, quòd à Deo, ob peccati labem, eſſent quàm remotiſſimæ: Neque tamen minus eas adamavit, quam Salomon ſuas quibus, ut ſacræ litteræ loquuntur, copulatus eſt amore ardentiſſimo. Cæterum ex his omnibus, vna Salomonis vxor peperit Maſculum; videlicet Naama Roboamum: Nunquid hoc abſq; alicujus inſinuatione myſterij? Etenim ſi (D. Greg. teſte) abſq; Sacramento non fuit, Davidis adulterium; Neq; Salomonis in tanta vxorum multitudine unius filij generatio. Verùm eccquid primaria non fuit Salomonis vxor Naama, quæ

Notabile.

3. Regum 11.

3. Reg. 14.

Lib. 3. moralium in Iob, cap. 12.

Digitized by Google

ma, quæ Regi vel destinato, vel jam electo, prima nupsit, & singulariter nominatur? cur ergo unum tulit, cùm fuerit imago nobilium animarum Deo desponsarum; quæ & fœcundæ sint, & inhæreant sponso? Reipsâ quidem vnum tulit; sed hoc nihil obstat, quominus animæ fœcundæ ex eo quod totæ inhæreant Deo; plures præsignificarentur pituræ. Vnus est enim Christus, qui gignitur in plurimis ut Apostolus ait ad Galat. 4. filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Ita ut quamvis plures ad fidem adducantur, aut ad saniora consilia, & statum gratiæ, vnus tamen censeatur esse genitus; eò quod credentium, & amantium sit cor unum, & anima una. & non est divisus Christus. Ergo Naama id est pulchra (hæc enim huic vocabulo notio subest) in similitudinē Matris Samuelis Annæ, etsi vnum; attamē plures genuisse censenda est (juxta illud Reg. 2. *donec sterilis peperit plurimos*) quod fuerit typus perfectè Deo adhærentium animarum, quæ plurimos enituntur, & unum. Cœteræ, etsi Salomoni connubio junctæ sint, steriles sunt, vel ad viri complexum non perveniunt, quales erant adolescentulæ illæ Salomonis, quas eo nomine, hoc est *Halma*, appellari ait S. Hieronym: quod ijs solum congruit, quæ virum non cognoscunt: quā in re, ut dixi, triplicem, animarum Deo desponsarum reperimus classē. primæ, quæ paucissimæ sunt; & quasi vna, non solum Deo junguntur, sed ex copulâ fœcundantur; secundæ Deo quidem adhærent, & munia Ecclesiastica obeunt concionandi, & sacramenta administrandi; sed quia humoribus noxijs abundant;

Ad Cor. c. 1.

Isaie 17.

dant; hoc eſt appetitionibus pravis, ſteriles ſunt, & prolem non concipiunt, quod ſi concipiunt, fœminas edunt (nam duæ filiæ fuerunt Salomoni, ex obſcuris Matribus) ideſt debilem, & imperfectum fœtum effundunt 3. Reg. 4. Tertiæ habent quidem & illæ Deum maritum, ſed ſpiritualibus liberis non dant operam, & proinde ſine prole ſunt.

Cum igitur mens ſæcularibus curis, quaſi aruinâ viſcerum libera, ſuſcipiendæ proli, ſit maximè idonea; præſertim cum hujuſmodi Deus ſe ſe familiarius, frequentiuſque impertiat; cavere profectò debemus; quot quot religioni tum deinde ſodalitijs Marianis, nomen dedimus; ne fœcundum Eccleſiæ agrum, vacui meritis occupemus; ne divinū ſemen excludamus, ne ſponte abortiamus, Nam ſi orba fuerit anima noſtra liberis; hoc eſt operibus ſpiritus careat; hoc enim eſt ſpiritale connubium: & opera ſpiritus ſunt: Charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, longanimitas, manſvetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas: exiſtimabitur quod de Onna ſupra dixi, rem deteſtabilem facere coram Domino, hoc eſt ſuffocare divini germinis ſemētem ne pariat, & infidelis erit ſponſa, quæ Marito JESV, fidem datam non ſervet. Certè maritus animæ noſtræ eſt JESVS, qui adoleſcentulas procatus eſt, & quia amore noſtri ardebat, reluctantes quoq; & invitationem faſtidientes prehenſabat: dedimus manus aliquando, perque devotionem noſtri in ſodalitium contraximus conjugium; quid ſupereſt, quàm ut ærumnæ Ævæ, ac maledictum vertatur in fœlicitatem, multiplicenturq; non ventris, ſed mentis

noſtræ

noſtræ fœtus, & Eccleſiam, quæ eſt domus Dei, ſpiritualibus filijs, ac operibus repleamus? Et ni præſtemus nos hoc, qui iccirco vocati electiq; ſumus: meminerimus quid Spiritus Sanctus divinæ paginæ conſignarit: ſic fiet, inquit, homini, qui non ædificat domum patris ſui: hoc eſt, ſpuetur in faciem ejus; ſeu reprobabitur: ſic enim de hoc loco S. Auguſtinus lib. 14. contra Fauſtum, qui objiciebat eam ſententiam adverſus vetus teſtamentum, quaſi continentiam improbaret: ſic inquam, Sanctus Doctor interpretatur dictum: *Sive tunc cum populo ſecundum carnem propagando, etiam carnalis prolis operatio in conjugali caſtitate, ad officium cōjugum pertinebat; ſive nunc* (quod in rem noſtram facit) *ne quiſquam Spiritualiter natus; putet ſibi debere ſufficere, neq; inſtet dominicis lucris:* eaque beatitudine extorris fiat, de qua Iſaias cap. 26. *Beatus, qui habet ſemen in Sion, & propinquos in Ieruſalem.* Et verò, ſiqui ſunt, qui numeroſam habere prolem, ſeu ſpiritales filios quàm plurimos progignere debeant: ſunt profecto etiam ipſi inprimis Societatis IESV homines tum eorundem diſciplinæ alumni; non enim uni viro Virgines caſtæ, duntaxat deſponſi ſunt, ſed habent præſidia ad enitendum præſentiſſima: Neque de ſocietate dici poteſt illud, quòd parvula ſit, & vbera non dum habeat; ſiquidem ſtaturam ſuſcipiendæ proli habilem jam nacta eſt; neque enim Juvenes parum à doctrinâ, ac virtute inſtructos, vel præficit Cathedris, vel ſacris admovet tribunalibus; ſed eos, qui ad commendationem ætatis, habeant turgentia lacte ſcientiæ, & prudentiæ vbera; hoc eſt, quorum intellectus doctrinâ

Deutr. 25. v. 9.

Auguſtin.

Iſaias

excultus

excultus ſit, & voluntas bene affecta; ut fieri nullâ ratione poſſe videatur; quin uſu miniſteriorum Eccleſiaſticorum, plures in Eccleſiæ gremio ſoboleſcant. Atque verò etiam, ad hujus generis parturitionem, tantò magis animandos omnes nos; hoc eſt tam religioſos ipſos, quàm reliquos, qui ex ſodalitijs Beatiſſimæ Matris evadunt in Præſides Eccleſiarum, aut ordinum quoruncunque mendicantium, fiunt aſſeclæ; ut quando noſtrum eſt ſaluti animarum cooperari, illud veniat etiam nobis in mentem, quod quemadmodum illæ vites quæ fructum tempore ſuo reddituræ creduntur; ſuſtinentur ab ulmo: Ita Religiones, ac potiſſimum Antiſtites Eccleſiaſticos ut parere poſſent, principum virorum authoritate, & ſumptu ſubrigi, atque etiam miniſtrorum domeſticorum diligẽtia, qui omnes veluti obſtetricantur ad edendos in lucem ſpiritales filios. Et gaudet ipſa vlmus etiamſi ex ſeipſa fructum non educet, ſi ea, quam portat (hoc eſt vitis) fœcunda ſit, & abundet: Sic igitur Fundatores noſtri; alijque de Eccleſia benemeriti, tum præſides ipſi, atq; Oeconomi, ac rerum temporalium adminiſtri exultant, quòd arborẽ fertilem, & fructibus onuſtam ſuffulciant. Lætanturq; alieno fructu, tanquam ſuo, quin etiam & ſuus eſt. Quòd ſi quis inter hæc, nihilominus effœtus eſt, & prole caret; quia nullum exemplo, nullum alloquio, aut adhortatione ad meliorem frugem adducit: Caveat, ne in vacuum gratiam Dei acceperit, atque maledictum ſterilitatis incurrat, quòd ex eorum numero ſit, qui acceptum talentum in ſudario involuit, aut in terram defodit:

ſimilitudo Hermæ paſtoris & Gregorij magni homilia 20. in Evãgelia.

Audiatq;

audiatq; postmodum gravem heri exprobrationem illam: *Serve nequam & piger.* Vtinam verò magis audire possimus: *Mna tua fecit quinq; mnas:* ecquid enim est fecit quinq; mnas? quàm quòd *justus ut palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur?* Nolo in hoc argumento, quòd sterilium fœminarũ (quæ Virginis ac Matris prænunciatrices fuerunt,) consideratio subministravit diutius hærere, hoc solũ dico, quòd sicut instante Judicij vltimi die: dicêtur Væ prægnantibus, atque nutrientibus, ita futurum væ illis, qui cum ad hoc constituti in Ecclesia fuissent, ut eam fœtu novæ prolis amplificarent, attamen steriles, infœcundiq; deprehendentur.

§. XI.

De Symbolo octavo in oraculis Prophetarum.

QUasi in processu pomparum, hiatum quendam cerno; Nam cùm Matris Virginis prodromi illi antecesserint, & quamvis subobscure annũciarint adventatem, sed ad huc longe positam Reginam: pone subsecutæ sunt fœminæ steriles, quæ miraculo deinceps fœcundæ redditæ, majorem appropinquantis Dominæ præseferebant significationem. Jamque intendebamus oculos, ut prodeuntem Virginem Matrem videremus, & apparuit nemo, sermonem solùm audivimus quorundam super his, quæ jam prætererant sterilibus fœminis, & sermonem exhortatorium.

Levate nunc oculos, vel potius porrigite aures: audio enim Prophetarum cuneum, eorumq; præconia, ut prope abeſſe Dei Matrem, & Virginem neceſſe ſit. Audio, & clariſſime inſonat Iſaiæ tuba, &

Cap. 7. clangor eſt iſte dicentis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; quod ſuum vaticinium, euphoniæ majoris gratia, aliter ſubinde depromit, elegantiq; veſtit

Cap. 53. v. 1. allegoria: *Aſcendet*, inquit, *ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terrâ ſitiente.* Siticuloſa vtique terra Maria, quæ ad concipiendum, gignendumq; Dei filium terreni humoris expers fuit. Pergit in modu-

Cap. 19. v. 1. lis ſuis harmonicis Iſaias, & accinit: *Aſcendet Dominus ſuper nubem Levẽ*, quæ eſt iſta nubes levis, & Dominum ſuſtinens? An non Maria, quæ non è fœculentâ terræ aqua, ſed de rore Cœli, pluviam ſalutarem effudit: etenim *inventa eſt habens in utero de*

Cap. 32. *Spiritu Sancto.* Apparet Prophetarum alius Hieremias, & quamvis præconium ſuum vario inſternat emblemate, ac pulcherrimo obtegat modulamine, internoſco tamẽ virtutem vocis, ac Prophetæ mentem. *Accepi*, inquit, *librum poſſeſſionis ſignatum, & ſtipulationes, & rata, & ſigna forinſecus*; quis enim hic liber ſcriptus, & ſignatus? nonne is, in quo continebatur pactum, ſeu cõtractus venditionis, & emptionis agri initus inter Hieremiam, & filium patris ejus Hanameelem; Ita ut Hieremias accepto libro ſignato, agere poſſet jure ad agrum poſſidendum, ſibiq; habendum? Quod ſi verò etiam, *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, ac redemptio*, eamque in nobis effecit: allegare aliud jus, ſeu merita cauſæ noſtræ ad capeſſendam poſſeſſionem ter-

nem terræ, quæ promissa nobis est; non possumus, quàm Christum ipsum, qui adoptionem nostram æquissimo jure consecutus est à patre: Cùm vero hic Christus in sangvine, & carne Deiparæ digito Dei incisus, ac descriptus fuerit, ipsa est liber ille scriptus & signatus, ipsa est, quam ajunt, charta Virginea, in quâ Deus exaravit fœdus initum inter se, & genus humanum. Non ignoramus quâ diligentia, & curâ custodiantur tabulæ, in quibus jura prædiorum, ac testamentorum descripta sunt: non minore profecto observantia colenda est illa, quæ liber est signatus à Deo, & conscriptus ad regni Cœlestis adeundam hæreditatem. Sicut namq; Sangvis Christi est, diciturque testamentum, hoc est instrumentum, seu sacramentum ac medium, cujus vsu proferimus jus nostrum, quod in eo habemus, idest æternæ hæreditatis obtinendæ in Cœlis: Sic MARIA cùm ob inviolatum Virginitatis claustrum, liber signatus sit, & nihilominus scriptus (quod ex ea salutis nostræ author conceptus sit) facta est mediatrix nostra, & recuperandæ salutis instrumentum. Quâ etiam de causa quamprimùm Christus apparuit enatus è Virgine, cùm veluti è libro prolatum, & prælectũ fuerit jus nostrum, quo donabamur à Deo perveniendi ad Dei ipsius amicitiam: actutum Angeli, tanquàm divinæ voluntatis interpretes pacem inter Deum, & hominem promulgarunt. Atque quòd ita prorsus se habeat, ut dicimus, si melius cognoscere velimus, Hieremiæ incessum, & manu ducentẽ ad sensa mystica subsequamur. Nam quid agebatur tunc quando initus ab Hieremia contractus, & relatus in tabu-

las est, idque propterea, quod (ut ipse testatur) intelligeret Propheta quòd verbum Domini esset: hoc est non civilis aliqua, & mere humana negotiatio, sed parabolica, ac divini opus consilij: quid igitur agebatur tunc? Is videlicet erat rerum cursus apud Judæos: oppugnabant validis machinis Chaldæi Hierosolymam; quamobrem multi, in quibus Patruelis Hieremiæ depositâ spe retinendi terram promissionis, ac patriam, divēdebant possessiones agrorum. At Hieremias, ut eos revocaret in spem postliminij; suoque exemplo indicaret affore tempus, quo redire in Patriam possent, posteaquam apud Chaldæos exulassent; per idipsum tempus, quo alij sua distrahebant, ipse coemit agrum, & confectum de hâc ipsa transactione instrumentum publicum, & pactum mutuum est; Hunc librum, seu tabulas emptionis, ajo fuisse figuram Virginis, & Matris. Cum enim Herodes regnaret tanquam alter Nabuchodonosor; nî malimus dicere; Cum princeps hujus mundi Sathanas rerum potiretur, pervrgeretq; fideles; In Virgine descriptum est pretium agri empti, quo certa nobis esset terræ nostræ, seu patriæ cœlestis possessio. Vnus fortasse fuerit per id tempus Hieremias (erant sane paucissimi) qui freti titulo dominij, qui relatus erat in librum, sperabāt se non fraudandos fructibus ex agro olim percipiendis. Pari modo, cùm est confectus liber iste, de quo loquimur, in eoque instituti sumus hæredes terræ cœlestis, pauci admodum fuere, qui verâ spe, & exspectatione redemptionis niterentur. In ijs quidem fuit Joseph vir justus, qui erat quasi librarius publicus, & ratio-

& rationes omnium, seu jus ipse custodiebat. Talis Zacharias, qui coram hoc libro spem suam professus est, dum dixit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Talis senex ille Simeon, qui etiam legit ex hoc libro, quãdo ex vlnis Virginis ejus filium in sinum suum collegit, & deosculatus est dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* O verè liber absq; litura, Virgo MARIA. Jam intelligo cur dicatur arca fœderis; revera enim in eâ statuit fœdus nobiscum Deus; & ideo illam tanquam volumen grande veneramur, in quo reposita est tota spes, & ratio fiduciæ, atque hæreditatis nostræ. Ipsa est Epistola, in qua misit ad nos Deus Pater verbum suum, quæ legitur,& non resignatur: ipsa est membrana candidissima, per quam pellucet is, qui dixit: *ego sum lux mundi.* Quid ita amœnum, ac pulchrum, quid tam liquidâ voluptate conditum, quàm cum divinæ sapientiæ, *cujus delitiæ sunt, esse cum filijs hominum*, enucleatum fuerit ænigma: & intellectum quam appositè (etsi tectè) Spiritus Sanctus homines alloquatur? Et tamen proh hominum, (& præsertim quorundam Ecclesiasticorum) ingens probrum ac dedecus: quippe super mensas, inque congressibus nostris, futiles plane, levissimasq; questiunculas movemus ad risus videlicet effutiendos, quod sanè vel ipsos vernaculos ac mediastimos dedeceret: Cũ non desint interea in sacrarum litterarũ monumentis quæsita, ac theoremata jucundissima, quibus indagandis honestissime tempus collocaremus, & sapientiæ nomen mereremur. Certe de viro sapiente

Lucæ 1.

Lucæ 2.

Digitized by Google

scriptum reliquit Salomō ipse sapientissimus: quod
Eccl. 39. *in versutias parabolarum introibit, & occulta proverbiorum exquiret, atq; in absconditis parabolarum conversabitur.* Id quod exemplo suo ostēdit; & ad indagandam Virginem, & Matrem, proposita quæstione in-
Proverb. 30. vitat dum ait. *Tria mihi difficilia sunt, & quartum penitus ignoro:* quæ sunt illa tria? *Via aquilæ in Cœlo, Via colubri in petra; Via navis in mari*: quod autem illud quartum; quod penitus Salomonis intelligentiam superat? *Via*, inquit, *viri in Adolescentula*. Et tamen hic qui sic loquitur, Deo fidem faciente, sapientissimus est: sic enim in lib. Regum, Dei testimonium refertur. *Ecce feci tibi* (inquit) *Deus, secun-*
3. Reg. 3. cap. & 12. *dum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post surrecturus sit:* Et nihilominus hic tantus sapiens, ait; *& quartum penitus ignoro*; hoc est viam viri in Adolescentula. Cœterum nihil omnino hæc ignorantia Salomonis sapientiæ derogat; sed eam magis commendat, quod enim viam viri in Adolescentula penitus ignoret, tantundem est; ac nullum in MARIA, quamvis enixa sit virum, læsi signaculi Virginitatis, vel ab oculatissimo, posse reperiri vestigiū, eo quod *intacta nesciens virum concepit Virgo Deum & hominem*. Porro figura loquendi, quâ usus est Salomon ad exprimendam Virginis, & Matris illibatissimam integritatem, similis est ei, quâ dicere solemus: aliquid ipsa pulchritudine pulchrius, aut suavitate ipsa suavius: dum enim ea tria difficilia sibi dixit esse; hoc est viam aquilæ in Cœlo, Colubri in petrâ, & navis in mari, quorum tamen callem, seu semitam cōstat esse prorsus

esse prorsus investigabilem, addiditque viam viri in Adolescentula longe adhuc magis esse inscrutabilem; voluit vtiq; significare: MARIAM Dei, & hominis Matrem, ipsa puritate esse puriorem. Quod si igitur ea res Salomonem latebat; quantò magis id Physicos omnes latuisset? nosse cœteroquin feruntur Physiognomi cùm delibatus Virginitatis flos est, & vultus corruptæ id eloquitur ijs; ipsâ etiam tacente, & obtegente; vti conjecisse fertur Democritus, qui eam, quam pridie puellã, postridie sibi obviam factam, fœminam salutavit, quòd è vultu intelligeret esse vitiatam. In MARIA nullus Salomon, neque alius deprehensurus est vnquam, vel tenuissimum labefactatæ Virginitatis indicium.

Ergo admiratione plenus Hieremias exclamat: *Novum creavit Deus super terram, mulier circumdabit virum,* instar coronæ aureæ, & optimis gemmis ornatissimæ, (Gilbertus inquit) quæ regium circumdat caput. Adeo hoc novum, invsitatumque est, ut cùm Romani responso oraculi accepissent: Templum pacis staturum, quoad Virgo pareret, & ipsi exclamarint. Templum pacis, templum æternum. Adeo novum istud est; ut credi non potuerit, nisi Deus ipse, evulgare dignatus esset: ita namq; Psalmo 86. legimus: *Nunquid dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus?* quasi dicat, neutiquam hoc evulgandum homini committitur, nam etsi ab eo, qui solum homo sit, dicatur, attamen ei res tanta non credetur: quis ergo narrabit? *Dominus,* inquit, *narrabit in scripturis populorum; & principum horum, qui fuerunt in ea:* Apostolorum scilicet,

Ser. 21. in Cant.

& Evan-

& Evangelistarum: quid porro narrabit, sive singularissime Deus annunciari curabit? hoc ipsum videlicet; *Et homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus*: planè res mira, & ante hac inaudita, ut fundator Civitatis, in ea ipsâ civitate, quam fundavit, natus sit. Hæc adeo insolens & prodigiosa res est; ut iidem ipsi Romani propterea instituerint ut Virgines, quæ Vestales dicebantur, colerēt Vestam. Nam ut S. Augustinus 4. de Civit. cap. 10. ait: *Vestam non nisi ignem esse perhibent, pertinentem ad focos, sine quibus civitas esse non potest, & ideo illi, scilicet foco, Virgines solere servire; quia sicut ex Virgine, ita nihil ex igne nascitur; quam totam aboleri vanitatem, & exstingui, utique ab illo oportuit, qui natus est ex Virgine.*

S. August.

Audeat igitur Hieremias, meritissimoq; dicat: *Novum creavit Dominus super terram*: novum plane, Virgo & Mater; *& à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Quod si jam, postquam veluti quoddam agmen præeuntium figurarum Virginei partus contemplati sumus; postquam mediam (quamvis exiguam manum) sterilium fœminarum: & demum Prophetarum cuneum subsequentem vidimus: Si jam, inquam, sitientissimos habemus oculos ad aspiciendum cominus MATREM & VIRGINEM, tanto apparatu jam pridem accedentem: en vobis illam in quadrigâ quattuor Evangelistarum invehentem: succlamantibus omnibus Ecclesiæ patribus ac dicentibus: Natus ex MARIA Virgine, applaudentibus autem nobis, idest totâ Ecclesiæ militantis cohorte conclamante in idipsum. NATVS EX MARIA VIRGINE.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

De Virginitate Beatæ MARIÆ.

Vbi

Differitur de significatione verborum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

§. 1. *Virginitatem S. MARIÆ etiam à Maternitate sejunctam, valde spectabilem esse.*

§. 2. *De prærogativis ob quas B. MARIÆ Virginitas cæterarum Virginitati antestat.*

§. 3. *Proponitur difficultas circa interrogationẽ B. Virginis:* quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? *& quædam Gabrielis Vasquez responsio reijcitur.*

§. 4. *Proponitur responsio Francisci Soarij, & impugnatur.*

§. 5. *Adducitur sententia authoris, & rationibus confirmatur.*

§. 6. *Adstruitur eadem expositio similibus ex sacra scriptura petitis.*

§. 7. *Proponuntur duæ aliæ interrogationis Marianæ interpretationes, & reijciuntur.*

§. 8. *Adfertur ratio pro sententia Authoris, & quædam objectiones diluuntur.*

§. 9. *An sibi constet opinio quorundam, qui ex interrogatione B. Virginis:* Quomodo fiet istud &c. *conijciunt insinuatam, ob amorem Virginitatis*

animi repugnantiam, ad concipiendum Messiam ex congressu maritali?

§. 10. Excitatur nova interpretatio, & reijcitur, & demum sententia Authoris, SS. PP. authoritate definitur.

§. 11. Proponitur dubtatio circa MARIÆ Virginitatem eam, quæ animi, seu Spiritus dicitur.

§. 12. MARIAM ante initum cum Iosepho matrimonium Virginitatis votum edidisse; & nihilominus nullam viro injuriam nubendo irrogasse, aut voto; nec Virginitati, quæ est mentis, maculam ullam inussisse.

§. 13. Concluditur caput per delitiosas affectiones erga MARIÆ Virginitatem.

Procœmium.

ETsi ad imitationis studium, ardoremque, quoad ejus fieri potest, exprimendi in se se virtutes, ac mores MARIÆ, satis superq; videatur didicisse nos, eam tot rerum pulcherrimis formis, ac modis Virginem Deiq; matrem prænunciatam olim, delineatamq; fuisse: eaque potissimum duo conspirasse in unam MARIAM; quæ maximam eidem venerationem, benevolentiamq; non vulgarem conciliare valeant: & ambo hæc præcipua sint ad imitandum incitamenta, atque præsidia: Attamen ad exacuendum magis, atque magis desideriũ nostrum, facere arbitror, si non spectemus solum id quòd MARIA Virgo sit, & Mater, sed etiam quale tandem hoc vtrumque Virginitatis, ac Maternitatis decus

Digitized by Google

decus sit, distinctius consideremus: Id quod seorsim reliquo hoc libro eadem aspirante MARIA præstituri sumus.

§. I.

Virginitatem S. MARIÆ etiam à Maternitate sejunctam valde spectabilem fuisse.

NOn est Virginitas Matris ejus sortis, ut maternitati duntaxat composita spectanda sit, ac admirabilis, habet etiam sejunctim ab ea speciem suam, ac pulchritudinem sanè incredibilem. Dicamus ergo de illa aliquid: non ita ut Virginitatis laudes Virginibus omnibus communes oratione hac complectamur; sed ea solum, quæ singillatim Virginitatem, Virginis attingunt, extolluntque perstringamus: est quidem verum, illud esse præcipuum, planeq; singulare; hoc est, cum Virginitate Maternitatem; cœterum eam pulcherrimam copulam, admirabileq; consortium, paullo ante quomodo potuimus celebravimus, spectavimus; Jam singula contemplemur, præsertim cum nullâ ratione fieri possit, ut duo illa veluti gloriæ pondera Virginitatis scilicet, ac Maternitatis complexum, citra vacillationem supportare humanis humeris valeamus. Faciamus igitur, quod in ejusmodi eventibus fieri solet, orationemq; de Virginitate ab eâ, quæ de Maternitate est, sejungamus, & periclitemur, an vel sic pro dignitate dicere plusculũ aliquid possimus. Tametsi vero etiam huic onerum partitioni cõsvetudo i-

tudo ipsa suffragatur eorum, qui tabellas pictorum, vel quæcunq; opera insigniora artificum explorant. Nam ubi veluti per transcenam opus inspexerint; tum deinde singulas operis, seu teuromatis partes, minutimq; perpendunt. Cœterum an forte verendum est, ne dum Virginitatem MARIANAM ab ejusdem Maternitate dicendo divellimus, nihil habeamus singulare, quod præ cœterarum Virginum pudicitiâ efferamus de ea, fiatq; tãto difficilior dicendi provincia, quantò ex hâc sejunctione facilior, leviorq; videbatur futura? Vt enim si currui rotas, avibus alas, navibus remos, & vela adimamus: vel ut ad rem hanc aliquid magis appositum dicam; si columnis bases, quibus eæ innituntur auferamus; consistere eorum nihil potest. Ita si Virginitas MARIÆ, quæ quòd in Matrem cadat, singulariter admirabilis efficitur; An, inquam, verendum, ne si Virginitas ejus ab Maternitatis insigni, vel sola cogitatione avocetur, nihil supersit aliud, quàm Virginitas una, quæ præ alijs pluribus, laudatissimisq; Virginibus nihil prorsus habeat singulare? non sic est.

§. II.

De prærogativis, ob quas B. MARIÆ Virginitas cæterarum Virginitati antestat.

IMo vero (pace vestra dixerim, ò Sanctarum Virginũ chori, sive jam cœlestibus gaudijs apud spõsum in Cœlis inundamini, sive adhuc in terris degentes,

gentes ad ejus amplexum suspiratis) MARIÆ Virginitas vestrum omnium incorruptionem, castimoniamque longe antecellit, & nitor vester, corporisque ac mentis integritas illibatissimæ Matris Virginitati collata habet, vel etiam habuit nævum aliquē seu corruptionis, atq; putredinis velut initium. Sola MARIA præcellenti quâdam Virginitate Virginibus omnibus antestat, quæ sola inter mulieres caruit actu fomitis, carnis titillatione, rebelli cōcupiscentiâ, suggestione lasciviæ, & immenditiâ phantasmatis occursantis: Ut proinde in MARIAM optime cadat, quod de ea profertur elogium: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Voluit hoc ipsum exprimere sponsus canticorum cap. 7. cum dixit: *Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis:* Cùm enim in fœminis sedes concupiscentiæ sit umbilicus (ut ex Jobi 40. S. Gregorio interprete) videre est: non indigere poculis dicitur is umbilicus, qui luxuriæ actus non sitit: Ideoque Eccl[i]. 26. v. 15. de fœmina petulanti, atque lasciva, dictum est: *ab omni aqua proximâ bibit:* Atque idipsum (quàm videlicet B. Virgo, ab omni carnis stimulo libera fuerit;) intelligi potest ex illis sponsæ verbis: *sub umbra illius, quem desideraveram sedi*; idest immunis à concupiscentiæ æstu posita in umbra sui. Atque etiam iccirco (ut interpretes perspexêre) nomen *Virgo* in ijs verbis: *Ecce Virgo concipiet*; sic ab Isaia expresſū est, ut non quævis Virgo; sed planè singularis, excellensq; designetur. Nihil ergo in MARIÆ corpore, nihil in animo sive appetionis alicujus instinctu seu etiam turpis, & vel involūtariæ imaginis occur-

Cant. 2.

Cant. 7.

Iob. 40.

Eccl. 26.

ſu,candorem Virginitatis ejus quicquam offuſcavit. Et omnino decuit à concupiſcentia carnis liberam, indemnemq; eſſe illam, quæ ſine carnis illecebra, ac voluptuoſo appetitu concepta fuerat; ut ipſamet de ſe Virgo apud S. Brigittam profeſſa eſt hiſce verbis. *Procerto dico tibi, quod ex charitate divinâ, & ex verbo Angeli nunciantis, convenerunt carne parentes mei, non ex concupiſcentiâ aliquâ voluptatis, ſed contra voluntatem ſuam, ex divinâ electione, & ſic ex ſemine eorum per divinam dilectionem caro mea compaginata eſt:* Hinc factum puta, S. Bonaventura teſte, ut adeo nihil impuritatis redoleret, ut etiam vultus Virginis ad pudicitiam minime vero ad laſciviam provocaret eos, qui eam aſpicerent. Nam quæ penitus, ac radicitus expers erat pravæ cupidinis, neutiquam impuri amoris favillam aliquam ſuſcitare poterat, ſed exſtinguebat magis. Et quamvis authore S. Paulo, ijs qui in Chriſto ſunt, nocere nihil poſſit concupiſcentia, hoc eſt illis, in quos à capite (cui adhærent) gratia derivatur, ne ſuccumbant & Virginitatis, ſeu caſtimoniæ flos flacceſcat, & cadat: Attamen ſeditio illa membrorum inteſtina, quam etiam inviti cogimur ſuſtinere, placere Deo non poteſt. Nunquid non ait hoc dilectus ille diſcipulus? *quiquid in mundo eſt,* inquit, *concupiſcentia carnis eſt &c. quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt:* & alter Apoſtolus hunc carnis noſtræ tumultum: *legem membrorum appellat, quæ Deo nec ſit ſubjecta, nec eſſe poſſit:* Quod ſi Deo ſubjecta nõ eſt, ut ait Paulus, imo non eſt ex Patre, ut Joannes, eſt igitur fuitq; in cœteris Virginibus aliquid, quod diſplicet Deo, & propter quod etiam offuſcatur in Virgini-

Revel. l. 1. cap. 9.

Apud Can. l. 2. cap. 13. ſuarez. t. 2. in. 3. p. d. 2. Sect. 1. cit. S. Ambr.

Ad Rom. 8. v. 1.

Epla. 1. c. 2.

S. Paul. ad Rom. c. 8.

Virginibus reliquis Virginitatis nitor. Vt meritò proinde dictum sit: *Adducentur Regi Virgines, sed post eam.* Psalm. 44. Nam etiam præcisa, & seclusa omni alia MARIÆ excellentia, si hanc vnam solâ cogitatione teneas, cumq; Virginitate aliarum conferas; illa velut inter stellas Luna minores emicabit, suoq; splendore cœteras omnes obscurabit, longoq; post se intervallo relinquet. Quare etiam de hac singulariter dictum, propterea quòd minimè trivialis, & obvia sit, sed procul, & de ultimis finibus pretium ejus, de hac, inquam, scriptum est. *Quòd accinxerit fortitudine lumbos suos, hoc est:* Virginitatis Zona fortissime succincta, nullus ut ad lasciviam pruritus in eâ relictus sit, & veluti laxatio cinguli continentiæ. Vnde videri mihi solet inter Virgines cœteras, & Virginē Virginum hoc esse discrimen, quod inter charitatem Sanctorum in Cœlis, eorumq; qui etiamnum versantur in terris. Sicut enim eorum Sanctitas ab omni periculo remota est, & inoliti repugnantia vitij caret. Sic MARIÆ pudicitia adeo excelsa est, nullus ut ad eam virulentus accedere possit afflatus. Sit ergo Virginitas aliarum eximia quædam pulchritudo; attamen vti corporis infirmi venustas eò minor est, quò vel facilius intercidere, vel ad modicum saltem infici potest; Ita nullius continentia Virginis conferri cum MARIÆ pudicitiâ potest, quæ illibatissima est, planeq; impenetrabilis; eaq; propter dicta est turris eburnea, quòd candorem quidem habeat, sed non velut in marcescente lilio, aut in nive defluente, sed in ebore, quod defringi ob firmitatem non potest: Cùmq; hujus heroicæ virtutis perfectio

nem

nem complexa sit omnem; merito dicitur tota pulchra, & quod macula in eâ non sit ulla. Nunc demum intelligo quàm verè dictum sit? *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ; sicut sol oriens in altissimis diei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus, Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem, Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabiles mulieris fundamenta æterna super petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ.* Cui enim hæc omnia potius competunt elogia, quàm MARIÆ? Attamen ut tantò manifestius evadat, eum locum, & totum illud encomium in Virginem nostram cadere, singula consideremus. Non est (inquit sapiens) ponderatio continentis animæ: quod enim de Virginitate sermo habeatur, exposuit Sta. Agnes, cùm dixit: *dexteram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles Margaritas,* nam quæ sunt hæ adeo supra omnem æstimationem ac pretiũ Margaritæ? quàm quæ cùm amissa fuerit, recuperari nullo sumptu potest integritas corporis? Et plenius aperit animũ suum Agnes cum adijcit dicens: posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admitterem. Quod si vnius Virginis tanti fit pudicitia, quanti æstimanda est ea, quæ Virginis Virginum est, atque Reginæ? quod enim eminentissima sit Dei Genitricis Virginitas, lõgeque cœterarum pudicitiam, & castimoniam antecellet, splendidissimeq; eniteat, additur, quod sit instar solis meridiani, sive in altissimis Diei emicantis, atque lucerna splendens super candelabrum, quod est ipsum

est ipsum dicere quod refertur ab Ecclesia inter encomia Virginis, hoc est: *cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias:* quod enim candelabrorum nomine ab Joanne in Apocalypsi designentur Ecclesiæ, Apocal. p. 1. plusquam compertum, manifestumq; est, quod etiam similem filio hominis inter septem candelabra visum fuisse dicat ambulare, quid aliud quàm in diversis orbis partibus fidelium congregationes, quibus præsidet Christus? quid, inquam, aliud, quàm quod MARIA tanquam lucerna ardens, & rutilans cunctas illustret Ecclesias? sive quod mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus? Vt quid enim alias diceretur Candelabrum Sanctum, nisi quod Ecclesia, in qua MARIÆ Virginitas rutilat, sancta sit. Cumque eadem Mariana Virginitas inconcussa sit, nulloque concupiscentiæ veluti noxio flabro impetatur: Imo cum cupiditatis fons in eâ nullus sit, verissimè dictum est: *species faciei super ætatem stabilem columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabiles, mulieris fundamenta æterna super petram solidam:* in quibus omnibus encomijs diligenter cõsiderandum est id, de quo nunc agimus, & pro Virginitatis Marianæ excellentiâ plurimum facit, atq; à sapientissimo viro bene perpensum est, & istud est: Virginitatem in fœmina præsertim sancta rem quidem esse pulcherrimam, quæq; proinde sit, *tanquam Sol oriens in altissimis diei, lucerna ardens super candelabrum sanctum, & species in ornamentum domus:* attamen pulchritudinem hanc tantò augustiorem, æstimabilioremq; esse, quòd non in lubrico stet, seu corruptioni obnoxia sit, ut in alijs Virginibus, propterea

quòd periculo perdendæ Virginitatis expositæ sint: portentq; thesaurum suum in vasis fictilibus, & non habeant illud in turri eburnea. Quamobrem etiamsi cœteroquin amabilis valde, jucundaq; accidat parentibus, atq; domesticis filiæ familias pudicitia, et Virginitatis insigne: præstantior tamen ea honestas, gratiorq; haberetur, si collocatam in tuto eam esse scirent; nec ulla angerentur ancipiti curâ, ne quo degeneri depravetur affatu, vel congressu. Etenim vberes etiam lateq; patentes fundos minoris facimus, quod hostium pateant direptioni; quare omnino ea præferenda castimonia est, quæ extra cupidinis jactum est; & ad quam nulla valeant inimici tela pertingere; *eò quod sit species quædam faciei, sed super ætatem stabilem, columna aurea super bases argenteas, & pedes firmi, at super plantas stabiles*, & mulieris fundamenta super petram stabilem. Adeo stabili petræ MARIÆ Virginitas institit, seu constans exstitit: ut (quod S. Augustinus dispexit) propterea quod B. Virgo singularis Virgo fuerit, singulariter etiam ejus corpus à corruptione vindicatum sit ne permaneret in morte, nam post brevem quasi dormitionem actutum vitæ redditum est, ne quam Virginitatis integritas cum corruptione corporis, efficeret veluti chacophoniam.

Aug. serm. 4. de assum.

Verum enim vero nunquid non habemus aliud ad Marianæ Virginitatis commendationem? Atqui etiam MARIÆ Virginitas in Connubio stetit, quod quamvis in paucissimis quibusdam reperire sit: Vt in Cœcilia conjuge Valeriani, Bassilissa Juliani, Pulcheria Martiani, Kunegunde Henrici secundi, & altera

Vide Corne. in cap. 7. Epist. ad Corinth.

Digitized by Google

altera Boleslai quinti Polonorum Principis, Mathilde Henrici quarti, Egitta Eduardi Regis Anglorum; omnes tamen hæ pedissequæ sunt MARIÆ, quæ prima trophæum Virginitatis extulit inter fœminas omnes conjugatas: fuitq; B. Virgo Idæa, prototypon & exemplar illarum omnium: & quantum fortitudo illius, qui primus conscendit muros supereminet alijs, qui sequuntur viæ stratorem, Ita MARIÆ Virginitas cœteris antestat: affirmatque S. Ambrosius lib. de institut. Virg. cap. 5. dum ait: *Egregia igitur MARIA, quæ signum sacræ Virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christi vexillum levavit.* Et S. Augustinus de hâc ipsa Virgine: *Ab ipsa*, inquit, *cœpit dignitas Virginum.*

Ambrosius.

Augustinus

Tract. 16. in Io.

Atque in hujus rei consideratione illud est minimè prætereundum, quod per id tempus Virginitatem in matrimonio coluerit MARIA, quo dabatur probro conjugibus, si liberis caruissent: ut ex infamiæ magnitudine, quam amore retinendæ Virginitatis subibat, tanto magis evidens fuerit studium pudicitiæ. Quam porro probrosa conjugibus in lege veteri habita sterilitas sit, passim in canonicis libris videre est. Oseæ nono; tanquam pœnam gravissimam comminatur Propheta dicens: *da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia*: & 1. Regum. 1. sterilis Annæ æmula, altera scilicet Elcanæ vxor Phenenna cõsortem suam sæpenumero affligebat, cruciabatque verbis exprobando illi sterilitatem suam; qua etiam de causa erat Anna amaro animo; ut etiam à cibo abstineret: Genesis quoq; 30. Cum Rachel peperisset aliquando filium: exultans gaudio dicebat:

Digitized by Google

abſtulit Deus opprobrium meum. Et Lia edito in lucem filio, dixit: *hoc pro beatitudine mea*; & Lucæ primò, Eliſabeth *ſic fecit mihi Dominus*, ajebat; *in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum:* & verò, ut recitavi ex Oſea; habebatur in pœna ſterilitas propterea quod promiſiſſet Abrahamo Deus fœcunditatem; eaque de cauſa, S. Joachim tanquam prophanus, quod ſterilis eſſet, ab altari & ſacrificio rejectus fuiſſe narratur. Quæ cum ita ſint, ſicut ea fides præſtantior eſt, quæ oppugnationibus hæreticorum impetita nō ceſſit, eaque demum animi fortitudo cenſenda eſt, quæ periculis ſuperior exſtitit: Ita id genus Virginitatis palmam fert, quod difficillime, ut pote etiam famæ ipſius diſpendio cuſtoditur, qualis quoque Suſannæ caſtitas fuit: & laudabilior Lucretia fuiſſet, ſi maluiſſet eſſe, quàm haberi caſta. Sed uni MARIÆ proprium eſt ex Virginitate ſuâ aliquam velle infamiæ notam colligere. Quamobrem, qui MARIÆ imitatores haberi volunt, nullam ab difficultate ſe ſe illibatos, puroſq; ſervādi prætexere excuſationem poſſunt: cum ipſa quidem verita non ſit, haberi tanquam maledictionis rea, quò Virginitatis propoſitum conſervaret.

In Offic. B. Annæ apud Salazar.

Accedat ad cumulum laudum, præſtantiamque Marianæ Virginitatis, quòd non tacito ſolum, ſecretoq; mentis ſuæ conſilio ſervandæ Virginitati animum addixit, ſed neceſſitatem quandam hujus retinendæ dotis ſibimet impoſuerit, cum animi ſui propoſitum voto firmavit: quam quidem Virginitatis ſuæ devotionem tunc prodidit, cum annunciantí Angelo conceptionem, & partum verbi reſpondit:

ſpondit: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* de quâ reſponſione S. Auguſtinus de Sancta Virginitate ſic ait: *hoc profectò non diceret, niſi prius Virginem ſe Deo voviſſet.* Et quamvis nonnulli tempore legis veteris Virginitatem coluerint, ut Joſue, & Elias, nemo tamen ante Virginem MARIAM votum Virginitatis emiſit. Cum enim, (Sanctus Thomas inquit) *iſtud ad perfectionis naturam ſpectaret, ac ſtatum, incohari à Chriſto, ejuſq; Sanctiſſima Matre oportuit.* Vovit ergo deſtinata Mater Dei prima Virginitatem; non ut aliquo ſe contra impudicitiam armaret præſidio; nam cum avitæ labis expers eſſet, nulla accedere ad ipſam contagio poterat: Sed ideo vovit ut illibatum ſcilicet Virginitatis florem ei, à quo illum acceperat redonaret, quodq; per naturam ſortita fuerat, ratum haberet per gratiam, ex quo conſecutum eſt, ut ſicut per votum Deo conſecrata eſt Virginitas, ita eſſet tanto honorabilior, *neq; enim alias* (idem inquit Auguſtinus) *Virginitas quia Virginitas, ſed quia Deo dedicata eſt honoratur.* Et nos ignoraſſemus, hoc à te votum cōceptum, ô Virgo amœna, ut pote quam circumdant roſæ, & lilia convallium, niſi ipſa prodidiſſes: ut enim ſi intenta florilegio puella, dum manum explicat, vt florem quempiam carpat; alterum, quem ſub vola manus cohibebat, oſtentet, Ita plane vſuvenit MARIÆ, quæ de Virginitate ſollicita, providens, & quærens: *quomodo fiet iſtud quoniam virum non agnoſco:* quod latebat Virginitatis votum detectum eſt, nec præterijt eorum oculos, qui Virginis ſacræ verba ad meditationis trutinam revocarunt. Atque in hoc genere ſupereſt

Auguſtinus c. 6. cap. 8.

3. p. q. 28. a. 4. ad. 2.

Auguſtinus

Vasq. t. 2. in 3. p. d. 128. cap. 7.

Ri. 1. c. 6.

Soarez. t. 2. in 3. p. d. 4. 3. s. 7. & 8.

perest aliquid dicendum ad hujus Virginitatis voti comendationem: Illo namque etiam nomine Virginitas Matris præferenda est pudicitiæ cœterarum, quod ac primum præstantiam Virginitatis intelligere potuit MARIA, eandem Deo devoverit. Cum enim Virgo toto ferretur pectore in Dei obsequium quidquid ei fore gratum conijciebat, hoc promptissimè exhibebat: quod si (Sto. Ambrosio teste) S Joannes Baptista interveniēte actu liberi arbitrij Sanctificatus fuit in vtero; habemus profecto dicere, rationis vsum in designatâ Dei Matre nullo unquam tempore fuisse impeditum; quare si conferantur non tempora, in quibus veteres castimoniæ cultores vixere; sed personæ ipsæ, & spatia ætatis eorum inter se componantur: ajo B. Virginem non modo Virginitatis voto, sed etiam desiderio omnibus præcucurrisse. Cum enim verisimile sit, eam cum vitæ vsu, rationis vsuram percepisse; vbi intellexit Virginitatis gemmam tanti fieri à sponso; non sane diu deliberavit, aut inter vtramq; partem anceps stetit; sed statim animi sui propositum, exprompsit; quādo sic ab indole suâ comparata fuerat, ut totum id enixè cuperet; quod Deo gratius futurum sciret. Excellit igitur illa, quæ Virgo Virginum, & Regina dicitur, excellit, inquam, Virginitate non eo solum nomine, quod Virgo & Mater sit; sed quòd omnis ad lasciviam stimuli exspers existat, & proinde suum in tuto thesaurum semper habuerit: quòd prima in cōjugio Virginitatem coluerit; atque ita, ut quamvis veluti sterilis despicatui habenda esset, attamen Virginitatem retineret. Atque etiam, si ætatis ratio

habeatur

habeatur; prima Virginitatem adamavit, & prima eandem, per votum Deo dedicavit. Atq; hæc omnia obsignemus authoritate melliflui Doctoris S. Bernardi, qui non sanè fortuito, sed, ut credo, divinitus afflatus: B. Virginem Virginitatis primiceriam appellat: hoc est; sicut olim is inter milites primicerij nomine censebatur, qui primus in catalogo descriptus erat; quasi primus in cera præscriptus: Ita MARIA primiceria Virginitatis à Sancto isto dicta est; non quidem quod tempore, sed quòd dignitate excellentia, exemplo omnibus præeat; nec vlla Reginam Virginum exæquet. Nunc verò quoniam nobis Virginitatis Marianæ laudes contexentibus, in hâc quasi veli candidissimi textura incidit nodus circa interrogationem illam: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*: ex qua SS. Patres Virginitatis votum conijciunt; explicandus prius is est; quàm cœtera, (quæ de præcellenti Dei Matre MARIA statui dicere) prosequendo complectar.

Sermone signum magnum apocalipsis 12.

§. III.

Proponitur difficultas circa interrogationem B. Virginis *quomodo fiet istud quoniã virum non cognosco* & quædam Gabrielis Vasquez responsio reijcitur.

QVænam res huic quæstioni, quam movit semper augusta, & inclyta Deigenitrix MARIA præbuerit causam, in medio positum est, ne-

Digitized by Google

eſt, neminiq; videri poteſt obſcurum. Cum enim cœleſtis ille internuncius, atque ſponſalitij humanam inter naturam, Deiq; filium paranymphus Archangelus Gabriel Virgini denunciaſſet futurum, ut ea conciperet, & pareret: Ipſaq; ſervandæ in perpetuum pudicitiæ voto ſe ſe pridem obſtrinxiſſet, ut vel ex hâc ipſa interrogatione, præter Auguſtinum; conjecere Greg. Nyſſenus, Rupertus, Beda, Anſelmus, Bernardus; in promptu cauſa eſt, cur Beatiſſima Virgo annuncianti ſibi conceptum & partum, obtenderit vitæ ſuæ conditionem, ſeu ſtatum Virginalem, cui repugnat vtrumq; hoc eſt concipere, & parere, adeoq; dixerit: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Atqui verò ex hâc ipſâ ſiſcitatione, quæ cœteroquin opportuna, & in tempore facta videtur fuiſſe, non modica enaſcitur quæſtio, ac perplexa ſatis dubitatio: Vt cogar aſſentiri dicenti: videri quidem ſacram ſcripturam paſſim ut cunque planam, & interim eſſe quæſtionibus plenam, in qua Agnus vadat, & Elephas natat; hoc eſt, ſimplex intellectus ſuperficie contentus litteræ, nihilq; profundius ſuſpicatus pertranſeat: At grandiore intelligentiâ præditus myſteriorum profunditate mergatur. Enim vero (Deigenitrix MARIA) ut te ijſdem pene alloquar verbis, quibus olim Hieremias Deũ: *Iuſta quidem tu es Domina, ſi diſputem tecum, verumtamen juſta loquar ad te*: quare ſic locuta es, & rogaſti: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Si enim ut fas eſt credere, non ignoravit Virgo, Meſſiam concipiendum, naſciturumq; ex Virgine, quo pacto dicenti Angelo: *ecce concipies, & paries*, obtendit Virgi-

Tom. 6. de S. Virginitate apud Io. Maldonatũ in Lucam.

S. Gregorius in Epiſtola ante lib. 1. mor. c. 4.

Hieremiæ c. 12. v. 1.

Virginitatis ſuæ quaſi impedimentum? Certè quidem ſi pictori prædicam futurum, ut tabellam pingat, aut Medico, ut morbum curet, vel theologo Doctori, ut quæſtioni ſatisfaciat: perperam prorſus reſponderent; quomodo fiet iſtud, ut videlicet pingam, cùm ſim pictor? ut medicinam morbo faciam, cum ſim Medicus? ut nodum è theologia diſſolvā, cùm ſim Doctor? pari igitur ratione idonea videri non poteſt ea Virginis interrogatio; *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Hoc eſt, & tantundem eſt: quomodo ego, quæ virgo ſum, & quæ ſum, etiam ut talis permaneam voto obſtringor, quomodo concipiam, & pariam illum, qui non concipitur, aut non naſcitur niſi ex Virgine? Plane manifeſte apparet quæſtionis iſtius (ut ſic dicam) importunitas: quod enim velut obſtaculum opponitur, id ipſum eſt, quod ad id, quod petitur maximè conducit: neque minus appoſitè reſponderet, qui invitatus ad ſumendam ſynaxin diceret; quî fieri poteſt iſtud, ut ego videlicet euchariſtiam percipiam, cum jejunus ſim, nihilq; cibi hodie ſumpſerim?

At fortaſſe Virgo, ut pote in puellaribus adhuc annis agens, nec decimoquinto major, Meſſiam ex Virgine naſciturum ignoravit; quare denunciata Meſſiæ mater futura, voti ſui religionem, quâ prohibebatur aperuit. Qui huic quæſtioni hâc reſponſione ſatisfacere ſe poſſe putaret, quid aliud ageret, quàm novâ calumniâ veterem velle diluere, perque injuriam damnum reſarcire? Neque enim ejus rei inſcitia, citra infamiam, appingi Virgini noſtræ poteſt. Cum namq; tot exſtarent ſacrarum litterarum

teſtimonia de partu Virginis, quæ ſuperiore capite recenſuimus, nullâ ratione fieri poſſe videtur, ut eorum omnium fuerit ignara Dei Mater electa: præſertim cum lectioni, meditationiq; deditiſſima eſſet atque pluribus annis in Salomonis templo educata: Neque ad hoc teſtificandum, Patrum id aſſerentium deeſt authoritas. Nam Cedrenus litteras hebraicas, ſuperſtite etiamnum Patre Joachimo, didiciſſe affirmat, & aſſerit Origines hom. 6. in Lucam. habuiſſe MARIAM legis ſcientiam, & vaticinia prophetarum quotidianâ meditatione perpendiſſe; quibus adſtipulantur Ambroſius, Auguſt. Andreas Cretenſis, Ildephonſus. Atque inter cœtera oracula celeberrimum illud erat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* quod ſi (ut ait Origines) ſcientiam legis habuit MARIA, & vaticinia quotidianâ meditatione perpendebat; cui probari poterit, ignoraſſe SS^mam. Virginem, quid ſibi vellet abſciſſus de monte lapis ſine manibus, panis cœlitus datus ſine ſemine, porta orientalis, quæ clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, quid Virga florens Aarō, & ſexcenta alia, quæ ſupra complexi ſumus, & norunt ea quicunq; ſacras litteras deguſtarunt, quod fuerint figura, atque prognoſtica Virginis parituræ. Si igitur hæc noſti, ô Virgo, & quod ſine opera viri parturitur filius Dei, jam tua tibi ſalva Virginitas; Virgo neſciens virum, paries Deum, & hominem. Noli igitur quærere, quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? neque enim aliquid obſtat, quominus concipias quod virum non cognoſcas: Imo hoc

Cedrenus in cōpendio hiſtoriæ Origenes.

Lib. 2. de Virg. ſerm. 21 in natali in orat. de annunc. Ildephonſus ſerm. de aſſumpt.

Digitized by Google

Imo hoc ipſum eſt, & talis quæritur, quæ cum nupta ſit, attamen virum non cognoſcat. Exiſtet fortaſſe aliquis, qui cum hâc quidem quæſtionis difficultatem evadere ſe poſſe deſperet, aliâ viâ exitum tentet, & dicat: Eſto ſciverit MARIA Meſſiam è Virgine naſciturum, an tamen is ipſe ſibi annunciaretur, ipſam iſtud ignoraſſe; quod ſi dicimus; alterum quoque horum affirmandum erit, videlicet; Aut Angelum non ſatis apertè manifeſtaſſe qualem eſſet MARIA filium conceptura, vel quamvis pro rei conditione negotium hoc ab Angelo ſatis fuerit explicatum, attamen à MARIA non fuiſſe perceptum. Vtrum dicemus? An MARIÆ tarditatem in aſſequenda Angeli mente incuſabimus? an officium Angeli requiremus? Illud non audemus: ſed neque profectò hoc poſſumus; Nam qui defuit muneri ſuo Angelus cū propria Meſſiæ, & filij Dei exhibita ab eo teſſera fuerit? quod videlicet *regnaturus eſſet in domo David in æternum*, atq; tali auxeſi, ut nullum ejus regni finem affirmaret eſſe futurum? Vt mirum ſit, Gabrielem Vaſquez dicere: Beatam Virginem, poſt illam interrogationem: *quomodo fiet iſtud &c.* diſtinctè primum aperteq; inſtructam fuiſſe: quod ſi ita eſt, non fuerat igitur priùs plenè, ac integrè edocta, cùm diceretur ei ab Angelo: *Inveniſti gratiā apud Deum: Vocabis nomen ejus IEſum; hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur:* Et ad quem hæc elogia ſpectarent, ignorare poterat Virgo illa plurium nominum, & multocula, ut eam vocat Epiphanius? quod ſi tamen dicas: non fuiſſe illa ad demonſtrandum Meſſiam indicia ſufficientia: non eſt igitur rectè perfun-

Vaſq. t. 2. in 3. p. diſp. 124. cap. 4. n. 64.

ctus munere ſuo Angelus: præſertim cum minime interlocuta fuerit Virgo; aut ſermonem ejus abruperit, neque veriſimile ſit, Angelum priùs ſermoni ſuo finem impoſuiſſe, quàm de re tota Virginem edocuiſſet. Audiamus S. Leonem ſerm. 10. de nativitate Domini, ita diſſerentem: *Virgo Regia Davidicæ ſtirpis eligitur, quæ ſacro gravidanda fœtu, divinam, humanamq́; prolem prius conciperet mente, quàm corpore, & ne ſuperni ignara conſilij, ad inuſitatos paveret effectus quod in ea operandum erat à Spiritu Sancto, colloquio diſcit angelico nec damnum credit pudoris Deigenitrix mox futura.* Quod ſi igitur legationis Angelicæ hæc fuerat ſumma & ſcopus, ut quod in Virgine operandum erat, colloquio nimirum diſceret Angelico, utique officium ſuum præſtitit Angelus, cùm in hæc verba edixit: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Ieſum, hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Per quæ adeo diſertè legationem ſuam expoſuit Angelus, ut qui prænotionem aliquã haberet Meſſiæ, præſertim per id tempus, quo prope abeſſe ejus adventus credebatur, dubitare non poſſet, quin is ipſe deſignaretur ab Angelo, atq́; ex eo vel maximè, quòd filius David, idemq́; filius altiſſimi diceretur, & duæ proinde in una hypoſtaſi naturæ conjungerentur, atq́; præterea quod Rex æternus eſſet futurus, quæ vni Dei filio, ſeu Chriſto congruere poterant. Quod ſi ita eſt; abſit ab animo noſtro ut effingamus illam Deidocibilem Virginem, illud ſanctificatum, & præparatum à Deo tabernacu-

S. Leo.

bernaculum, illam Apostolorũ Magistram, & Doctorum Reginam, ac præsidem; non assecutam statim fuisse, quid ei portenderet Angelus, aut priùs finem loquendi fecisse Angelum, quàm aperuisset, quâ de causa ablegatus ad eam fuisset. Cum igitur fateri vtrumq; istud necesse sit; hoc est; nec ignoratum à Virgine Dei filium ex ipsa nasci decrevisse, (quod adeo palam Angelus annunciabat) & divini verbi Matrem esse Virginem oportere: cum inquã, hæc duo Virgo MARIA probè calleret: cum hâc ejus scientia quo pacto interrogatio illa; *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* cohæreat, non satis capio. Cœterum cum ipsamet Virgo pollicita sit non vulgare prœmium ei, qui difficultatem explanarit: nam Ecclesiastici 24. capite edixit in hæc verba: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt:* cõnitendum omnino est; omnesq́; ingenij vires explicandæ sunt, Idq́; in primis pro ipsius Deiparæ Virginis honore, ne cœteroquin Virgo prudentissima aliquid minus ad rem pertinens, aut non suo loco protulisse aliquando videatur.

§. IV.

Proponitur responsio Francisci Suarij, & impugnatur.

FVit inter ævi nostri sapientes vir præcellenti doctrinâ præditus, Franciscus Soarius, qui difficultatem hanc è verbis Virginis enatam, non solum perspexit, neq; tantum, ut Gabriel Vasquez, *2. t. in 3. p. d. 6. sect. 1.*

quaſi aliud agens reſolvit; ſed eam ingenij ſui acie decidere, & penitus profligare aggreſſus eſt, & ut vbere, fœcundoq; ingenio pollebat, non unam, ſed etiam plures vias, ac rationes excogitavit, quibus huic dubitationi, & nodo faceret ſatis. Et primò quidem vltro dat ipſam deſtinatam Deigenitricem non ignoraſſe, quis fœtus, & proles ſibi portenderetur ab Angelo; quodq; Meſſias naſciturus eſſet ex Virgine: attamen hoc; ſcilicet de partu Virgineo, excidiſſe ab ejus animo tunc, ſeu ad id non evigilaſſe, vel (ut cum ſcholâ loquar) habuiſſe duntaxat habitum, & non actum ejus ſcientiæ partus ſcilicet Virginei, quando quæſivit ex Angelo; *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* fit enim ſæpenumero, ut ſcientiam rei cujuſpiam habeamus ſed per oblivionem accidit nonnunquam, ut ſemper eâ uti non poſſimus. Quid ſuper hoc arbitremur? an eo reſponſo quæſtioni factum ſatis putemus? At mihi quidem opinio hæc non probatur, propterea quòd tantâ Virgine indignum videatur aſſerere, quod in negotio tanti ponderis, ita parum præſens animo fuerit, ut non diſpexerit, perpenderit omnia, quæ rem hanc, de quâ agebatur attingebant; & cuicunque alteri vitio daretur hæc veluti incuria, & (ut Greci loquuntur) ἀποβλεψία, ſeu oſcitantia; habereturq; ea hominis parum conſiderati interrogatio, cum ita ſciſcitanti ſuggeri a quovis facile potuerit; an neſcis, quod Meſſiæ Mater Virgo ſit? quid quæris: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Nam prophetæ prædicaverunt naſci Salvatorem de Virgine, & ideo *vocabis nomen ejus IEſum*. Verum

ecquid

ecquid in hujus patrocinium causæ afferri illud fortasse potest: quod (Evangelistâ teste) turbata fuerit MARIA in sermone Angeli, & ob id memoriam ei fuisse ereptam, quóminus quod res erat posset discernere, si quis hoc dicat, gravissimè fallitur: neq; enim MARIÆ turbatio ejus generis fuit, quæ subrepit, & violentè animum occupat: at cum bene sui compos, atq; humillima esset, tantaq; de se audire cogeretur elogia; turbata est, quia voluit ad decorem integerrimæ animi sui demissionis, Virginalisque verecundiæ; quid quod ipse illiûs causæ, & responsionis author, in eâ planè sibi non satisfecit, sed aliam, quæ plus præseferre veri videbatur, excogitarit? Hoc est: Virginem non discēdi gratiâ sic fuisse sciscitatam; sed ut ansam præberet Angelo patefaciendi id, quod erat, prodendiq; mysterium; sicut eo fine Joannes misit è carcere discipulos ad Christum interrogatum, Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Non quod Joannes hæsitaret, an JEsus Messias esset nec ne? sed ut ipsi ejus discipuli id rogando, erudirentur de eo, in quo hæsitabant.

Verum neq; huic respōsioni, quod ajunt, adhæret aqua: Nam quæstiones hujuscemodi tunc instituimus, cùm docere volumus eum, quem interrogamus: quâ ratione Christus poposcit à Philippo: *Philippe unde ememus panes, ut manducent hi?* ita discipulos omnes interrogavit: *quem dicunt homines esse filium hominis?* Ita seorsim Petrum; *quid tibi videtur Simon? Reges à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filijs suis, an ab alienis?* Ita demum Magistri auditores suos quotidiano examine exercent; non utique discendi

Ioan. 6.
Matth. 16.
Matth. 17.

diſcendi gratiâ; ſed docendi ſtudio. At quid tale interrogando efficere volebat MARIA? Angelum certè quidem docere nolebat; neque tunc aderant aliqui, qui ex reſponſione Angeli edocerentur: At poſtea docendi fuerant, vbi primum hoc Evangeliũ promulgatum fuiſſet? Atque hujus myſterij evulgationem providere, non ſpectabat ad Virginem: quâ etiam de cauſa Interpretes hiſtoriæ Evangelicæ ad caput 1um. Matthæi, vbi refertur ſuſpicio S. Joſephi, qua laborabat anxie de conjuge ſua, propterea quòd geſtare vterum videret; cum eam non cognoviſſet; ita ut eam deſerere in animo haberet: appoſitè, inquam docent: non decuiſſe (etſi cœteroquin res, & tempus neceſſitatem aperiendi myſterij afferre videretur vel maximam) non decuiſſe, inquam, ipſam Virginem innocentiſſimam id quod erat, manifeſtare; ſed magis rem totam Deo committere, & præſtolari in ſilentio ſalutare Domini, præſertim cum experimento jam edocta fuiſſet, ſe tacente, Eliſabetham de re tota divinitus inſtructam fuiſſe. Accedit, quod ſi interrogatio ea mente facta fuit, ut videlicet tàm admirabilis conceptionis, & partus origo, & cauſa redderetur; cõſequens fuerit; jam tum à Virgine, etſi non verbo, at ſaltem animo, præbitum fuiſſe conſenſum; cum tamen aſſenſa primum fuerit, cum quæſtioni ſatisfeciſſet Angelus, & ipſa dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quid quod ea tota narratio Annunciationis à Lucâ edita; videatur ab ipſamet Virgine fuiſſe accepta, ſic enim aperte ait S. Lucas de ſua hiſtoria. Luca 1. v. 2. *Sicut*, inquit, *tradiderunt mihi, qui ab initio ipſi viderunt*;

runt; quo fit ut attestatio Virginei partus, reducatur tandem ad testimonium ipsiusmet Virginis, & Matris; cui tamen non minus crederet Ecclesia, fidem suam alleganti, quam testimonium Angeli referenti: è quibus efficitur; interrogationẽ illam B. Virginis ob eum finem factam, videri planè otiosam. Neque longiore opus est disputatione ad demoliendam hanc causam ejus interrogationis, quando ipse ejus author non penitus ei acquieverit, sed tertiam quandam è locuplete ingenij sui penu deprompserit: quâ quidem in re, vir ille perspicacissimus, deq; Theologia, ac palestrâ litteraria optimè meritus, simile quiddam conviviorum instructoribus fecisse mihi videtur; ij enim varietate epularum mensas non ideo accumulant, quòd omnes eas escas à quovis convivarum sumendas arbitrentur, sed ut habeat quisq; aliquid, quod palato suo maxime arrideat: quod si igitur nec primus, neq; secundus missus nobis allubet: videamus, adeone fastidientis stomachi simus; ut ne tertium quidem delibare velimus. Affert igitur tertiam quandam ejus interrogationis causam; & ait: Virginem sat quidem cõsciam fuisse: Eum, qui per Angelum annũciabatur, esse Messiam, atq; juxta sacrarum litterarum eloquia, oportere nasci ex Virgine: Nihilo tamen minus vtendũ fortasse conjugio, idq; illæsa fieri suâ Virginitate posse, ut par est credere, futurum fuisse in paradyso, si à primævo gratiæ statu, Adamus cum posteritate tota non excidisset. Atq; hanc gignendi filij rationem dum mente versaret MARIA sciscitatam ex Angelo fuisse: *quomodo fiet istud, quoniam virum non*

cognoſco? quaſi reſponſum opperiretur hujuſmodi: Non cognoſcis ipſa quidem virum, ob Virginitatis votum, quo obſtricta es; at eris in hoc ſingularis, ut nempe etiam cognoſcendo virum, Virginitatis jacturam, non facias: reſervatum enim tibi uni hoc eſt, quod fuerat toti humano generi conceſſum; ſi primus homo ab innocentia non deſciviſſet. Cœterùm neque hoc reſponſionis genus mihi quidem arridet: In primis namq; incertum eſt, quod ſi prævaricatus non fuiſſet Adamus; futurum fuiſſe ut proles ex Virginibus ſuſciperetur: lego quidem apud S. Auguſtinum, futurum tunc ut ſine dolore matres parerent, ſed etiam ibidem lego per materni fœtus impulſum, parientis vterum laxandum, cum quo ſalva non poteſt Virginitas conſiſtere, ſed eſto, veriſimile id ſit; abhorrueritq; ab eo ſtatu, ſicut incentiva libidinis, ita defloratio Virginitatis: Atqui ſi hoc pro cauſa ejus interrogationis afferatur, dubitationem tamen eximere ab animo noſtro non poteſt. Vetus namque inſtrumentum, & proloquia de Virgine paritura; non ſolùm indicant: Matrem Meſſiæ Virginem permanſuram, ſed vero etiam abſque operâ viri concepturam: id enim docebat porta orientalis, quæ non ſolùm clauſa erit, ideſt non lædetur ſignaculum Virginitatis; ſed vir non ingredietur per eam. Id ipſum Melchiſedec, quem Apoſtolus ſimilem filio Dei appellat, dicluſq; eſt ſine patre, & ſine Matre, quia figura, & imago fuit Chriſti; qui ſicut Matrem in Cœlis non habet naſcens è ſinu patris; ita Patrem habiturus non erat in terris, gignendus ex matre. Adde ea omnia quæ divinitus edita

14. de civi. c. 26.

Ad heb. 7.

dita sunt sine semine, ut panis cœlitus datus, ut Virga florens Aaron, ut virgultum succrescens de terrâ sitienti: indicarunt enim Christum sine viri semine concipiendum: quò fit etiam, ut MARIA sacrarum litterarum non ignara, non potuerit, eâ mente interrogare; *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco:* quasi quæreret: an eo modo fiet mecum, quo futurum cœteroquin erat in paradyso scilicet, ut salvâ Virginitate, concipiam ex viri consortio?

Non vnus difficultatem hanc, vidit Franc. Soarius; sed etiam Sebastianus Baradius; qui potuit dicere: à B. Virgine non fuisse intellectum Isaiam dicentem: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Sed mox instar illius Maroniani Androgeo; *De Annunciatione.*

Improvisum aspris, veluti, qui sentibus anguem *Aeneid. 2.*
Pressit humi nitens, trepidusq; repente refugit.

Desertâ illa causa, & ratione applicuit se se uni earũ trium, quas modo rejecimus. Ergo nobis alia concutienda est quercus, si forte ad planiorem hujus propositæ quæstionis elucidationem pertingamus.

§. V.

Adducitur sententia Authoris, & rationibus confirmatur.

RElìquum est ut quando ea rationum momẽta, quæ pro Virginis explicandâ interrogatione allata fuerunt, non probamus, afferamus aliud, quod videri probabilius possit; Neq; enim profectò decet, ut qui sanctissimæ Virginis in-

Digitized by Google

terrogationem qualicunq; defenſione, ac interpretatione ſpoliavimus, ita deſertam, & quod piaculũ eſt dicere, quaſi non ſatis opportunè prolatam derelinquamus. Equidem quid dubitationi ſupra propoſitæ ſatisfacere melius poſſit, non video, quàm ſi dicamus id, quod & prudentiæ Virginis, animiq; ejus demiſſioni cõgruit & reipſa ab exemplis ſanctorum alienum non eſt. Imo quod à Sanctis Patribus inſinuatum fuit. Si, inquam aſſeramus: Interrogationem illã MARIÆ nõ ignoratione myſterij, (quod videlicet Deus de Virgine fieret homo) fuiſſe ab ea prolatam; Neq; quòd neſciret, an Meſſiam annunciaret ſibi Angelus. Verum magis ut examinaret, probaretue, an ſpiritus, qui talia annunciabat, ex Deo eſſet nec ne? Atq; adeo autumo inſtituiſſe Beatam Virginem examẽ iſtud, eo afflatam ſpiritu, cœleſtiq; prudentia imbutam, quam Apoſtoli, & comprimis Paulus, & Joañes Eccleſiæ tradiderunt. quorum alter ita cenſet: omnia, inquit, probate, quod bonum eſt tenete. Alter, & propriùs ad rem noſtram: probate, inquit, ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Porro cauſæ, quæ me adducunt ut ita ſentiam: Virginem nempe prudentiſſimam non adhibuiſſe quantocius verbis Angeli fidem, atq; ſubvereri eam potuiſſe, ne ex ijs eſſet, qui ſe ſe transfigurant in Angelos lucis, mihi ſane graves, minimeq; vulgares videntur. Et quidem ipſum Evangelium, in quo Angelicum Virgine colloquium recenſetur, interpretationi noſtræ ſatis atteſtari videtur; ait enim: *quæ cum audiſſet: cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*: Videmuſne quomodo ſecum perpendebat, & tacitâ apud animum

1. ad Theſ. 5. Epi. c. 4.

Digitized by Google

animum suum cogitatione, legationis Angelicæ argumentum rimabatur, & scopum? Et quid vel mirum, aut exoticum dicemus si statim, atque audivit illa: *Ecce concipies in utero, & paries filium: hic erit magnus & filius altissimi vocabitur:* si inquam, profitemur non habuisse fidem Angelo, seu cohibuisse assensum: cum ex ipso Evangelij textu exploratum sit: Virginem circa salutationem hæsitasse, & si de salutatione dubitavit, (ideo enim secum consultabat,) non sanè portenti quid simile dicimus; si etiã de salutante dicamus dubitasse? quod, ut dixi, & prudentiæ ejus congruebat (*qui enim citò credit, levis est corde*) & ejus animi submissionem maxime decebat, ut non quidem penitus dissentiret, sed quod fecit; ut tantisper judicium suspẽderet, quoad discerneret, *qualis ea esset salutatio:* Neq; enim cum animi esset demississimi, assentiri statim potuit tam magnificæ promissioni, seq; Messiæ Matrem destinatam esse, à cujus dignitate se immensum quantum diffidere credebat. *Consvevit namq; humilitas* (Beatus ait Laurentius) *difficile fidem adhibere ijs, quæ supra eam esse censentur.* Cumq; ad hoc esset prudentissima noluit legationem veluti suspectam, seq; indignam quàm primum reijcere, sed veluti pede suspẽso progredi ad expiscandam veritatem. Non quidem quod aliquid de potentia divina, aut promissionum Dei veracitate vacillaret, uti fecerat Zacharias, qui attestationi Angeli de prole ab eo suscipiendâ, ætatis suæ ad generandum, & vxoris ad concipiendum, opposuit impotẽtiam. Coeterum cum salutatio Angeli MARIÆ auribus illata, supra humanos omnes

Eccli. 19.

Serm. de annunciat.

Digitized by Google

terrogationem qualicunq; defensione, ac interpretatione spoliavimus, ita desertam, & quod piaculū est dicere, quasi non satis opportunè prolatam derelinquamus. Equidem quid dubitationi supra propositæ satisfacere melius possit, non video, quàm si dicamus id, quod & prudentiæ Virginis, animiq; ejus demissioni cōgruit & reipsa ab exemplis sanctorum alienum non est. Imo quod à Sanctis Patribus insinuatum fuit. Si, inquam asseramus: Interrogationem illā MARIÆ nō ignoratione mysterij, (quod videlicet Deus de Virgine fieret homo) fuisse ab ea prolatam; Neq; quòd nesciret, an Messiam annunciaret sibi Angelus. Verum magis ut examinaret, probaretue, an spiritus, qui talia annunciabat, ex Deo esset nec ne? Atq; adeo autumo instituisse Beatam Virginem examē istud, eo afflatam spiritu, cœlestiq; prudentia imbutam, quam Apostoli, & comprimis Paulus, & Joañes Ecclesiæ tradiderunt. quorum alter ita censet: omnia, inquit, probate, quod bonum est tenete. Alter, & propriùs ad rem nostram: probate, inquit, spiritus, si ex Deo sunt. Porro causæ, quæ me adducunt ut ita sentiam: Virginem nempe prudentissimam non adhibuisse quantocius verbis Angeli fidem, atq; subvereri eam potuisse, ne ex ijs esset, qui se se transfigurant in Angelos lucis, mihi sane graves, minimeq; vulgares videntur. Et quidem ipsum Evangelium, in quo Angelicum Virgine colloquium recensetur, interpretationi nostræ satis attestari videtur; ait enim: *quæ cum audisset: cogitabat qualis esset ista salutatio*: Videmusne quomodo secum perpendebat, & tacitâ apud animum

1. ad Thes. 5. Epi. c. 4.

animum suum cogitatione, legationis Angelicæ argumentum rimabatur, & scopum? Et quid vel mirum, aut exoticum dicemus si statim, atque audivit illa: *Ecce concipies in utero, & paries filium: hic erit magnus & filius altissimi vocabitur:* si inquam, profitemur non habuisse fidem Angelo, seu cohibuisse assensum: cum ex ipso Evangelij textu exploratum sit: Virginem circa salutationem hæsitasse, & si de salutatione dubitavit, (ideo enim secum consultabat,) non sanè portenti quid simile dicimus; si etiã de salutante dicamus dubitasse? quod, ut dixi, & prudentiæ ejus congruebat (*qui enim citò credit, levis est corde*) & ejus animi submissionem maxime decebat, ut non quidem penitus dissentiret, sed quod fecit; ut tantisper judicium suspẽderet, quoad discerneret, *qualis ea esset salutatio:* Neq; enim cum animi esset demississimi, assentiri statim potuit tam magnificæ promissioni, seq; Messiæ Matrem destinatam esse, à cujus dignitate se immensum quantum diffidere credebat. *Consvevit namq; humilitas* (Beatus ait Laurentius) *difficile fidem adhibere ijs, quæ supra eam esse censentur.* Cumq; ad hoc esset prudentissima noluit legationem veluti suspectam, seq; indignam quàm primum reijcere, sed veluti pede suspẽso progredi ad expiscandam veritatem. Non quidem quod aliquid de potentia divina, aut promissionum Dei veracitate vacillaret, uti fecerat Zacharias, qui attestationi Angeli de prole ab eo suscipiendâ, ætatis suæ ad generandum, & vxoris ad concipiendum, opposuit impotẽtiam. Cœterum cum salutatio Angeli MARIÆ auribus illata, supra humanos omnes

Eccli. 19.

Serm. de S. annunciat.

Digitized by Google

titulos esset honorificentissima, & accideret animo Virginis de se se modestissimè sentientis: eam inijcere potuit cogitationem, ut aliquantum distineret intellectũ ab assensu, atq; ut animo quodam excelso, ac strenuo Angelũ à se percunctandũ decerneret.

Ergo ut Virginem hæc tacitò apud animum suum agitantem faciamus: *Equidem non ignoro, quem tua mihi allocutio portendat à me fore concipendum, atque pariendum. Neq; etiam me latet, quod si Dei genitrix sum futura, oportere me Virginem permanere, quodq; ad id nullo sit opus viri consortio. Attamen ut de tuâ legatione hac certior fiam verene instituta sit à Deo ad me, ex te scire cupio (ô Angele) judicium tuum ut inde conjecturam faciam de fide tua, quid igitur censes? utendumne mihi matrimonio secus ac Virginitatis meæ postulat votum, an quod dicas oportet (si verè cælitus missus es) paritura sum Virgo superveniente in me spiritu sancto? quæro itaq; quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Nam si tu quidem dixeris cognosce virum, impostorem te habebo, quippe voto Virginitatis meæ volueris illudere, meq; traductam, & falsa spe delusam, atq; fædifragam insuper effectam, Virginitatis gloria spoliare. Quid ergo dicis Angele: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Teneo sensum Dei scripturas non ignoro, licet Angelus de Cælo Evangelizaverit præterquàm quod a Prophetis accepi, anathema sit.* Sic MARIAM secum animo reputasse credamus. Et vero veniat nobis in memoriam Evæ primæ nostræ parentis lapsus, quæ per animi elationem seducta est à Spiritu nequitiæ, ut sibi persuaderet (vetitum licet fructum edendo) fore ut ad quandam cum Deo similitudinem evaderet: sed nõ sic filia

Ab Isaia 7. Hierem. 31. Ezech. 44.

sic filia Juda facilis, & cuivis Spiritui credula, cum enim vilis esset in oculis suis, minimeq; ambitiosa assentiri statim non potuit se Dei Matrem futuram. Si namq; superborum est quævis alta, & honorifica de se sentire & credere, ita modestorum est omnem à se cogitationem hujusmodi, & opinionem repellere. Hoc ergo mihi modestia Virginis cum pari prudentiâ conjuncta suadet, ut verba Angeli excutienda sibi arbitraretur priùs, quàm ijs omnino assensum accommodaret atq; factum hoc non vulgarem animi magnitudinem redolere planum est. Et de quâ hoc asserimus? nonne de illâ, de qua hoc ipsum Evangelium & locus, quem pertractamus refert, *quod cogitabat qualis esset ista salutatio? quod MARIA conservabat omnia hæc, conferens in corde suo?* An non videmus, quam prudentem, & sagacem nobis sacræ litteræ depingant Virginem? quæ verè etiam munda erat, cum acceptum auribus sermonem, revocaret ad judicij trutinam, ibiq; ruminando ponderaret.

§. VI.

Adstruitur eadem expositio, exemplis similibus ex sacra scriptura petitis.

NOn defuere B. Virgini in hoc genere præteriti temporis exempla, & in primis magni illius Josue Israelitici populi Ducis; qui sicut ipse primus (ut videtur) fuit qui inter filios Israel Virginitatem coluit, ita prima fuit MARIA, quæ inter fi- *Bell. de Principib.*

ter fi-

ter filias eandem voto firmavit. Cum igitur levasset oculos Josue, vidissetq; virum stantem contra se evaginatum tenentem gladium, perrexit ad eum, & ait: *Noster es an adversariorum?* qui respondit; *nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait; *quid Dominus loquitur ad servum suum?* quâ in re videmus quandam Marianæ interrogationis adumbratam imaginem: Josue quippe & ipse Virgo, & humilis, nam & Moysi semper obedietissimus fuerat, interrogat Angelum: *noster es an adversariorum,* quasi dicat bonusne, an malus es Angelus? & agnito, quòd Angelus Domini esset adoravit, qua ratione, & ipsa Princeps Virginum MARIA interrogato, & comperto verace internuncio prona adoravit, & dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum:* sicut & Josue dixit: *quid loquitur Dominus meus ad servum suum?* Nec multum aberravero à vero, si dicam eum ipsum Angelum non dissimilem obijsse legationem ab eâ, quâ Archangelus Gabriel functus deinde fuit: In eo enim, quòd gladium evaginatum manu tenebat, Verbi incarnationem præmonstrabat futuram; etenim Christus gladius est missus ad separādum filium à patre & tempore legis Mosaicæ gladius evaginatus erat, qui demum intra vaginam recondendus erat, & reconditus est, quando in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, qui absq; spolio humanitatis ab æterno fuit. Gedeon quoq; & ipse minimus in tota domo patris sui, cùm hic appellatus esset ab Angelo: *Dominus tecum virorum fortissime:* & præterea indiceretur ei, in hanc for-

Iosue 5.

Matthai 10

Ad Phil. 2.

Iudicum 6.

hanc formam: *vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian:* accepto hoc nuncio Gedeon, nunquid statim accinxit se itineri, ut esset salvator populi, prout ei prædicebatur? nequaquam: sed Angelum ita percontatus est, *si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum, quòd tu sis, qui loqueris ad me.* At quale signum dedit Angelus, quod scilicet à Deo missus esset? idipsum dedit Gedeoni quod datum est MARIÆ, & in eodem negotio, & causa liberationis populi à servitute, quamvis sub alio schemate, seu paradigmate: dedit enim ei vellus madidum, existēte circumquaq; area (in quâ vellus erat) sicca, quod quæso, quid aliud est ab eo, quod Angelus à MARIA interrogatus respōdit, dum dixit: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi?* hoc est, non è terra sed supernè de rore cœlesti humectaberis, atq; ne res diversa videatur: MARIA mysticè vellus Gedeonis dicitur. Petijt ergo signum Gedeon ab eo, qui annunciabat salutem; petijt & MARIA. Datum est Gedeoni signum: Incarnatio verbi ex Virgine in symbolo roris, & velleris: Datur & MARIÆ, sed expressius dum promittitur ei apertè superventurus in eam Spiritus sanctus: Ergo pene quoties promittitur Salvator, signum expetitur, & datur. Etenim admodum mira res hæc esse videtur, & supra quam dici potest desiderabilis, ut creator generis humani animatum corpus assumat, & de Virgine nasci dignetur, suamq; nobis Deitatem largiatur. Atqui etiam in rebus valde admirandis, attamen si fiant, acceptissimis ita comparati sumus, ut nihil in animo dubitationis reside-

re velimus de veritate rei optatissimæ, ac fidelitate ejus, qui nuncium bonum, & faustum attulit: Imo etiam vsuvenit, ut postquam accepimus, quod vehementer desiderabamus, vix nobis satis esse certi de possessione videamur. Cum igitur etiam uxori
Iudicum 13. Manue, quæ sterilis erat, apparuisset Angelus Domini, dixissetq; ad eam: *Sterilis es, & absq; liberis, sed concipies, & paries filium, & ipse incipiet liberare Israel de manu philistæorum*: quid illa ad hæc? *Interrogavi*, inquit, *quis esset, & unde venisset, & quo nomine vocaretur*: quod aperte fecit vxor Manue, & veluti *ἀτέχνως*: hoc MARIA mirâ dexteritate, & gratiâ præstitit: cum dixit: *quomodo fiet istud, quoniam virũ non cognosco?* Quid quod non solum petatur signũ, cum promittitur Salvator; sed etiam obtrudatur non petentibus? Cum enim Isaias obtulisset Regi Achaz optionem postulandi quodvis genus signi salutis ei
Cap. 7. impendendæ, his verbis: *pete tibi signum à Domino in profundum inferni sive in excelsum supra.* Signum videlicet tale, ex quo intelligere posset, se liberandum à Syris, & ab Israel qui Jerusalem obsidebant: Et Rex maligne abnueret petere, attamen non petenti, imo recusanti ingeritur: at quale? idipsum quod MARIÆ exhibuit Angelus: sic enim subjecit Isaias:
Isaia 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: MARIA igitur hoc ipsum signum petijt ab Angelo, qui annunciabat conceptum, & partum filij, cujus nomen futurum esset JESUS seu Salvator, ex quo cognosceret, quod Virgo permanens esset paritura: & dedit Angelus cum dixit: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*: ex quo se verè à Deo missum

Digitized by Google

missum declaravit, & talẽ cui proinde tutò fides adhiberi posset. Videmus igitur quemadmodum à factis Sanctorum nihil dissentiat MARIÆ postulatio: Imo quàm nihil dissonet à mente Dei: quippe signũ hoc Virginei partus, cum promitteretur salus, aut ereptio ab hostibus, sæpius editum est: & ut mea fert opinio, in ijs pridem gestis prælusum huic interrogationi MARIANÆ arbitror: ut sicut olim promissio salutis per insinuationem Virginis pariturae (ex cujus partu prima ac vera salus pendebat) rata fiebat: sic præcipuæ spei arrha, esset idipsum signum, ac miraculum: quasi apertè indicare voluerit Deus: & dicere: Qui veram animi salutem per Virgineum partum sum hominibus impertiturus: aut qui etiã proprio filio meo non parcam, sed pro vobis omnibus tradam illum; quomodo non etiam cum illo, omnia vobis donabo? Atque hîc etiam aliquid intrepide ausim assèrere, ac dicere: MARIAM non solum in facto hoc posterioris ætatis hominum, quoddam ad imitandum fuisse prototypon, sed ea actione, ac interrogatione promeritam, ut Angelis ipsis proponeretur in exemplum. Cum enim deinceps filius Virginis Cœlos conscenderet, Prodromi ipsius ac Honorarij stipatores ubi ad Cœli limen pertigissent, inclamassentque: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:* Non sanè confestim Cœli fores reclusere Cœlites Angeli, sed prout didicerant à MARIA, cui cum dictum esset: *Ecce concipies, & paries filium, qui erit magnus, & filius altissimi vocabitur:* interrogavit, *quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco:* Sic & ipsi

Ad Rom. 8.

Virginis explanatio nova videatur, & prima fronte à mente & ſenſu MARIÆ diſcrepare, eò quod verba videantur magis interrogantis à Nuncio, quod neſciebat, quàm examinantis Nuncium, an legitimus eſſet. Ad hæc quòd non ſit congrua fidei, & ſimplicitati Virginis, cum minimè eam decuerit quæcunque verborum amphibologia, & quaſi aliud habere promptum in ore, & aliud clauſum in pectore. Equidem ſi rationes eæ, ſeu potius conjecturæ, quæ à duobus illis Doctoribus excogitatæ fuêre, & nuper à me recitatæ ſunt minuſq; ſolidæ repertæ; ſi inquã, tantum haberent ponderis, ut animo penitus ſatisfacerent, poſſemuſq; ejus interrogationis eam reddere cauſam, ut neque ignoraſſe videretur Virgo, quiſnam ſibi annunciaretur, aut non neſciſſe Chriſtum è Virgine naſciturum; tum demum ſuperſedendum omni alia interpretatione, & amplectenda verborum ſimplicitas eſſet; Cœterum ita ſimplicitatem in Deigenitrice propugnare debemus, ut tamen incuriæ, aut minus conſideratæ locutioni eam non faciamus affinem. Si igitur neq; illæ, quas Soarius, & Vaſquez attulêre, interpretationes ſatisfaciunt, neq; hæc noſtra omnibus arridet: quænam igitur ijs verbis; *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*: ſubeſt notio? an hæc? Non poteſt id eſſe, quod dicis, quoniam neſcio viri thorum, & ne cognoſcam voto prohibeor: Vt ſi offeratur liber neſcienti litteras, & reſpondeat, quomodo legam, cum litteras non didicerim? ſicut enim ignorantia ſyllabarum eſt impotentia, ne quis legere poſſit: ita etiam votum impedimentum præbet ne debeat cognoſci

gnosci vir; & quod non debemus dicimus non posse. An alia potius est eorum verborum significatio? hoc est; Non equidem prætendo impotentiam ullam quia novi nihil impossibile esse apud Deum, atq; adeo ex Virgine nasci posse filium: Attamen quia reipsa virum ob votum non cognosco; nescio an velit Deus ut cognoscam, sicq; voti mei religione me absolvat? an verò non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu genitura sum filiũ? Cœterum alteram illam sermonis Mariani interpretationem, quasi res quæ annunciabatur fieri non posset, aut minimè deberet, admittere nullo modo possumus: si enim (ut dicere habent, qui sententiæ nostræ non adhærent) MARIA agnovit Angelum ad se à Deo ablegatum, non potuit è præscripto prudentiæ obtendere impotentiam ullam ne quidem eam, quam dicimus moralem è vinculo voti enascentem: peræque enim fuisset ac dicere. Falleris ô Angele, in eo quod me concepturam, & parituram dicis; non enim per votum licet mihi virum cognoscere; & quod non licet non possum, adeoque fieri non potest, quod ipse tamen futurum asseris. Quæ quidem sententiæ Marianæ interpretatio prorsus ab ejus mente aliena videtur, atq; lectissimâ Virgine, ac destinata Dei matre omnino indigna.

An igitur alteram illam, quæ planior, & sapientiæ Virginis videtur esse congruentior expositio, admittemus? quasi videlicet MARIA in hanc sententiam verba illa interrogatoria efformarit: Quoniam ô Angele Dei, concepturam me, ac parituram dicis, & hoc nomine Patris æterni, mihi denuncias: Cum nefas sit

nefas sit mihi virum cognoscere, putasne pariturã sum Deum, & hominem, qui claustrum Virginitatis meæ non violabit? an Dei nutu cognoscendus est mihi vir, quem obstante Virginitatis voto non cognosco? Edic ô Angele, quomodo fiet istud? quod si quis dicat, hunc videri planum, & apertum Virginei pectoris sensum; & ideo retinendum esse: hoc ego tamen constanter affirmo, mihi non videri. In primis namq; quod maximè obvia sit, & nuda explicatio, non ideo statim arripienda: Nam etiam illud Angelicum canticum, quod nato Domino, coram pastoribus accinuêre: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: hanc præseferre videtur significationem: Deferimus laudem Deo nos Cœli incolæ, & vobis hominibus, qui bonâ præditi estis voluntate, pacem auguramur, atq; portendimus. Atq; hæc est eorum verborum obvia expositio, ut in eam etiam non mediocriter Docti impingant; quam tamẽ esse alienam à mente Angeli græca vox: Εὐδοκία satis ostendit: neq; enim promulgata est pax hominibus bene affectis, seu bonæ voluntatis, sed hoc videlicet indicare voluerunt Angeli, quod Deus nempe bene afficiatur erga homines, ut quidem præbito ijs salvatore abunde demonstrabatur: & tantum abest, ut ibi, de bonâ hominum voluntate sermo sit, ut potius Verba Angelorũ sententiam illam Pauli repræsentent: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filij ejus*. Quare etiam esto videatur ea Marianæ interrogationis aperta significatio, non tamen ideo opinari debemus eam fuisse Beatæ Virginis mentem: ex eâ enim interpreta- *Ad Rom. 5.*

interpreta-

terpretatione colligere possemus: MARIAM quod Christus nasciturus esset è Virgine, fuisse nesciam; quod quam parum sibi constet, è figuris Virginei partus olim præmonstratis, quasq; B. Virgo non poterat ignorare, manifestè apparet.

Adde quod minimè contemnendum videtur, ex tali interrogatione in eam partem acceptâ, consequens esse Virginem sic animo affectam, comparatamq; fuisse, ut si Angelus aperuisset ei, concipiendi modum debere esse communem, ac vulgarem; fore ut non recusaret virum cognoscere: & quidem esto laudabilis fuerit ejuscemodi animi præparatio ad nutum Domini: Verisimile tamen non est Filiũ Dei, cui futuræ Matris votum longe acceptissimum fuerat, voluisse nihilominus eam permittere in animo castissimæ Virginis qualemcunq; trepidationem perdendæ Virginitatis, atq; consensum in copulam, qui profectò inerat animo ipsius, si interrogavit animo obsequendi quidquid de voluntate Dei didicisset ab Angelo. At fuitne MARIA quasi de Virginitatis suæ voto tentanda; ut videlicet fieret manifestũ, quod quamvis ea corporis, animiq; dos, in ea esset singularis, & portio ejus charissima, attamen amore dilecti, promptam futuram huic etiam optimæ possessioni renunciare? Sed nescio quo pacto fiat, ut ejusmodi probatio amoris, amorem potius imminuat, neq; videtur idoneum ad vim amoris prodendam hoc futurum fuisse experimentum. Quis enim Pater erga filiam etiam à nomine nuptiarum per Virginitatis studium abhorrentem, aliquam sui amoris significationem in eo ostendat; quod tali filia maritum

maritum polliceatur,& quærat? hoc enim non aliò spectare mihi videtur, quàm in re aliena, pudicum Virginis animum mœstitia aspergere, & castissimũ ejus pectus, doloris sensu contaminare. Quid quod, ut Theologis placet,& infra dicemus, neq; is in Virgine consensus in copulam fuit: quo apud se statueret maritale debitum se fore reddituram, si Josephus exigeret; & iccirco ita visum est, ne vel ejuscemodi assensu aliquid de illibatissimâ MARIÆ Virginitate decerperetur. Atqui reponitur hic animus in Virgine, si interrogatio ejus hanc continebat significationem. Quod si dicas, dari vitio Virgini non potest, si ad omne Dei imperium, & nutum obsequentem se præbuit: Equidem nihil repugno, & idipsum contra quosdam paullo post propugnabo: verum hoc solum ajo; ejusmodi etiam obsequio aliquid etsi citra culpam de Virginitate integerrimâ quasi vellicari: nam etsi vitiosum id animi propositum non fuisset; præstare tamen videtur, si sumum obediendi studium cum pari Virginitate conjungamus.

§. VIII.

Adfertur ratio pro sententia Authoris, & quædam objectiones diluuntur.

SI dicimus Virginem nostram animo sibi bene constantem, & secreti consilij, quo de Virgine nasci Deus destinarat, manifestisq; per Prophetas indicijs declarârat, non ignaram, explorandi

 gratiâ

gratia interrogasse: Verène Angelus ad se se cœlitus destinatus esset, an quispiam reprobus spiritus in Angelum lucis se transformasset, voluisseq; ex responsione conjecturam capere; evitamus ea omnia incommoda, ostentamusq; Virginis constantiam, prudentiam, animiq; submissionem, quâ factum est ut narrationi, prout videbatur, de se nimis magnificæ, non adhiberet quamprimum fidem: eaq; animi sui modestia omnibus pedissequis suis Virginibus, cœterisq; mulieribus ab illusionibus Dœmonis, quibus cœteroquin fœminæ solent esse obnoxiæ, ostenderet esse cavendum. Atqui hoc, inquis, alienum est à Virginis simplicitate, & fide, si non statim credidit Angelo, & dubia de fide Nuncij, eum sibi examinandum, excutiendumq; existimavit.

Equidem nescio quam fidem, simplicitatemuè comminiscantur aliqui in Virgine: Illa demum vera, solaq; simplicitas commendabilis est, quæ sejuncta à prudentia non est: quippe Christus ita columbinam simplicitatem præcepit, ut tamen serpentis astutiam desiderarit. Hæc igitur MARIANA simplicitas fuit, quæ non fatua esset, sed prudentiæ sale condita. Nec aliter candidissimus quisq; animus (si proponatur ei, quod apertissimè non liquet) interrogaret, ac interrogavit MARIA, quæ etsi cōtineret in animo optimam ad bene sentiendum propensionem, atq; existimationem, nullam videlicet subesse fraudem, dum tamen res manifesta non erat, interrogavit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* etsi, inquam, præsentiret ex animi sui quadam dulcedine bonum, inq; meliorem partem inclinaret: ita

ret: ita ut quasi apud animum suum diceret B. Virgo; *Nonne dices, quod divinitus sim conceptura; si verè sum electa Dei Mater?* in quo nulla penitus animi vafrities apparet; non enim tam è sono, quàm ex habitudine mentis dimetienda sunt verba. De fide, quod ajunt, seu credendi promptitudine, nihil attinet dicere. nam ea demum laudabilis credulitas est, quæ rebus bene perpensis adhibetur, non ijs, quibus aliqua falsi adhærere suspicio potest, quale est, si Virgini de se se quàm abjectissimè sentienti, nihilq; tale suspicanti offeratur Reginæ nomen, atq; cõnubium Regis. Credidit utiq; MARIA, & ut infra suo loco ostendam, major quàm Abrahami, atq; Centurionis fides MARIÆ fuit, quæ ubi divinam esse illam denunciationem interrogando, examinandoq; cognovit, credidit rem suapte natura incredibilem, hoc est, se parere posse, & Virginitatem non perdere. Neq; enim Elisabethæ encomium de fide Virginis ad aliam referri potest fidem, quàm ad eam, quâ credidit se illæsa Virginitate parituram Deum, & hominem. Adversari & illud sententiæ nostræ non parum videtur: cum enim asseramus B. Virginem minimè ignaram fuisse mysterij, quod scilicet è Virgine Christus nasciturus esset; quominus tamen id sentiamus, facit Angeli Gabrielis responsio, quâ MARIAM de partu Virgineo sine viri consortio, certiorem reddit: alias enim ut quid Angelus Elisabethæ sterilis anus, & tamen prægnantis exemplo adstruit Virginis partum? Verum inprimis quid necesse est dicere; Angelum habuisse omnia perspecta, quæ Virgo gerebat in pectore? Si enim Angeli quædam ignorant

Ad Eph. 3. circa vocationē gentium, dicente Apostolo ad Eph. *vt innotescat Principatibus, per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei:* quantò magis ijs secreta cordium ignota sunt? Nam & ideo linguæ dicuntur Angelorum, ad aperiendos latentes animi sensus. Neq; tamen ex hoc ipso habemus dicere: deceptum errore Angelum, dum quasi ignaram edocet de mysterio. Nam quid opus est opinari: Angelum apud se statuisse, quod Virgo aliquid in hoc genere ignoraret? quin magis sentiendum est, voluisse, quod sui muneris erat, adamussin explere; quocunque tandem animo B. Virgo ipsum sciscitata fuisset. Etenim etsi Angeli conijcere de secretis cordium valeant; attamen de ijsdem judicium, sententiamve non ferunt. Sed vero etiam esto; sciverit Angelus, & pro explorato habuerit non nesciri à Virgine, Messiam ex incorrupta fore concipiendum, quid hoc obstat quominus idipsum Virgini affirmarit? an non (ut quorundam fert opinio) perinde se habuit is Angelus, qui Christum in Agone positum confortabat, ejus laudando extollendoq; animi fortitudinem, mortisq; ingentem vtilitatem deprædicando, quæ Christo non poterant esse obscura? ejusmodi enim non solum scita, sed ab alijs audita, atq; commendata afferre solent animo ea audientis solatium. Et verò potuit Angelus ex ea B. Virginis interrogatione: cum non ignoraret Virginem, imo experiretur esse valde cōsideratam, & electam è millibus, potuit, inquam, discernere, quæ mens Virgini esset, explorandi videlicet quid ad eam quæstionem responderetur, ut ex responsione disceret; verane, an falsa nunciaret.

Io. del. Vgo in 3. p.

Quodq;

Digitized by Google

Quodq; hanc B. Virgo illâ interrogatione ansam cõijciendi de mente sua præbuerit Angelo; deduci manifeste potest ex eo quod sic dicendo, ostendebat se scire alium conceptionis modum præter naturalem. Nam si naturalis duntaxat generationis, & modi concipendi vulgaris conscia fuisset: interrogatio illa Virginis; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* veluti exprobratoria fuisset, quasi prædiceretur futurum, quod fieri ob voti religionem non potest: Aut certe ita quærendo (si ignara erat alîus modi) exspectabat relaxationem voti sui, taciteque in amplexum maritalem consentiebat: & nisi hoc dicamus, sentiamusq; B. Virginem bene perspectum habuisse, etiam cum sic rogaret, partum Virgineum; non video quomodo eam interrogationem à Verbositatis vitio, sermonisve superfluitate vindicemus, quæ in eo posita esse videtur, quòd ab eo, qui præcipere potest id, quod cum voto non consistit, quæratur an liberet à voto? cui enim dubium esse potest quin is, qui tale aliquid præcipit, & votum non ignorat, eum cui præcipit, eo ipso quod præcipiat, etiam à voti vinculo liberare? Quare Jansenius ex eâ B. Virginis interrogatione conjecit; B. Virginem existimasse de voto suo quod Deo fuerit acceptum; nam si aliud sensisset, omissa illa quæstione, statim præbuisset assensum, quòd arbitrari posset, votum suum Deo nõ probari, quod cum ipse sciret eam vovisse, nihilominus ei conceptum per Angelum annunciaret. Adde quod sicut relaxatum paupertatis votum, nihil ne in commune quidem possidendi, existimare potuere religiosi illi quibus *Iansen. c. 3.*

 ut bona

ut bona immobilia possidere liceret, per Tridentinũ fuerat indultum; ut bene cõtra Thomam Sanchez, interpretatur Soarius: ita B. Virginem de suæ Virginitatis voto existimare potuisse. Et vero qui perfectioni obediendi sededunt, si quid imperatum à præside fuerit, quod lege vetitum sit exemptos à lege se credunt, ut jussis obtemperent. Cum igitur Virgo MARIA ea interrogatione satis ostenderet scire se duplicem esse concipẽdi rationem: naturalem quidem alteram (quamtamen non licere sibi significabat) super naturæ vires, ac facultatem alteram: appositissime respondit ei Angelus, nec aliquid quod minimè esset necessarium intulit, sed quæstioni per opportunè satisfecit: Neq; quasi ignaram Mysterij docuit, sed veluti discipulus Magistræ quæstionem, & interrogationẽ respondẽdo exæquavit.

4. t. de Rel.

§. IX.

An sibi constet opinio quorundam, qui ex interrogatione B. V. *quomodo fiet istud?* conijciunt insinuatam ob amorem Virginitatis animi repugnantiam ad concipiendum Messiam ex congressu maritali

HIC ego probare non possum; quorundam (si liceat ita dicere) nimium ac supereffluens studium ostentandi amorem Virginis erga Virginitatem suam; in eo quod quasi pro honore Virginis

Virginis dicunt, neq; tamen quomodo honorificum ei sit, satis apparet: Atque istud est: Virginem percunctando: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* indicasse servandæ pudicitiæ adeo se studiosam esse, ut sibi grave futurum esset, cum ejus jactura etiam tantæ prolis matrem constitui. Ain vero hunc MARIÆ animi sensum fuisse dicamus, ut destinata verbi incarnandi Mater ægre jacturam faceret Virginitatis? redolentne eam mentem hæc verba, ut quasi renitendo ob amorem Virginitatis, consensura fuisset in copulam maritalem? Si hoc dicimus; quomodo cum studio servandæ corporis integritatis, non minuitur obediendi promptitudo & voluntas Dei consilijs, atq; constitutionibus obtemperandi? Certè in eo quod dicunt, difficile futurum fuisse Virgini, ex viri consortio concipere, & propterea sollicitam de Virginitate rogitasse: quomodo cõcipiendus, inq; lucem edendus fœtus ille prænunciatus esset; videntur id velle dicere, quod Deipara sic animo affecta tunc fuerit, ut quando etiam apertè, & palam denunciasset Angelus, virum illi esse cognoscendum, ut Filij Dei, & Christi Mater evaderet, contractum iri animo, quod etsi Messiæ Mater fieret, attamen decusso Virginitatis flore veluti flaccesceret. Cœterum vero vtrum hoc sanctitatis, perfectionisue sit argumentum; retinere ejus rei amorem, seu difficulter, repugnanterq; amittere, quam Deus deserendam denunciat, viderint illi, qui retinendæ Virginitatis Zelum reperiunt, laudantq; in MARIA tunc etiam, cum de cognoscendo viro manifestata ei fuisset Dei voluntas. Sane perfectæ id esse

Ludovicus de ponte p. 2. med. 7. punct. 2.

S. Bernard. ser. 4. sup. missus est: ubi ait: Gaudebo de filio, dolebo de proposito.

id esse non potest virtutis, velle affíciq; ad id genus vitæ, quod ne retineas indicat tibi Deus. Deus quippe præcipiendo ut aliqua virum cognoscat, neutiquam vult eam Virginem permanere, & siquidem Virgini hoc Dei præceptum, seu consilium patefiat, si velit à voluntate Dei non discrepare, debet & ipsa velle non esse Virgo. Alioquin dum eam Virginitatis apprime studiosam facimus, minus obedientem, Deiq; nutui repugnantem ostendimus. At tu quidem dicis: quid prohibet, quominus sic affici ad aliquid possim, nihilq; interea à præstandâ Dei volūtate declinem? quis enim credat, Abrahamo fuisse vetitum, ad immolandum filium suum cum animi acerbitate accedere, dummodo amor filij ab inferendâ nece non revocaret? Sic jubebat Deus Paulū permanere in corpore ad profectū fidelium, & gaudium fidei; neq; tamen vetabat, quin una aspiraret ad vitam beatam, cuperetq; dissolvi, & esse cum Christo. *Ad Phil. 1.* Sic Christus ipse jussionem quidem Patris exequebatur; attamen cœpit contristari, & mœstus esse. *Matth. 26.* Quidni igitur etiam dicamus præsertim S. Bernardo, & Ludovico Deponte Authoribus B. Virginem accepto licet mandato de cognoscendo viro, potuisse absq; virtutis imperfectione, retinere amorem vitæ suæ Virginalis talem, qui nihil officeret suo erga Dei jussa obsequio? Audio quidem patrocinium ejus causæ, quam oppugno, nec ideo ab incepto desisto: tametsi enim ea, quæ allata sunt verissima sint, sententiam tamen nostram non evertunt: si enim sermo habeatur de ijs, quæ suapte natura expetibilia sunt, semper adamari illa possunt,

esto po-

esto potiundi ijs facultas non concedatur; quin verò etiam abstinētia earum rerum præcipiatur: Cum enim ejusmodi sint, fieri non potest ut non amentur ajo, etiamsi, qui amat assequi reipsa nolit: uti peccator non potest non amare beatitudinem, quâ tamen peccando se privat. At quæ non habent rationem finis, sed solum finis gratiâ sunt in amore, eatenus amari possunt, quatenus ad finem conducunt: Et hujus generis affirmo esse Virginitatem, quæ non alio potissimùm referri posse videtur, quàm quò S. Paulus eam refert: ut videlicet *facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* 1. ad Cor. 7. quod si Deo ita visum fuerit ut alia via ad hunc terminum, qui est ipsi placere, ab aliquo perveniatur, si superest etiamnum, resideatq; in animo affectio ad id, quod de cætero non habet rationem medij, studium illud, & residua benevolentia minimùm arguet animum non perfectissimè Deo deditum. Quis enim ambigat eum plenissime Deo subditum censendum non esse, qui ad certum vitæ religiosæ genus aspiranti, si diversum ab illo præscribatur, retineat is nihilominus prioris desiderium quoddam, seu propensionē animi, esto præscriptum, ac designatum amplectatur? par esto judicium de homine religioso, qui cum vitam suam obedientiæ addixerit, pondere tamen quodam animi fertur ad aliquod præ alio ministerium, esto in varietate multiplicium munerum, sint aliqua insigniora, & ad Dei obsequiū magis accommodata. quapropter illustris ille Dei servus rogatus cum esset: ad quid magis animatum se esse sentiret, aut inclinaret, respondit. *Inclino ut non inclinem:* &

Digitized by Google

Hieronym. natalis Orlandinus 1. p. hist. soci. Ribadeneyra in vita S. P. Ignatii

ipse S. P. Jgnatius dicenti Jacobo Lainez se desiderio teneri Indos ad fidem adducendi: respondit se hujusmodi cupiditate non teneri: quod quia mirabile videbatur Jacobo; rogavit causam, & hanc retulit S. Pater: *cum voto obstricti simus summo Pontifici; non debemus in alteram partem inclinare, sed æquitatem animi servare.* quod si ad Religiosi perfectionem spectat, in neutram partem vergere ante nutum præsidis, quanto magis post ejus imperium, eò totus ferri debet, quò vocatur, abolito omni diverso ab imperantis mēte studio seu inclinatione animi aliena. Si diceremus Virginitatem esse bonum ejuscemodi, quod prima ut ita dicam, fronte reddit se se omnibus amabile, ut respui à nemine meritò posset: tunc demum retineri ejus amor in quocunq; eventu deberet: atqui non ita se res habet, quomodo enim Virginitas ejus generis bonum est aliquod, quod ipsum sit ex se expetibile, cum ea quæ talibus bonis opposita sunt, æque fugienda atq; detestanda sint, ac ipsa sunt bona expetibilia? quis vero dicat matrimonium ipsamq; generis humani propaginem esse execrandam? quod si execranda, abominandaque ista non est, nec Virginitas tale bonum quoddā est, ut eo ipso quod Virginitas sit ab omnibus expeti debeat: quare optime hanc in rem dixit S. Augustinus. *Virginitas* (inquit) *non quia Virginitas, sed quia Deo dicata est venerabilis est:* ergo ex fine, qui per eam spectatur, accedit illi dignitas, quam utiq; ex se se non habet. Quod igitur ad id, quod ex Christi ipsius facto petebatur attinet, quodq; deprecatus sit mortem, quam Pater ei subeundam præceperat, hoc neutiquam

T. 6. de S. Virg. cap. 8.

Digitized by Google

neutiquam summæ ejus obedientiæ aliquid derogatur. In primis namq; in eo quod Christus mortem aversabatur, non abhorrebat ab ea quatenus à Patre præcepta ei fuerat, quin tali imperio affectam ardentissime exoptabat: ac proinde non solum dixit se vehementer vltimum illud suum pascha desiderasse; sed Apostolos ad egrediendum excitavit, cum dixit, *vt cognoscat Mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc.* Atqui vero, ut isti dicunt, Beatæ Virgini grave futurum fuisset, cum jactura Virginitatis, fieri Matrē Messiæ. Stabat igitur amor Virginitatis etiam dum prospiceretur damnum ejus provenire ex eo, quod ei præcepta matrimonij vsura fuisset: quasi diceretur, quòd illibentius, seu quodammodo renitenter Christus mundum redemerit, quòd eo redimendo tam atrocia sustinenda forent. Deinde vero etsi Christus aversatus est mortem, eamq; desiderio quodam inefficaci deprecatus est, sive vitæ retinendæ studio tenebatur; non sane consequens est; ut potuerit B. Virgo pariter esse affecta circa Virginitatem. Nam sicut vita per se appetibilis est, ita mors detestabilis: vnde potuit Christus etiam inter moriendum vitæ appetitionem retinere: sed ejusmodi res non est Virginitas, est aliquid ex se indifferens, quod solum ex fine honestatur. Quare si Deus jam alio medio sibi viendum à Virgine ostendisset, desiviffet illa honestas, unde & appetitio illius abijcienda fuisset: quod si dicas saltem desiderium inefficax illius retinendæ superfuisset si præceptum matrimonium non fuisset, sicut qui avocatur à lectione, vel oratione, cum

promptitudine obediēdi retinere potest amorē studij seu precationis, si sibi permitteretur: atqui dico tale desiderium magis animi propositum dici debet, quam desiderium: desiderium enim nascitur ex amore rei, atqui amor tunc non fuisset in MARIA circa Virginitatem, cùm (ut dixi) non sit ex se expetibilis, sed ob finem, qui jam cessarat. Et vero ejusmodi animi propositum hoc est sic & sic vivendi remoto præsenti statu, non affert animo molestiam, si non expleatur, neq; enim moleste fert quis, quod non vtatur certo quodam medio ad consecutionem alicujus finis, quo alias vteretur si medium certius præsentiusq; oblatum ei non fuisset. Vnde dato tali casu quo MARIÆ fuisset vir cognoscendus ex divinâ jussione, neutiquam gravatè accessisset. Cum ergo hæc ita se habeant, ut quacunq; interpretationis forma interrogationem MARIANAM vestiamus, nulla ita aptè coveniat atq; illa, quam diximus, teneamus eam Virginis mentem fuisse, ut nempe sciscitata fuerit ad exspiscandum cujus generis ea esset legatio, & annunciatio.

§. X.

Excitatur nova interpretatio, & reprimitur; & demum sententia Authoris SS. PP. authoritate definitur.

ECce dum orationis, seu interpretationis meæ cymbam pene ad littus attuleram, & ovans exilire

exilire in terram festinabam, nodus difficilis animo incidit, & quasi rapidus ventus à portu tenendo jam jam appellentem, in altum repulit. Non dissimulabo quid disputationi meæ intercedere non parum videatur. Quid enim si quis ita opponat & dicat: quod cum velle potuerit Deus, ita mysterium incarnationis operari ut interim creaturæ operâ id præstaret: quâ simili ratione, ad gratiæ effectionem, ipsiusq; corporis Christi, sub panis speciebus productionem, hominum ministerio uti Deum, in confesso est. Quid si inquam, occurrat aliquis, & obijciat: Non eam fuisse MARIÆ mentem, quam interpretando attulimus, sed ejus postulationem eò potius collineasse, ut ex Angelo cognosceret, aliquane suâ quacunq; operatione opus esset, ad concipiendum hunc filium, etsi citra omnē Matrimonij vsum: quod ipsum esse videtur, quod scripsit S. Ambr. de Virgine his verbis: *Legerat, quia Virgo conciperet, sed non legerat, quemadmodum Virgo generaret*: quid quod etiam probatissimo passim scriptori visum est affirmare, non solùm totius hominis Christi idest corpus & animam, Beatæ Virginis vitali maternaq; actione coaluisse, sed adeo etiam humanæ naturæ nexum in hypostasi Verbi eadem operante contextum elaboratumq; fuisse: Et si hoc dicimus, hoc est Beatam Virginem ad aliquam suam cooperationem, sive opus à se præstandum interrogando, prospectasse; V. G. an sacrificiū aliquod aut ceremoniæ alicujus vsurpatio adhibenda foret, aut quid simile: Neutiquam fas erit nobis eam interrogationem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Sic interpretari

L. 2. in Lucam.

Suarius t. 2. in 3. p. disp. x. sect. 1.

tari quasi eam formarit ad scrutandum verusne an falsus esset is internuncius. Equidem dum angustias in quibus Soarij, & Vasquesij interpretationes distinentur considero, easq; quibus cum cœteræ cõflictantur, animo reputo: postremus hic commentarius prope ad assensum alliceret, nisi vnum quiddam ab assentiendo retraheret, & istud est: Nam si hoc dicamus, eoq; animo rogasse B. Virginem sentimus, an scilicet aliquod à se se exhibendum esset ministerium aut obsequium, quo fieri Dei Mater posset: per eam interrogationem, Angeliq; responsionem, voti sui compos effecta non est, oportuissetque in hanc formam, quærendo instare. Equidem non ignoro divinæ hoc opus esse potentiæ, sed ecquid ad hoc admirabile opus efficiendum, non quidem necessitate aliqua, sed dignatione suâ, servitium creaturæ suæ requirit Deus, de hoc quid dicis Angele, nihilne mihi præstandum erit? Cum igitur B. Virgo hujusceemodi quæstionem non reiterarit, esto solum diceretur ei fore ut virtute Spiritus Sancti Christum conciperet, non est profectò, quod sententiæ nostræ palinodiam canamus: præsertim cum verisimile non sit MARIAM movisse quæstionẽ in re, cujus exemplum in sterilibus, quas divinâ virtute cõcipisse non ignorabat, aliquod tale non præcesserit. Insistimus igitur sententiæ, quam paragrapho 5º. secuti sumus, & similibus Sanctorum gestis, ac quæstionibus ab eis factis illustravimus: Imo nihil admodum, vel hoc tempore exoticum, aut peregrinum dicimus sed quod est inter Reges ipsos consvetudine receptum; quippe cum legationem, ad se

ad se missam intelligunt, vnà legationis ejus testes litteras proferri postulant, ut ab eo, qui præfertur, instituta nec ne sit legatio, cognoscant: ne quis scilicet error, aut fraus in rebus maximi ponderis intercurrat. Id quod etiam pluribus in locis sacrorum voluminum vsurpatum fuisse apud veteres illos, legimus ut 4°. Regum 5°. cum enim Naaman princeps militiæ Regis Syriæ mitteretur à Rege in terram Israel, etiam litteræ Regiæ additæ sunt: similiter 1°. Machabæorum 15. Numenius non sine litteris expeditus est Roma ad Regem Ptolomæum: ejusmodi litteras expetijt B. Virgo, cum quæsivit: *quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* præsertim cum sua eam modestia ab assensu Angeli præconijs accomodando distineret. Erat enim Virgo sapiens, eo spiritu, intelligentiaq; prædita, cujus & alij post illam participes fuerunt: ut honorificas scilicet compellationes, etiam ab Angelo factas, haberent suspectas. S. Eprehem de B. Abraham ita refert, quod cum media nocte psalleret, lux instar solis in ejus cella refulsit, & vox audita hæc est. *Beatus es Abraham, nullusq; tui similis, qui omnes voluntates meas explesti:* atq; hic tam honorificè salutatus non statim fidem adhibuit, sed intra modestiæ cancellos se se continuit, alioquin turpiter exerrasset. Notum etiam est quòd Dœmon prope illusisset Simoni Stylitæ, quodq; idem veterator fucum facere voluerit Sancto Martino. Quidni igitur Virgo prudentissima subuereri potuerit technas, & ne qua subesset Angelicæ allocutioni fallacia, idcirco voluisse interrogando indagare?

Vide Corne: à lapide in illud 2. Cor. 11. transfigurat se in Angelũ lucis.

Atq; hæc

Digitized by Google

Atq; hæc est mea de verbis Dominæ sententia, cui non video jam, quid opponi possit, nequidem
Actorum 17 illud Athenaicum: nova quædam infers auribus nostris. Nam etsi diffiteri non possum, novam hanc mihi quoq; visam primò fuisse doctrinam, quòd interpretes, quos nanscisci potui, ne aliquam habeant quidem hujus opinionis insinuationem: quin Caje-
Apud Vasquez d. 124 c. 4. n. 60. & allegat Iansenium. tanus illud: *NON COGNOSCO.* Sic exponit ac si dixisset B. Virgo, usq; in præsens nō cognosco, quod planè incongruens est. Incidi tamen deinde in locum quendam Ludovici de ponte viri, quâ doctrinâ, quâ vitæ religiosæ præstantia clarissimi: Hic
P. 2. med. 7. puncto. 2. dum materiem apportat, seu meditationis argumēta, hanc etiam nostram sententiam videtur collegisse: sic enim de B. Virgine loquens ait: *Quăvis Messiæ Matrem juxta Isaiam sciret Virginem, voluit tamen revelationem prudenter examinare, ut quo pacto cum propheta consentiret deprehenderet:* & subdit cautelam hanc: hoc est Virginis imitatione examinādum esse Spiritum, qui ad aliquid pellicit, in quo apparet periculum minuendæ Virginitatis, ne forte sit Sathanas transfigurans se in Angelum lucis: hæc ille. Imo deinceps inter legendum, cum fortuitò reperissem locum alium S. Gregorij Thaumaturgi: vix non exclamavi illud Archimediacum εὕρηκα εὕρηκα, perspexi enim sententiam hanc à veteribus pridem fuisse indicatam, etsi à nemine (quod sciam) atque supra exposita est, adeo clarè fuerit expressa, & si fuisset magis à patribus explicata, verosimile nō est, Suarez, & Vasquez, aliosq; post eos, relictâ tritâ, & obvia Patrum via, aliò digressuros fuisse: Etsi enim

Patres,

Patres, quos mox recensebo meminere cõsiderationis, & turbationis Marianæ, quæ satis ex Evangelio nota est; latentem tamen in ijs verbis: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*: sensum, planè, non aperiunt; quin imò aliqui pro comperto habere videntur, à B. Virgine eam legationem (quod à Deo esset) perspectam habitam fuisse: atq; adeo solum discendi gratiâ, ita sciscitatam fuisse. Porro Ludovicus de Ponte, ut Virginis, ita Patrum mentem, magis apertè reseravit: quamvis id ab eo non fuit (ut sic dicam) quasi è Cathedra pronunciatum; sed more Patrum spiritualium, absq; animo propugnãdi prolatum, tanquam aliquid spectans ad mores, & prudentiam Ascetarum: Id quod conijcere licet ex eo, quod is ipse Auctor alio in loco hanc Virginis interrogationem aliter interpretetur, ut supra videre est paragrapho nono; ut manifestum sit animum ejus intentum fuisse ad documenta spiritualia tradenda non verò precisè ad doctrinam formandam. Sed audiamus jam, vti promisimus, SS. Patrum de verbis Dominæ sententiam; & ab eo ordiamur, cujus primum paullo ante memoriam intulimus. Sic igitur Sanctissimus vir Gregorius, appositissimeque in rem hanc nostram locutus est: *Neq; prius*, inquit, *Sanctissima Virgo donum admisit quàm quis illud mitteret, & quodnam donum esset, ac quis ferret, addidicisset, quæ dum secum velut anceps loqueretur ait ad Angelum: Vnde sic nobis benedictionem apportasti? ex cujus thesauris Verbi margaritta nobis emissa est?* Quibus in verbis, illud pro nobis facit, quod Sanctus hic Pater dicat B. Virginem hæsitasse circa personam legati, seu

 Angeli,

Angeli, ait enim: *Neq; prius donum admisit, quàm quis illud mitteret, aut quodnam donum esset, aut quis ferret, addidicisset:* Quod si alicui fortasse videatur sermo Sancti hujus viri, non tam dubitantis, quàm admirantis affectum exprimere: accedat S. Damascenus orat^e^. 1^a^. de dormit^e^. Beatæ Virginis ita dicentis: sapientiæ thesaurus (B. Virgo) quâ incautam Ævæ verbis serpentis nimium credulæ simplicitatem emendavit; dum prudenter respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Adijcit calculum

Ambrosius. suum S. Ambrosius, qui lib. 6. de paradyso alludens, ut videtur ad factum MARIÆ, sic ait: nihil Adæ, & Evæ fortasse nocuisset Verbum, si pertractantibus diligenter quibusdam mentis manibus ante tetigissent.

S. Bernard. Favet S. Bernardus hom. 3. super missus est: *Solent*, inquit, *Virgines semper pavidæ esse, & nunquam esse securæ, suspectas habent insidias:* quid quod apertè sententiam pro nobis fert, dum ibidem ait: *sciebat prudens Virgo, quod sæpe Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis.*

Euthymius in Lucam. A quo nihil discrepat Euthimius dum turbationis causam reddit, & ait: *Turbata est, quia timuit ne forte dolus esset, & cogitabat utrum divina esset salutatio, an à Dæmone?*

Andr. Hierosolim. Nec intermittam referre suffragium Andreæ Hierosolymitani, sermone de Annunciatione: *Ne timeas*, (inquit) *MARIA, non fraudolentus hic nodus est, aut fallendi animo ad te venio.* B. Laurentij authenticum testimonium, non repeto, quoniam supra recensitum est. Porro Martyris Cypriani asseverationem clarissimam, innominatam relinquere, nec debeo, nec possum: Sic igitur is ad illa verba Genesis 3. sic habet: *Inimicitias ponam inter te, &*

te, & mulierem inter semen tuum, & semen illius: non dicit pono: ne ad Evam pertinere videretur, sed ponam: idest suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat: sed ab ipso etiam Gabriele deferente Verbum, rationem de promissorũ exigat novitate.

Cum igitur tanta sit horum Patrum authoritas, ut unumquemq; etiam sine alterius causæ præsidio, frangat necesse sit, quanto magis interpretationem istam nobis persuadebit, cum optimâ præterea ratione suffulta sit: nec habeant expositiones cœteræ aliquod certum firmamentum, in quo subsistant? Quo etiam fit ut Vasquesio minime assentendum existimemus; nam quo jure is, à S. Bernardo, & Euthymio, quos solos allegat, dissentit, eodem nos à se discrepare patietur. Neque enim ratio ejus aliquod contra tantam testium nubem, habere momẽtum potest. Tametsi enim, ut ipse adducit, plures è veteri testamento Patres, Ut Manue Judicum 13. in suspicionem doli, cum se se ijs Angeli visendos præbuerunt non ceciderint; in causa est, quod eorum nulli, tam magnifica, ac insolens salutatio impertita fuerit, nec eorum aliquis, tantâ præditus erat animi demissione, quæ duo cum singulariter superent in MARIA, non est etiam mirum; si præter eorum cõsvetudinem egit. quid quod in novo testamẽto, seu in Ecclesiastica historia hujusmodi suppetunt exempla Sanctorum, ut jam supra memini, & illustrissimum est illud S. Agathæ quæ in corpore debilitata, fortitudinem tamen animi retinebat, & dicebat: *Quis es tu, qui venisti ad me curare vulnera mea?* & responsio S. Petri ostendit quo animo Virgo inclyta

T. 2. in 3. p. d. 126. c. 5.

 interro-

Digitized by Google

interrogasset: dicebat enim Petrus: *Ego sum Apostolus Christi, nihil in me dubites filia: ipse me misit ad te, quem dilexisti mente, & puro corde: nam & ego Apostolus ejus sum, & in nomine ejus, scias te esse curandam.* Quid quod vel id ipsum, quod ait Vasquez de veteribus illis quasi nihil de nuncijs ad se missis diffisi fuerint, vsquequaq; verum non est? nam & vxor Manue & Josue, quæsierunt ex Angelis quinam essent; & Gedeon dixit Angelo; *Si inveni gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis, qui loqueris ad me.* Nolo jam redintegrare prælium, quod supra cum Soario gestum est, & ingerere, quàm parum decere videatur ea interrogatio B. Virginem, si vel ideo quæsivit, ut daretur ansa Angelo manifestandi suum Virgineum partum, aut per quandam oblivionem, minusue cõsideratum sermonem, sciscitata est de ratione, & modo gignendi filium, cum ipsa esset Virgo: cum tantum absit, ut Virginitas impedimento esset illi partui, ut etiam maxime necessaria foret. Nam quis ferat audire tam præcelsam Virginem, adeo prudẽtem, & cautam in verbo, aliquid edere potuisse, quod non eâ salis gratiâ conditum, & maturitatis quodam temperamento aspersum videri posset? Aures quidem meæ servuli tui, non ferunt hoc audire de te, ô Domina, quam adeo excellentem fatetur Ecclesia, Venerantur Archangeli, & implorant omnes fines terræ, & ego de longinqua, & remotissimâ abs te plaga, (quis enim distantior à te, quàm qui non est melior me, & quis ego, si non postremus inter omnes, & dissitissimus à virtute tuâ) hinc clamo ad te ô MARIA, ut sim vicinus gratiæ, & pietati

tuæ, qui

tuæ, qui longe ago à vita & moribus tuis. Et, si verum animi tui sensum, attigi exponendo sermonem tuum, tibi acceptum refero, quia tuus est, si aberravi à mente tuâ, neutiquam tamen obsecro, fallar in fiducia mea, quam de benignitate tua concepi, ò MARIA.

§. XI.

Proponitur dubitatio circa MARIÆ Virginitatem eam, quæ animi, seu Spiritus dicitur.

VT excellentiam Marianæ Virginitatis multis præ cœterarum pudicitia, antestare prærogativis ostenderemus: Inter reliqua illud pridem extulimus, quòd MARIA prima fuerit, quæ Virginitatem non solo, ac simplici mentis suæ decreto, sed etiam voti vinculo dedicarit, quo nimirum esset sacratior, eoq; integrior, quò minus esset corruptioni obnoxia, quod quidem voto, seu sponsione religiosa optimè factum est: per eam namq; sui devotionem, etiam perdendæ Virginitatis erat adempta facultas; quâ de causa ipse MARIÆ filius, eos qui se voto castitatis obstrinxissent, Eunuchos ob regnum Cœlorum effectos, appellavit: & vero si, prout habetur sapientiæ sexto, incorruptio facit esse proximum Deo, illa ad Deitatis fines singulariter accessit, quæ non tantum nō corrumpitur, sed quodammodo ne corrumpi quidem potest. At vero cum Virginis votum ex ejus interrogatione: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco,* satis interluceret, non solum Matthæi 19

lum ea Virginis verba & quæstionem, tanquam luculentum Virginitatis Deo dicatæ testimonium in medium attulimus, sed natam inde difficultatem, uti potuimus,& probabilius duximus, extricare conati sumus. Restat nunc altera, quæ ipsa etiam nisi superetur, videri possit MARIÆ Virginitas non omnibus planè numeris absolutissima; Eaque sic se habet. Si, ut pridem diximus: MARIA primo quoque tempore Virginitatem Deo vovit prius igitur, quàm iniret matrimonium cum Josepho? at nubere illam,quæ voto Virginitatis tenetur, injurium est voto, qui enim vitam conjugalem sibi vicissim spōdent, alter alteri copiam sui corporis facit, sed esto ut coalito primum matrimonio, deinceps mutuo, reciprocoq; inter se se adhibito consensu, abstinere ab usu matrimonij jurejurando decreverint; attamen istud ex eo videtur esse consequens, ut MARIA Virginitatem animi, seu propositi sui non retinuerit, cum eam delibandam viro tradi postulet lex cōnubij. Quod si tamen velimus, & omnino velle debemus, nihil ad sumam perfectionem puritati Marianæ deesse, fuerunt enim Virginis animo tenus,ut quæ à Barbaris oppressæ fuerunt, sunt plurimæ corporis quidem integritate Virgines, sed ea sola,quippe nuptias, & sponsi thalamos in votis habent. At

1. ad Corin: 7. Luca 1.

MARIA in paucis est Sancta Spiritu, & corpore ad quod insinuandum in eodem sermonis contextu apud Lucam, bis Virgo nuncupata est: & arca quæ

Gen. cap. 6. v. 14.

MARIÆ prælusit, non extrinsecus modo, sed etiam intrinsecus bitumine lita erat. Et de hac ipsa singulariter pronunciatum est: *Quod omnis gloria filiæ Regum* ab

gum, ab intus & quod *procedat in vestitu deaurato*, qua de re S. Greg. lib. 6. Registri cap. 15. *Quamvis*, inquit, *prædicetur in vestitu deaurato, qui foris est, non esset tamen aurea nisi intus esset, hoc est in mente fulvum Virginitatis aurum custodiret.* Et hoc si propugnare volumus, eximiq; à vulgo eorum, qui firmissimè quidẽ credunt, sed parati non sunt *ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea, quæ in ijs est spe, & fide:* necessitas incumbit nobis nodum propositæ quæstionis extricandi.

Psalm. 44.
S. Greg.
1. Petri c. 3. v. 15.

§. XII.

MARIAM ante initum cum Josepho matrimonium Virginitatis votum edidisse ostenditur; & nihilominus nullam viro injuriam nubendo irrogasse, aut voto, nec Virginitati, quæ est mentis, maculam vllam inussisse.

VTrum horum dicimus? an Virginem Virginitatis voto adstrictam nupsisse? an contracto demum matrimonio vovisse? vtrumvis dicamus, perplexa res est, nam si nupsisse Virginem affirmamus: labor est in ea, quæ mentis est, Virginitate propugnãda. Attamen hoc interim teneamus; MARIAM scilicet multò etiam ante, quàm nuptui traderetur; imo cum primum uti ratione cœpit, & Virginitatis pretium intelligere, destinasse animo Virgi-

Virginitatem colere, quod enim intelligeret opera, quæ prodeunt à volūtate magis obfirmata eò etiam magis esse Deo accepta, ita Virginitatem adamavit, ut ad eam in Dei obsequium custodiendam voto sese devinciret; quid enim ad Virginis pudicitiam commendandam magis confert seriusne, an citius id statuisse? hoc sanè,& Virgini magis est gloriosum Deoq́; gratius si primitias ætatis obtulit, si nunquā fuit ejus Virginitas non sacra, si aliquando de conscendendo hoc gradu non hæsitavit animo MARIA: si per conjugium ad suscipiendam prolem non aspiravit, si præverti ab aliquâ pedissequarum suarum non potuit. Non enim dubium esse potest; Aliquas Agnetes, Catharinas, Cœcilias,Barbaras in deferendo ad spōsum hoc castitatis lilio,prævolasse ad vota nec distulisse dona sua pœne cum primum sapere potuerunt. Fons signatus est MARIA,& porta orientalis clausa, nec fons signatus absq́; signaculo, neq́; porta vnquam non obducta pessulo, & votum est pessulus, & signaculum votum est: neq́; enim sine causa porta orientalis ter dicitur clausa ab Ezechiele, propterea quod non solum in partu, & post eum sed etiam ante clausa, seu voto obsignata MARIÆ Virginitas fuerit. Et vero removeamus eam ab animo opinionem, quod in lege veteri prohibita Virginitas fuerit, & nullus erit qui pro honore Virginis in hanc sententiam manibus pedibusq́; non concedat: sicut reipsa pridem sensēre Scotus, Henricus cum Magistro. Gab. Bonavent. & Ricardus, Thomas de Argentina, Durandus, Paludanus: & ex Patribus. Hugo Nyssenus, Augustinus, Rupertus, Abdias.

Ezech. 44.

Digitized by Google

dias: Nec dissentiret S. Thomas, qui tamen censet B. Virginem saltem Virginitatis cupidam fuisse, sed nõ absq; ea lege quoad scilicet licita sibi foret: quod existimaret eo tempore præceptum de ineundo matrimonio exstitisse. Atque non ita esse, ut videlicet olim dare operam liberis præceptum fuerit; Imo Virginitatem in pretio, ac veneratione apud omnes fuisse, ostendit Doctissimus Vir Gabriel Vasquez: cui tamen assentiri in eo non possum, quod probabile arbitretur, Sacerdotes voti conscios fuisse, quo se Virgo servandæ Virginitatis Deo obstrinxerat, electumq; iccirco ab ijs fuisse Josephum, qui custos non violator MARIANÆ Virginitatis esset: cur autem ab eo dissentiam, in causa est: quod ad suavem Dei providentiam pertinuisse videatur, ut hujus devotæ Virginitatis essent ignari Sacerdotes, ne cum altero ab inito matrimonio anno Virgo cum prole rediret ad templum, sacrilega haberetur ab eis, qui Virginis votum noverant, & mysterium ignorabant. Verum videamus jam quo pacto, cum Virginitatis voto, solove ejus retinendæ proposito constet matrimonium. Qui enim dicere possumus, animitus semper Virginem fuisse, & non solum corpore eam, quæ conjunx esse non detrectavit? certe S. Thomas ne MARIAM violati voti ream faceret, primum post initum ab eâ matrimonium Virginitatis votum nuncupatum affirmat. Nam quomodo videri ea non deberet fœdifraga, quæ prætermissa voti religione nuberet viro? quodq; sejungi ab hoc non potest, corporis sui copiam eidem faceret? Istud igitur est, cui satisfacere nos oportet, &

Apud Vasquez d. 124 cap. 4.

Disp. 124. 25.

S. Thom. 3. p. q. 28. a. 4.

ostendendum incumbit Virginem nostram ut corpore, ita spiritu intemeratam fuisse, eamq; nullatenus voto suo per contractum cum Josepho matrimonium, aliquid decerpsisse, aut ab animo tuendæ, retinendæq; Virginitatis quicquam desciuisse. Verum tu quidem dicis: consensu præbito in matrimonium sicut datur, acquiriturq; jus, seu dominum mutuum corporum: ita facultas expedita ad se se vicissim cognoscendos: & consectarium hoc jus, seu potestatem ad fungendum munere Matrimonij ob gignendos liberos, eam habere cum adepta corporis possessione necessitudinem, ut divelli ab eo contractu non possit: & siquis deduceret in pactum de non percipiendâ Matrimonij vsurâ, etsi maxime vellet, conjunx tamē non esset: & hæc est certa in scholis doctrina, & pleriq; omnes eam sequūtur. Quî enim fieri potest ut sim Dominus rei cujuspiam, & utendo re illa præter jus, fasq; aliquid agem? Nolo ad hujus ratiocinij vim, roburq; declinandum eo refugere, ac dicere. Deiparam inter, atq; Josephum nō fuisse Matrimonium; hoc enim non solum alienum est à totâ scholâ, ut asserit Vasquez, ut proinde absq; temeritatis nota sustineri non possit: sed nullus Patrum, si bene inspiciantur, id asserit: è cōtra vero sacræ litteræ Josephum virum MARIÆ appellant. Quid ergo opponimus? aut quâ viâ oppositioni occurrimus? quo pacto illam antonomasticos Virginē à quovis etiam levissimo in opus conjugii consensu vendicamus? Nam si MARIAM in id consensisse assentimur, candori Virgineo impuritatis aliquid effato ipso, quasi noxio afflatu inhalamus. Quod si vero e-

D. 125. c. 3. n. 26.

Digitized by Google

ro etiam quasi pro integerrima Dei Matris Virginitate tuenda, id recusamus asserere: urget tamen quod opponitur, & nisi refellatur reverentia nostra erga MARIAM, videbitur superstitio. Verum enim vero: Dei genitricem sic Matrimonium cum Josepho inijsse dicimus, ut nihilominus ab omni, quo lædi ejus summa integritas posset, abhorruisse affirmemus; atq; imo etiam plus aliquidde sensu animi ejus in hoc genere contendo: eam videlicet, ne animo quidem agitasse multoq; minus statuisse, (secus ac quibusdam visum est) de non detrectando, si forte pro jure suo Joseph agere vellet. Verum quo nixi fundamento ita decernimus? qua ratione nubendi voluntatem ab omni assensu in complexum maritalem sejungimus? Videtur enim ab ejus animo, quæ conjunx esse velit, prorsus alienum, virginitatis servandæ propositum habere sibi decretum, & fixum. Sustine me, quæso Lector, & vide, an hæc quæ adeo discrepantia inter se esse videntur si quo pacto valeam conciliare. Atq; inprimis inivisse MARIAM cum Josepho connubium non imus inficias, & vnâ dissensiisse illam ab opere maritali nihilominus asseveramus. Neq; enim sunt hæc repugnantia, nec cum Matrimonio firmus explicatusq; animus utendi illo ita cohæret, ut sejungi no possit: atq; adeo fas esse duco: absq; voluntate dandi operam liberis saltem expressa, fieri aliquos posse conjuges. Quid enim? nonne qui promittendo se se alteri obstringit, sicut deesse officio suo potest, ita etiam nolle muneri suo satisfacere seu sponsionem factis exæquare? quod si hic iniquus est animus, eo tamen facto, &

Apud Vasq. d. 125. c. 7. n. 76.

Digitized by Google

cto, & juris violatione demonstratur posse trãscribi aliquid in alterum, absq; animo ejus vsuræ concedendæ, etsi illa ex jure competat: diversa quippe sunt hæc, ex pacto seu lege in alterius transire potestatem: & (quod quidem cognatum est, sed non omnino necessario connexum) statuere animo ad obsequium ejus, cui se addixit se quovis tempore futurum: nonne si pretio aliquid comparâro, emptæ rei Dominus effectus sum? at quis me, eo ipso addiget, ut frui velim re mea? At tu quidem dicis. De re tua planè fac ut lubet: at traditi alteri, idest conjugi corporis sui nullam velle facere copiam, hoc sanè injurium est, & iniquus censeri debet, qui non accommodat assensum ad vsum ejus rei, quam à se se libere in alterum transcripsit. Quare cum MARIAM nupsisse Josepho in cõfesso sit; alterutrum est: Aut justitiæ legibus derogasse, si in opus connubij assensa non est; Aut si justitiam coluit, & in opus maritale consensit, Spiritu Virginem non fuisse. Verum enim vero ut dilemmati huic satisfaciam, ita partem alteram ejus admitto, ut tamen à sententia, quam de B^mæ. Virginis absolutissima Virginitate tueor, nihil recedam. Do igitur concedoq; in eâ Matrimonij cum Josepho transactione, imbibitum cum animi Mariani sensum & assensum fuisse, sive ut loquuntur Scholæ, implicitè voluisse, quod matrimonij leges postulant: attamen nego ad id necessarium fuisse ut apertum, explicatumq; attulerit ad eam rem animi sui decretum, quod ipsum magis manifestum fiet, si rationem reddamus cur B. Virgo in voluntate nubendi, nullam de Matrimonij usu ver-

ſu verſarit animo cogitationẽ, quæ etiam in promptu eſt. Cum enim MARIA cœlitus edocta eſſet, fore ut ex ſe nũquam quæreret Joſephus liberos, quin (vt pluribus apud Vaſquez viſum eſt) animum hunc ſuum de abſtinendo ſibi viciſſim aperuerint MARIA & Joſeph: ſic illi fieri conjuges potuere, ut pariter ſibi fidem darent, quod uti nollent matrimonio: Neque vero hoc pacti genus, (vt doctiſſimis etiam placet) vitiat matrimonium, cum non adverſetur ejus fini, aut proli ſuſcipiendæ officiat: alioquin etiam fas non eſſet conjugibus ſtante jam matrimonio vſum illius conſentientibus animis ſibi interdicere, quod geſtis Sanctorum conjugum repugnat, ut ex paragrapho ſecundo capitis hujus liquet: quin legere eſt: Pulcheriam Virginem ſalvo caſtitatis voto, Marcianum ad Conjugij,& Imperij titulum evexiſſe. Quâ in re ſciendum eſt: non aſſerere nos id, quaſi conſtare ſibi matrimonium poſſit: ſi ita vitam ſocialem,abſtinentiamq; ab vſu conjugij ſpondeant ſibi vir, & fœmina ut qui fidem non ſervet, fornicarius habeatur: cum enim fornicarius haberi non poſſit, qui accedit ad ſuam, ſi vere conjuges ſint vſu ipſo matrimonij fornicari dici non debent: alio igitur flagitij genere, hoc eſt infidelitatis, aut ſacrilegij coinquinarentur: quemadmodum Societatis JESV ſcholares, qui non obſtante paupertatis voto poſſeſſione rerum ſuarum nondum ſe abdicarunt, cum tamen polliciti ſint circa earum adminiſtrationem, inſcio aut inconſulto præſide, ſe nihil acturos, ſi nihilominus facultates ſuas abſq; aſſenſu ejus, qui authoritatem facto addere poteſt, diſpertiant: arbitro

d. 125. c. 6. n. 5. 6.

Baronis ad annũ Chriſti 450.

bitro Francisco Soario dispositio illa non erit quasi nulla cẽsenda; facta enim est de repropria: tametsi, siqui Scholares ejusmodi essent, aut ita agerent, simili culpa non vacarent, cui affines essent conjuges, qui post datam de castimonia colenda in matrimonio fidem eandem fidem non servarent. Quod igitur MARIA potuit, etiam fecisse credenda est, ut videlicet ita nubere vellet, quatenus Mariti animum exploratum haberet, quod jure suo acturus non esset; eaque indagine, & arrha accepta Virginitatem suam in tuto collocaret. Vnde nec ea deliberatio aliquando MARIÆ animum tenuit, an recusatura nõ esset viro debitum reddere, si is quod suum erat postulasset: cum enim ad id minimè se obstringendam non nesciret: mens ejus hujusmodi cogitatione, ut pote otiosa, & inani prorsus vacabat.

t. 4. de Rel. l. 4. c. 6.

Cœterum jam nostra de Marianæ puritatis excellentia disputatio hîc sistat. Neq; enim adversus Hæreticos, quales fuere: Carpocrates, cœterique Judaizantes, & deinceps Jovianus, & Helnidius, perpetuam B. MARIÆ Virginitatem propugnandam suscepimus: Vt non attineat ostendere, vel contra Carpocratem, Virginem concupisse, aut contra Jovinianum in ipso partu Virginitatis jacturam non fecisse: Vel adversus Heluidium à partu Virgineo alijs atq; alijs, ijs scilicet, qui Christi fratres in Evangelio dicuntur gignẽdis operam non dedisse: Cum enim hæc rudissima moles, quæ in domum Virgineam à belluis illis invehebatur; valentissima inprimis S. Hieronymi aliorumq; Patrum manu, tum deinde ob nuper suscitatas hæreses, coadjutorio P.

Petri

Digitized by Google

Petri Canisij, Michaelis Carranza, ac postremo Soarij, ac Vasquesij abacta sit: nobis tanquam imbecillis hoc solum reliquum fuit: ut etiam minutissimos pulvisculos (nequibus MARIÆ Virginitas quoquomodo offuscaretur) abstineremus ab eo candore, quo nitere debuit Dei Mater electa. Tametsi vero etiam quis erit, qui cum fragrantiam Virgineæ Matris odoratus fuerit, ferat graveolentiam oris spurcissimi, quodq; aliquid etiam magis tetrum, horrendumq; è faucibus inhalet, quam mephitis ipsa sit; At neq; satis honestum mihi foret; post Athletas tantos, meum in monstra illa stylum exercere, velutique cadaveribus insultare.

§. XIII.

Concluditur caput per deliciosas affectiones erga MARIÆ Virginitatem.

ERgo præteritis infamibus illis MARIÆ obtrectatoribus, dicamus magis cum Epiphanio: quod quemadmodum Abrahamus nomen Amici Dei sortitus est; sic Virginis nuncupationem titulum esse MARIÆ, & non mutandum, propterea quod impolluta permansit, omniq; ex parte, hoc est tam animi, quàm corporis integerrima: quãdo vel in matrimonio non solum integritas corporis; sed vero etiam, (quod longe est admirabilius) interna Spiritus sui Virginitas optime sibi constitit, ita ut nequidem cogitatu aliquo, minimave voluntatis *Hæres. 78.*

inclina-

Exod. 3. inclinatione, vel levissime offuscata fuerit. O vere Rubus ardens incombustus MARIA puella nupta, & integerrima, quàm benè per arcam delineata fuit? *Exod. 37. v. 2.* sicut enim illa foris, & intus auro vestita fuerat, ita candore animi, & corporis enitet MARIA, Quod sidus, & vel ipse Sol huic puritati valeat comparari? ô vere Aurora consurgens, id est solis radius, qui nullâ fœce coinquinatur: pulchra ut Luna, electa, ut Sol, quibus de terreno contagio nihil vnquam potuit adhærere. Quàm bene Virgo Virginum, veraciterq; cognominatur MARIA? Imo quàm apposite de hâc eâdem dictum est à sponso. Sicut lilium *Cantic. 2.* inter spinas sic amica mea inter filias, filiæ quidem sunt & Virgines, attamen non absq; aculeo, & aliquâ veluti scabritie, sicut absq; omniprorsus nævo est illa, quæ tota amabilis, & charissima est: Credo *Plutarchus in Alexandro initio.* equidem, quod de Alexandro Magno narratur, multo magis dici de hâc Virgine posse: odorem videlicet ex eâ gratissimum spirasse ob tam eximiam animi sui, corporisq; pudicitiam, quæ ipso quoque habitu faciei, & oris compositione Virginitatem reddebat amabiliorem, cujus insigne præseferebat valde luculentum miram, quandam morum suavitatem, ac gratiam. Si enim Juditha ob castimoniam, ut sacræ litteræ dicunt, adeo grata omnibus, & veneratione fuit: sic enim sacer codex ait: *Iudith* *Iudith 16. v. 26.* *magna facta est in Bethulia, & præclarior erat universæ terræ, erat enim virtuti castitas conjuncta.* Si Judithæ inquam, castitas reliquam virtutem, & fortissimum illud facinus mirâ perpoliebat venustate, & gratia: Nonne MARIÆ Virginitas, in aliarum virtutum

choro,

choro, instar piropi emicabit, easq; veluti luce quadam, ipsaq; amœnitate perfundet? Neq; enim qualis Judithæ, aut ipsarum etiam Virginum, ejusmodi fuit MARIÆ castitas, sed plane singularis, quæq; splẽdore suo omnem carnalis cogitationis vmbram dispelleret, amoremq; pudicitiæ ex animo ipsius, si animo constet, impudicitiæ evocaret. Nec sanè mirum, aliquid in hoc genere singulare fuisse in MARIA; quando de illâ sangvinem sumpsit is, cujus vinum germinat Virgines: si namq; epotum vinum Christi (præter naturam vinorum, in quibus teste D. Paulo, est luxuria) efficit Virgines, ipsa etiam MARIÆ Virginitas, (etsi incomparabili venustate, atq; decore associata) ejus sortis, ac conditionis est, ut Virginitatem in alios propâget. Quam in rem optimè cadit, quod Auctor historiæ Ecclesiasticæ refert: hoc est non rubum modo illum Mosaicum, (quem MARIÆ typum alias fuisse diximus) non illum, inquam, solum retentâ viriditate arsisse sed etiam vicinas arbores, ac herbas plusquam natura ferebat, virides, vegetasq; fuisse. Jure igitur meritissimo dicebat Bª. Agnes in hæc verba: Amo Christum, in cujus thalamum introibo, cujus Mater Virgo est, cujus Pater fœminam nescit, quem cum amavero casta sum, cum tetigero munda sum, cum accepero Virgo sum. Accedamus igitur quicunq; Virginitatem adamamus in MARIA; Accedamus ad Mensam Domini, & de carnibus illis, (quas verisimile est aliquid de substantia Virginis, vnde sumptæ sunt, retinuisse) exsaturemur, earum attactu, hoc est tam filij Virginis, quàm Virgineæ Matris pudicitiam

Zachar. 9.

Ad Eph. 5.

S. Th. in 3. d. 3. q. 1. a. 2. Alensis 3. p. q. 9. memb. 3. a. 1. Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 7.

dicitiam animo, & corpore reportabimus. Sanè de S^to^. Fundatore Ignatio refertur, quòd eâ cogitatione fuerit aliquando valde delinitus, dum versaret animo; vnam esse Christi, & Virginis carnem, propterea quod filius portio quædam sit Matris, eaque cogitatione, & sensu vehementer afficiebatur ad Eucharistiam; Accipiamus ergo licet de sinu Virginis Virginem JESVM, & gustemus quàm suavis est Deus, & si gustandi nobis facultas non conceditur, olfaciamus de manibus Virginis florem: Nam Virga Jesse floruit, & quàm bene olet flos, olet Virga de flore, & spargit odorem flore, nec solum flos olet in virga, olet & Virga de Virginitate suâ: & hoc profitetur ipsa de se. *Sicut cinnamomum*, inquit, *& balsamum aromatizans odorem dedi, quasi mirrha electa dedi suavitatem odorũ.* Placet flos, & suaviter inhalat, sed de Manu Virginis duplicatò olet. O fœlix Kostka, & fortunate puer, cui Virgo dedit in sinum flosculum JESVM. Ter vos beati primitiæ gentium, fideles Magi, quibus admovit hunc Virgo florem disuaviandum, quis dabit mihi intentam vobis fallere Virginem, ut calcem JESV pedunculi, attingam labio, & de manu Virgineæ Matris hauriam furtim fragrantiam? Ipsa dixisti Virgo sacrata, lectulus noster floridus est; & quis alius, quàm sinus tuus qui de JESV flore effloruit? Huic & illi, hoc est filio, & Matri sit semper gloria, honor, & amor, Amen.

Vide Spinelli cap. 8. a. n. 17.

P. Ribadineira lib. 5. Vita B. Borgiæ cap. 6.

CAPVT

CAPVT III.

De Maternitate Virginis.

§. 1. *Quod titulus Matris Dei sit summa & compendium omnis excellentiæ, & dignitatis MARIÆ.*

§. 2. *Quâ ratione MARIA sit, vereq; dicatur Mater Dei contra Photinum, Ebionem, atq; Iovinianum.*

§. 3. *De triumphata hæresi Nestorij negantis MARIAM Dei Matrem appellandam.*

§. 4. *Quòd MARIA constanter ab Ecclesia, & scriptura sacra appelletur Mater Dei.*

§. 5. *De MARIÆ Virginis dignitate ad maternitatem Dei consequendam.*

§. 6. *Quod B. Virgo virtutibus suis se dignam reddiderit, ut Dei Mater esset.*

§. 7. *Dignitas Mariæ ad divinam prolem suscipiendam non fuit tota ex ejus meritis, & quamvis maximè decens, impar tamen dignitati Matris Dei, quod ipsum MARIÆ est perhonorificum.*

§. 8. *Ex dictis §. 5. 6. & 7. colligitur triplex similitudo MARIÆ Matris Dei cum IESV Dei filio.*

§. 9. *Quod Deus MARIAM ut Matrem honorarit.*

Prooemium.

TEnuit nos solius Virginitatis Marianæ consideratio, & quantum illa animum oblectavit, quis enim eburneo splendore illo mirificè non capiatur?) tantum obstupefaciet dignitas Matris, & alta admiratione defixos habebit. Aptis-

 sima

ostendendum incumbit Virginem nostram ut corpore, ita spiritu intemeratam fuisse, eamq; nullatenus voto suo per contractum cum Josepho matrimonium, aliquid decerpsisse, aut ab animo tuendæ, retinendæq; Virginitatis quicquam descivisse. Verum tu quidem dicis: consensu præbito in matrimonium sicut datur, acquiriturq; jus, seu dominum mutuum corporum: ita facultas expedita ad se se vicissim cognoscendos: & consectarium hoc jus, seu potestatem ad fungendum munere Matrimonij ob gignendos liberos, eam habere cum adepta corporis possessione necessitudinem, ut divelli ab eo contractu non possit: & siquis deduceret in pactum de non percipiendâ Matrimonij vsurâ, etsi maxime vellet, conjunx tamē non esset: & hæc est certa in scholis doctrina, & pleriq; omnes eam sequūtur. Quî enim fieri potest ut sim Dominus rei cujuspiam, & utendo re illa præter jus, fasq; aliquid agem? Nolo ad hujus ratiocinij vim, roburq; declinandum eo refugere, ac dicere. Deiparam inter, atq; Josephum nō fuisse Matrimonium; hoc enim non solum alienum

D. 125. c. 3. n. 26.

est à totâ scholâ, ut asserit Vasquez, ut proinde absq; temeritatis nota sustineri non possit: sed nullus Patrum, si bene inspiciantur, id asserit: è cōtra vero sacræ litteræ Josephum virum MARIÆ appellant. Quid ergo opponimus? aut quâ viâ oppositioni occurrimus? quo pacto illam antonomasticos Virginē à quovis etiam levissimo in opus conjugij consensu vendicamus? Nam si MARIAM in id consensisse assentimur, candori Virgineo impuritatis aliquid effato ipso, quasi noxio afflatu inhalamus. Quod si vero e-

ro etiam quasi pro integerrima Dei Matris Virginitate tuenda, id recusamus asserere: urget tamen quod opponitur, & nisi refellatur reverentia nostra erga MARIAM, videbitur superstitio. Verum enim vero: Dei genitricem sic Matrimonium cum Josepho iniisse dicimus, ut nihilominus ab omni, quo lædi ejus summa integritas posset, abhorruisse affirmemus; atq; imo etiam plus aliquidde sensu animi ejus in hoc genere contendo: eam videlicet, ne animo quidem agitasse multoq; minus statuisse, (secus ac quibusdam visum est) de non detrectando, si forte pro jure suo Joseph agere vellet. Verum quo nixi fundamento ita decernimus? qua ratione nubendi voluntatem ab omni assensu in complexum maritalem sejungimus? Videtur enim ab ejus animo, quæ conjunx esse velit, prorsus alienum, virginitatis servandæ propositum habere sibi decretum, & fixum. Sustine me, quæso Lector, & vide, an hæc quæ adeo discrepantia inter se esse videntur si quo pacto valeam conciliare. Atq; inprimis inivisse MARIAM cum Josepho connubium non imus inficias, & vnâ dissensiisse illam ab opere maritali nihilominus asseveramus. Neq; enim sunt hæc repugnantia, nec cum Matrimonio firmus explicatusq; animus utendi illo ita cohæret, ut sejungi no possit: atq; adeo fas esse duco: absq; voluntate dandi operam liberis saltem expressa, fieri aliquos posse conjuges. Quid enim? nonne qui promittendo se se alteri obstringit, sicut deesse officio suo potest, ita etiam nolle muneri suo satisfacere seu sponsionem factis exæquare? quod si hic iniquus est animus, eo tamen fa-

Apud Vasq. d. 125. c. 7. n. 76.

ctio, & juris violatione demonstratur posse trãscribi aliquid in alterum, absq; animo ejus vsuræ concedendæ, etsi illa ex jure competat: diversa quippe sunt hæc, ex pacto seu lege in alterius transire potestatem: & (quod quidem cognatum est, sed non omnino necessario connexum) statuere animo ad obsequium ejus, cui se addixit se quovis tempore futurum: nonne si pretio aliquid comparâro, emptæ rei Dominus effectus sum? at quis me, eo ipso addiget, ut frui velim re mea? At tu quidem dicis. De re tua planè fac ut lubet: at traditi alteri, idest conjugi corporis sui nullam velle facere copiam, hoc sanè injurium est, & iniquus censeri debet, qui non accommodat assensum ad vsum ejus rei, quam à se se libere in alterum transcripsit. Quare cum MARIAM nupsisse Josepho in cõfesso sit; alterutrum est; Aut justitiæ legibus derogasse, si in opus connubij assensa non est; Aut si justitiam coluit, & in opus maritale consensit, Spiritu Virginem non fuisse. Verum enim vero ut dilemmati huic satisfaciam, ita partem alteram ejus admitto, ut tamen à sententia, quam de B^mæ. Virginis absolutissima Virginitate tueor, nihil recedam. Do igitur concedoq; in eâ Matrimonij cum Josepho transactione, imbibitum eum animi Mariani sensum & assensum fuisse, sive ut loquuntur Scholæ, implicitè voluisse, quod matrimonij leges postulant: attamen nego ad id necessarium fuisse ut apertum, explicatumq; attulerit ad eam rem animi sui decretum, quod ipsum magis manifestum fiet, si rationem reddamus cur B. Virgo in voluntate nubendi, nullam de Matrimonij usu ver-

ſu verſarit animo cogitationē, quæ etiam in promptu eſt. Cum enim MARIA cœlitus edocta eſſet, fore ut ex ſe nūquam quæreret Joſephus liberos, quin (vt pluribus apud Vaſquez viſum eſt) animum hunc ſuum de abſtinendo ſibi viciſſim aperuerint MARIA & Joſeph: ſic illi fieri conjuges potuere, ut pariter ſibi fidem darent, quod uti nollent matrimonio: Neque vero hoc pacti genus, (vt doctiſſimis etiam placet) vitiat matrimonium, cum non adverſetur ejus fini, aut proli ſuſcipiendæ officiat: alioquin etiam fas non eſſet conjugibus ſtante jam matrimonio vſum illius conſentientibus animis ſibi interdicere, quod geſtis Sanctorum conjugum repugnat, ut ex paragrapho ſecundo capitis hujus liquet: quin legere eſt: Pulcheriam Virginem ſalvo caſtitatis voto, Marcianum ad Conjugij,& Imperij titulum evexiſſe. Quâ in re ſciendum eſt: non aſſerere nos id, quaſi conſtare ſibi matrimonium poſſit: ſi ita vitam ſocialem,abſtinentiamq; ab vſu conjugij ſpondeant ſibi vir, & fœmina ut qui fidem non ſervet, fornicarius habeatur: cum enim fornicarius haberi non poſſit, qui accedit ad ſuam, ſi vere conjuges ſint vſu ipſo matrimonij fornicari dici non debent: alio igitur flagitij genere, hoc eſt infidelitatis, aut ſacrilegij coinquinarentur: quemadmodum Societatis JESV ſcholares, qui non obſtante paupertatis voto poſſeſſione rerum ſuarum nondum ſe abdicarunt, cum tamen polliciti ſint circa earum adminiſtrationem, inſcio aut inconſulto præſide, ſe nihil acturos, ſi nihilominus facultates ſuas abſq; aſſenſu ejus, qui authoritatem facto addere poteſt, diſpertiant: ar-

d. 125. c. 6. n. 5. 6.

Baronis ad annū Chriſti 450.

t. 4. de Rel. l. 4. c. 6.

bitro Francisco Soario dispositio illa non erit quasi nulla cēsenda; facta enim est de repropria: tametsi, siqui Scholares ejusmodi essent, aut ita agerent, simili culpa non vacarent, cui affines essent conjuges, qui post datam de castimonia colenda in matrimonio fidem eandem fidem non servarent. Quod igitur MARIA potuit, etiam fecisse credenda est, ut videlicet ita nubere vellet, quatenus Mariti animum exploratum haberet, quod jure suo acturus non esset; eaque indagine, & arrha accepta Virginitatem suam in tuto collocaret. Vnde nec ea deliberatio aliquando MARIÆ animum tenuit, an recusatura nō esset viro debitum reddere, si is quod suum erat postulasset: cum enim ad id minimè se obstringendam non nesciret: mens ejus hujusmodi cogitatione, ut pote otiosa, & inani prorsus vacabat.

Cœterum jam nostra de Marianæ puritatis excellentia disputatio hîc sistat. Neq; enim adversus Hæreticos, quales fuere: Carpocrates, cœterique Judaizantes, & deinceps Jovianus, & Helnidius, perpetuam B. MARIÆ Virginitatem propugnandam suscepimus: Vt non attineat ostendere, vel contra Carpocratem, Virginem concupisse, aut contra Jovinianum in ipso partu Virginitatis jacturam non fecisse: Vel adversus Heluidium à partu Virgineo alijs atq; alijs, ijs scilicet, qui Christi fratres in Evangelio dicuntur gignēdis operam non dedisse: Cum enim hæc rudissima moles, quæ in domum Virgineam à belluis illis invehebatur; valentissima inprimis S. Hieronymi aliorumq; Patrum manu, tum deinde ob nuper suscitatas hæreses, coadjutorio P.

Petri

Digitized by Google

Petri Canisij, Michaelis Carranza, ac postremo Soarij, ac Vasquesij abacta sit: nobis tanquam imbecillis hoc solum reliquum fuit: ut etiam minutissimos pulvisculos (nequibus MARIÆ Virginitas quoquomodo offuscaretur) abstineremus ab eo candore, quo nitere debuit Dei Mater electa. Tametsi vero etiam quis erit, qui cum fragrantiam Virgineæ Matris odoratus fuerit, ferat graveolentiam oris spurcissimi, quodq; aliquid etiam magis tetrum, horrendumq; è faucibus inhalet, quam mephitis ipsa sit; At neq; satis honestum mihi foret; post Athletas tantos, meum in monstra illa stylum exercere, velutique cadaveribus insultare.

§. XIII.

Concluditur caput per deliciosas affectiones erga MARIÆ Virginitatem.

ERgo præteritis infamibus illis MARIÆ obtrectatoribus, dicamus magis cum Epiphanio: quod quemadmodum Abrahamus nomen Amici Dei sortitus est; sic Virginis nuncupationem titulum esse MARIÆ, & non mutandum, propterea quod impolluta permansit, omniq; ex parte, hoc est tam animi, quàm corporis integerrima: quādo vel in matrimonio non solum integritas corporis; sed vero etiam, (quod longe est admirabilius) interna Spiritus sui Virginitas optime sibi constitit, ita ut nequidem cogitatu aliquo, minimave voluntatis Hæres. 78.

inclina-

Exod. 3. inclinatione, vel leviſſime offuſcata fuerit. O vere Rubus ardens incombuſtus MARIA puella nupta, & integerrima, quàm benè per arcam delineata fuit?
Exod. 37. ṽ. 2. ſicut enim illa foris, & intus auro veſtita fuerat, ita candore animi, & corporis enitet MARIA. Quod ſidus, & vel ipſe Sol huic puritati valeat comparari? ô vere Aurora conſurgens, id eſt ſolis radius, qui nullâ fœce coinquinatur: pulchra ut Luna, electa, ut Sol, quibus de terreno contagio nihil vnquam potuit adhærere. Quàm bene Virgo Virginum, veraciterq; cognominatur MARIA? Imo quàm apposite de hâc eâdem dictum eſt à ſponſo. Sicut lilium
Cantic. 2. inter ſpinas ſic amica mea inter filias, filiæ quidem ſunt & Virgines, attamen non abſq; aculeo, & aliquâ veluti ſcabritie, ſicut abſq; omniprorſus nævo eſt illa, quæ tota amabilis, & chariſſima eſt: Credo
Plutarchus in Alexandro initio. equidem, quod de Alexandro Magno narratur, multo magis dici de hâc Virgine poſſe: odorem videlicet ex eâ gratiſſimum ſpiraſſe ob tam eximiam animi ſui, corporiſq; pudicitiam, quæ ipſo quoque habitu faciei, & oris compoſitione Virginitatem reddebat amabiliorem, cujus inſigne præſeferebat valde luculentum miram, quandam morum ſuavitatem, ac gratiam. Si enim Juditha ob caſtimoniam, ut ſacræ litteræ dicunt, adeo grata omnibus, & veneratione fuit: ſic enim ſacer codex ait: *Iudith*
Iudith 16. ṽ. 26. *magna facta eſt in Bethulia, & præclarior erat vniverſæ terræ, erat enim virtuti caſtitas conjuncta.* Si Judithæ inquam, caſtitas reliquam virtutem, & fortiſſimum illud facinus mirâ perpoliebat venuſtate, & gratia: Nonne MARIÆ Virginitas, in aliarum virtutum

choro,

choro, instar piropi emicabit, easq; veluti luce quadam, ipsaq; amœnitate perfundet? Neq; enim qualis Judithæ, aut ipsarum etiam Virginum, ejusmodi fuit MARIÆ castitas, sed plane singularis, quæq; splēdore suo omnem carnalis cogitationis vmbram dispelleret, amoremq; pudicitiæ ex animo ipsius, si animo constet, impudicitiæ evocaret. Nec sanè mirum, aliquid in hoc genere singulare fuisse in MARIA; quando de illâ sangvinem sumpsit is, cujus vinum germinat Virgines: si namq; epotum vinum Christi (præter naturam vinorum, in quibus teste D. Paulo, est luxuria) efficit Virgines, ipsa etiam MARIÆ Virginitas, (etsi incomparabili venustate, atq; decore associata) ejus sortis, ac conditionis est, ut Virginitatem in alios propâget. Quam in rem optimè cadit, quod Auctor historiæ Ecclesiasticæ refert: hoc est non rubum modo illum Mosaicum, (quem MARIÆ typum alias fuisse diximus) non illum, inquam, solum retentâ viriditate arsisse sed etiam vicinas arbores, ac herbas plusquam natura ferebat, virides, vegetasq; fuisse. Jure igitur meritissimo dicebat B. Agnes in hæc verba: Amo Christum, in cujus thalamum introibo, cujus Mater Virgo est, cujus Pater fœminam nescit, quem cum amavero casta sum, cum tetigero munda sum, cum accepero Virgo sum. Accedamus igitur quicunq; Virginitatem adamamus in MARIA; Accedamus ad Mensam Domini, & de carnibus illis, (quas verisimile est aliquid de substantia Virginis, vnde sumptæ sunt, retinuisse) exsaturemur, earum attactu, hoc est tam filij Virginis, quàm Virgineæ Matris pu-

Zachar. 9.

Ad Eph. 5.

S. Th. in 3. d. 3. q. 1. a. 2. Alensis 3. p. q. 9. memb. 3. a. 1. Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 7.

CAPVT III.

De Maternitate Virginis.

§. 1. *Quod titulus Matris Dei sit summa & compendiũ omnis excellentiæ, & dignitatis* MARIÆ.

§. 2. *Quâ ratione* MARIA *sit, verèq; dicatur Mater Dei contra Photinum, Ebionem, atq; Iovinianum.*

§. 3. *De triumphata hæresi Nestorij negantis* MARIAM *Dei Matrem appellandam.*

§. 4. *Quòd* MARIA *constanter ab Ecclesia, & scriptura sacra appelletur Mater Dei.*

§. 5. *De* MARIÆ *Virginis dignitate ad maternitatem Dei consequendam.*

§. 6. *Quod B. Virgo virtutibus suis se dignam reddiderit, ut Dei Mater esset.*

§. 7. *Dignitas Mariæ ad divinam prolem suscipiendam non fuit tota ex ejus meritis, & quamvis maximè decens, impar tamen dignitati Matris Dei, quod ipsum* MARIÆ *est per honorificum.*

§. 8. *Ex dictis §. 5. 6. & 7. colligitur triplex similitudo* MARIÆ *Matris Dei cum* IESV *Dei filio.*

§. 9. *Quod Deus* MARIAM *ut Matrem honorarit.*

Prooemium.

TEnuit nos solius Virginitatis Marianæ consideratio, & quantum illa animum oblectavit, quis enim eburneo splendore illo mirifice non capiatur?) tantum obstupefaciet dignitas Matris, & alta admiratione defixos habebit. Aptis-

ſima ambo ad imitandas Dei Matris virtutes incitamenta, propterea quod alterum illud quidem amorem, alterum erga Dei Genitricem conciliat reverentiam: Neq; enim fieri poteſt, ut qui verè diligitur, & vna in pretio eſt, ad imitationem ſui non accendat.

§. I.

Quod titulus Matris Dei ſit ſumma & & compendium omnis excellentiæ, & dignitatis MARIÆ.

QVid in hoc argumēto de Matris Dei dignitate, vllius opus eſt facūdia? aut quid præſtare cujuſquam oratio poteſt? cum diverbio totum dicatur, quidquid multa verborum paraphraſi exprimi poteſt? Si enim quid Mater ſit novimus, Deiq; ipſius notionem aliquam habemus; obmuteſcamus de hoc oportet in poſterum. Nam cùm MARIAM Dei Matrem diximus, peroratum eſt, & addi huic orationi nihil amplius poteſt. Vti enim natura Dei quæ ſit, ſeu quàm magnus excelſuſq; ſit Deus, diſſyllabo hoc; *QVI EST.* optimè exprimitur: quippe rogatus ipſemet Deus à Moyſe, quod nam ejus nomen, aliud de ſe nihil reſpondit; quàm idipſum: *QVI EST. Sic*, inquit, *dices filijs Iſrael, qui eſt miſit me ad vos.* Et verum eſt hanc Dei appellationem ſatis eſſe ad cognoſcēdum; Quid ſit Deus. Si namq; Deus eſt ipſum eſſe: nihil igitur eſt perfectionis, aut boni, quod Deus non habeat, quin adeo infinita eſt ejus potentia, bonitas, ſapientia, nam ſi

Exodi c. 3. v. 14.

deficeret

Digitized by Google

deficeret in aliquo gradu, & ad eum non pertingeret, non jam esset ipsum esse, quoniam superesset aliquid, quod non haberet Deus, & quod consequens est, dici, compellarive non posset: *QVI EST.*

Quemadmodum igitur, inquam, Dei excellentia, atq; præstantia, geminâ illâ voce comprehenditur: sic etiam opinari meritò possumus; nihil omnino attinere multum diffundi in explicandis B. Virginis elogijs; cùm videri satis abunde possit, quod Dei Mater dicatur & sit. Ob id namq; quòd Dei Mater futura erat MARIA, contulit in eam Deus omnes, quæ Matrem Dei decebant prærogativas, ut cum dignitate sustineret illam, qua conferri major non poterat, hoc est, Dei Matris, compellationem; quo fit, ut quisquis Virginem Dei Matrem profitetur, abunde laudarit. Etenim si D. Ambrosius de Sta. Agnete Verba faciens, dicere potuit: *Appellabo Martyrem, prædicavi satis;* quidni, si MARIAM Dei Matrem dixero, sat digna videri laudatio possit? Quod si etiam S.Greg.Nazianzenus in laudibus mariti sororis suæ Gorgoniæ, id vnum poni satis esse arbitrabatur: quod scilicet. *Vir esset Gorgoniæ:* nec immeritò: *Nam mulier diligens corona est viro suo:* an non sat erit copiosa laudatio, si dicatur MARIA *MATER DEI?* eoque melior, quo proprior est filius Matri, quàm vir uxori? Et vero etiam si ex affinitate hujusmodi personarum ex una redundat dignitas in alteram, infinita est quodammodo in eo genere Deiparæ præstantia, ut eâ nihil melius, aut perfectius condere possit Deus, quæ enim major excellentiorue Mater sit quam quæ Dei ipsius Mater est? quo

Lib. 1. de Virginib.

Greg. Naz.

Proverb. 12.

Vide S. Thomam 22. q. 193.

est? quo fit, ut dignitas Matris hujus omnem excedat intellectum, & scientiam, quæ divina non sit, ut meritò Eccl. 1. dicatur: *Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, vidit, dinumeravit, & mensus est*; quasi dicat sapiens: Cœteroquin nullum posse animo comprehendere B. Virginis magnitudinem, ejusq; virtutum multitudinem. Id quod non modo sensit S. Bernardinus, sed etiam Andreas Cretensis, dum ita scriptũ reliquit: videlicet; *Dei tantum esse pro dignitate laudare* MARIAM, & S. Augustinus super cantico Magnificat: *Audacter*, inquit, *pronuncio, quod nec ipsa planè explicare potest, quod capere potuit*. Vnde verisimile puto esse, quod ajunt: Indicatum nempe ab ipsa Dei genitrice clientulo cuidam suo Societatis JESV religioso Jacobo Rhem inter encomia, quibus in dies ab Ecclesia afficitur, nullum allubere sibi præ illo, quo dicitur *MATER Admirabilis*. Si igitur, nihil melius est, quod de MARIA dicere valeamus, quàm quòd Dei Mater existat: non dimittamus ab ore, & cogitatione Matris Dei compellationẽ; Imitemurque eos, qui manu tractant novas, & non prius visas rerum species; aut quæcunq; per artem, vel naturæ ipsius facultatem, miro artificio elaborata. Neq; enim levi, & quasi per transcenam inspectione contenti sunt, sed ea fixo obtutu, vigiliq; indagine contemplantur versant ea, reversantq; in omnem partem, pondus explorant, figuram perspiciunt, colorem attendũt, nihil dimittunt, quod non rimentur, ac considerent: Quæ quidem omnia æstimationis, quà rem quampiam prosequimur, sunt argumenta, dum enim insistitur, in hæreturq; in cõtemplatione

Ecclesiasti.

S. Bernardinus t. 3. ser. 2. initio Andreas Cret. S. Augustinus

plationc rei alicujus, neq; vel oculos ab aspectu, aut animum à cogitatione removemus, magnum sanè indicium est nihil omnino esse vulgare, quod animos tanta sui admiratione suspensos, atq; defixos tenet. Atq; istud in causa est; quod Seraphin immensa divini numinis majestate & excellentia capti, sine intermissione canunt Deo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* quid enim sibi vult hæc nominis Augusti inculcata compellatio? quàm ingens studium indicat celebrandi inenarrabilem Dei Sanctitatem, quâ nihil majus dici, aut excogitari possit. Quid ni igitur, & nos imitatione Seraphinorū allecti, Assistentem à dextris Reginam Dei Matrem, & Matrem non cessamus compellare? neq; minus voculas has nostras MARIÆ placituras spero, quàm allibuerit ejus filio infantium, & lactentium vociferatio illa: *Hosanna filio David; Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.* Et verò decet, ut non modo Ecclesiam Dei, quæ in terris est, resonare faciamus encomio hoc Maternitatis Dei; sed si fieri possit, ad ipsam usq; cœlestem curiam vocem extollamus & aures illas, quæ stridoribus Judæorum filium ejus ad necem deposcentium non perculsæ modo, sed vehementer exulceratæ fuere, nostra qualicunque hâc melodiâ, quasi balbutientium filiorum demulceamus. Dicamus igitur: *Mater Dei MARIA. Deigenitrix MARIA. Virgo Deipara. Θεοτόκος MARIA.* Nec credo fore, ut hanc tautologiam respuat, præsertim si ex ingenti erga ipsam amore, honorisq; ejus studio profectam viderit: Non fastidiet eam appellationem, quâ caput ipsius, tanquam ornatissimo diademate

Isaia 6.

Ioan. 12.

mate coronavit altissimus. Agnoscit se Dei Matrem MARIA, quæ non solum Christo præcipiebat ut Mater, & is morigerum si ei præbebat ut filius, sed quæ potuit eidem dicere: *Fili quid fecisti nobis sic?* Non ignorat se singulari beneficio Matrem Dei, quæ sine opera viri concepit Deum, & hominem, non partitur insigne hujus appellationis cum ullo hominum, vel Angelorum, quod sibi soli novit à patre fuisse communicatum: Nec alius, præter Deum Patrem, & MARIAM, dicere potest, *Fili*: hoc uni Deo Patri competit, & MARIÆ. Dicat ergo Pater: *Filius meus*
Psalm. 2. *es tu, ego hodie genui te:* dicat alternis choris MARIA: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Et justa sanè admirationis causa, hæc est: & ut admiratione, sic est quæstione dignissima, hæc ipsa MARIÆ quæstio: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Nam quæ causa, quæ mea cōditio, quod meritum existere tātum potuit meum, quæ tua tanta pietas ut sic faceres mihi: Sic, inquam, ut dicere vere possem: *Fili quid fecisti nobis sic?* teque filium compellarem, quæ sum conditione serva, adoptione filia, quæ sum creatura è nihilo condita: *O fili, quid fecisti mihi sic?* Sit igitur hoc primum maximumque MARIÆ elogium; quod cum Deo Patre comunem habet parentis, & Genitricis Dei appellationem. Stupeo, & excellentiæ hujus magnitudine attonitus hæreo quid dicam? siquid dicam, idipsum identidem dicam, & sæpius repetam. *MATER DEI MARIA, MATER DEI MARIA.*

Qua ra-

Digitized by Google

§. II.

Qua ratione MARIA sit, vereq; dicatur Mater Dei contra Photinum, Ebionem, atq; Iovinianum.

ETsi MARIA Virgo icciroo verè, ac propriè Mater Dei dicitur, quòd revera talis sit, neque enim dici vere posset nisi etiam esset: Attamen non quemadmodum æternus Dei Filij Pater gignendo illum ipsum, (quo gloriatur & Mater filio suo;) naturam ipsam, seu divinitatem, quâ Pater Deus est communicat generatione filio, sic & Virgo eandem contulit filio, hoc est divinam, sed humanam duntaxat: fuit enim filius in eâ naturâ ante Matrem, semperq; in eâ fuit Deus antequam quicquam fieret. Nam in principio erat Verbum, & Deus erat Verbũ ad quodcunq; enim initium magnus, inquit, Basilius, cogitatione recurras, jam erat in Principio Verbum. Non igitur ita filius Dei est filius Virginis, quasi ante ipsam non fuerit, fuit enim ante MARIAM Christus, secus atq; Ebionitæ senserunt hæretici, ab æterno quippe est filius Dei, qui factus est aliquando filius Virginis. *Quamvis enim* (ut S. ait Gregorius) *aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine.* At qua potentia seu arte, qui subsistebat in se, eratq; filius perfectus, potuit renascendo fieri Virginis filius? Accipe, quod pro facultate mea expono: Vbi primum Virgo SS^ma^. præbuit assensum Angelo, eaq; verba exprompsit: *Ecce*

In Proverb.

S. Hieronym. de scriptorib. Eccl.

L. 18. in Iob. cap. 35.

 Ancil-

Ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum. Spiritus Sanctus in vtero Virginis, è Virgineo ejus sangvine, corpus elaboravit, in eoque animam condidit: hoc igitur corpus animâ rationali constans, seu naturam humanam adscivit sibi Dei filius, hypostasique suæ, quadā veluti arte divina, insevit factūq; est, ut qui subsistebat in divina duntaxat; momento quo condita est, humana Christi natura, seu partes actione & concursu Matris colligatæ, subsisteret vnus idemq; in gemina naturâ, hoc est Deus esset & homo, & vero, mulier illa, in cujus vtero, (ipsa cooperante,) ita conditus est homo: Dei & hominis effecta est Mater; Atq; hæc est ipsa ab omni laude insuperabilis Virgo perpetua Dei genitrix MARIA. Cum enim ad naturam Christi humanam contulerit Virgo, quod solent Matres, vt veræ Matres sint, eandemq; ad se se veluti raptam associaverit sibi filius Dei, non hominis tantum, sed hominis, & Dei Mater effecta est MARIA. Vt si ita statutum sit; vt qui primogenitus Reginæ fuerit, idem sit Regni hæres; Eadem nati hominis, & Regis Mater erit; si tamen afferri aliquid in hoc genere appositum potest; in quo nihil est simile reperire. Nec attinet ad hoc magis declarandum advocare patrocinium ex sententia Doctoris clarissimi, probabile, & pium opinantis quod Virgo aliquâ suâ cooperatione, ad humanam Christi naturam hypostasi Verbi revinciendam, seu ad efficiendum naturæ & personæ nexum, opem aliquam suam contulerit. Malim hic claritatis causa, id comminisci, quod cum Pater æternus per communicationem suæ naturæ gignat filium, si

Suarius t. 2. in 3. p. dis. x. sect. 1.

filius,

filius, qui gignitur ab æterno aliam ex tempore naturam sibi adsciscat: certè pater, qui semper gignit filium si filius incipiat subsistere in duplici naturâ; etiam hoc nomine, idest adventitiæ naturæ, Patris appellationem habebit: eritq; iteratò ejusdem filij Pater, totidemq; vicibus, filius erit Patris filius. *Vide Vasq. in 3. p. t. 1. d. 89. n. 80.*

Jta etiam B. Virgo cum contulerit humanam filio Dei naturam: eo nomine, quo Pater æternus cœpit esse novo titulo Pater filij hominis; eodem MARIA effecta est Mater filij Dei, quia genuit hominem Dei filium, sicut Pater gignit Deum hominis filium. Ex quo etiam fit, ut quoniam Spiritus Sanctus & ipse ab æterno est nexus, & amor duarũ personarum, hoc est Patris & filij, habeat & ipse novam ad vtramq; personam habitudinem: Atq; hoc usus ratiocinio P. noster de Florentia (quem Salazar in cap. 8. proverb. n. 300. honorificentissime compellat, non inferiore dignissimus & ipse encomio) ingeniosissimè interpretatus est dictum Hesichij cognominantis B. Virginem: *Complementũ Trinitatis*: cujus appellationis causa, ex ijs, quæ jam diximus ad ostendendum quâ ratione MARIA verè Dei Mater dicenda sit, satis apertè constat. Exposito igitur jam, pro eo ac à me fieri potuit admirabili hoc maternitatis Dei mysterio, opinionum, quæ huic officere veritati valeant, abigenda sunt monstra: Atq; in primis impietatis redarguere licebit Photinum Syrmij Episcopum, qui humanitatem Christi priùs ajebat fuisse, quam ad hypostasin Verbi assumeretur à Verbo. Si enim ita se res haberet, Virgo MARIA utique Mater Dei dicenda non esset: sicuti *Salazar. Florentia. Hesychius. Photinus.*

Digitized by Google

duodennem non genuit MARIA filium, quòd postquam genitus esset, factus sit annorum duodecim. At vero etiam Neq; Eutychetis adsciscẽdus est error, ut Virginem Deigenitricem valeamus asserere. Fuit Eutyches Monachorum Pater eorum, qui in Ephesino Concilio contra Nestorium acriter dimicârunt; Cumq; in Nestorij hæresin summo odio ferretur, eò prosilijt ut non tantùm duas in Christo personas, ex Christianæ fidei præscripto, negaret esse, sed duas etiam naturas recusaret agnoscere impermixtas: ad quod asserendum quâdam judicij imbecillitate adactus fuit, cum alia via intextum à Nestorio nodum dissolvere se posse desperaret: & Virginem, ut hominis, ita Dei Matrem propugnare: si diversæ, atq; distinctæ in Christo naturæ admitterentur: ajebat enim Nestorius: alia est Dei, alia hominis natura est, hanc, non vero illam contulit MARIA; solum igitur hominis, & non etiam Dei dicenda est Mater; reijci sophisma hoc arbitratus est Eutyches minimè posse; nisi duas in Christo naturas commisceret inter se, & tanquam æs Corinthiacũ, pluribus metallis in vnam massam confluentibus conficeret; Aut instar electri, quod ex cōmixtione quattuor auri partium, & vnâ argenti ajunt confici, ita ut tertium quoddam genus ex ijs conflatum sit. Verum nihil isthâc opus est arte ut MARIAM DEI Genitricem ore, animoque verissimeq; efferamus: Valeatq; cum adinventione suâ piè impius Eutyches. Absq; eo namq; quod humana Christi natura infuderit se divinæ, & in vnam cum eâ coaluerit, sicq; effectum sit ut Virgo, quæ humanam Christo naturam contulit conferret & di-

vinam,

vinam, eaque ratione MARIA, ſicut hominis, ita & Dei Mater conſtitueretur: Abſq; his, inquam, inſanis ſubſtructionibus, MARIA eſt Mater Dei. Non indiget Eccl^a. Dei, quæ eſt firmamentum, & columna veritatis, mendacijs hominum: non deſtruit verum, ut ſubruat falſum: & Matrem Dei confitetur MARIAM, & diſtinctas differenteſq; nihilominus agnoſcit duas in Chriſto naturas: Atq; iccirco cum ſecus ſentire non deſineret Eutyches, ſed commẽto illi ſuo pertinaciter adhæreſceret, non ſolũ in Concilio Conſtantinopolitano reprobatus fuit, ſed ejus condemnatio agente Pulcheriâ, in Chalcedonenſi confirmata: tantum quippe abeſt ut argutia Eutychetis MARIAM Dei Matrem oſtenderit, ut etiam negatâ humanæ carnis veritate, Auguſtiſſimum Matris Dei nomen ei ademerit. Eſt igitur MARIA idcirco vera Dei Mater (id quod libenter vſurpo ſermone; neq; enim inſignior iſtâ majorve eſt alia compellatio) propterea quod, inquam, eodem temporis articulo, quo divinâ Spiritus Sancti obumbrantis virtute, natura Chriſti in vtero Virginis condita eſt humana; in eo ipſo articulo ſubſtitit in perſonalitate Verbi: Quare Matris influxus ad humanitatem in hypoſtaſi Verbi ſubſiſtentem protenſus, effecit conjunctionem primùm animæ ac corporis, tum deinde ut maturus in lucem fœtus ederetur. Cumq; generationis vtriuſq; ideſt tam ejus, quæ in vtero, quã quæ extra vterum facta eſt; ſubjectum (ut ajunt) denominationis ſit terminus completus, ſeu ſuppoſitum, id enim eſt; quod propriè gignitur: quid nî debeat MARIA. Verbi Mater, & Sancta Dei genitrix ap-

Digitized by Google

Concilium Ephes.

trix appellari? Aaudiamus authenticum Concilij Ephesini parte prima testimonium ex Epistolâ Cyrilli Alexandri petitum. *Sacra, inquit, Virgo Deum carni secundum hypostasim unitum corporaliter genuit, ob id illam quoq; Deiparam appellamus.* Quâ etiam compellatione, vti modo ab vniversâ Ecclesia, ita olim ab Athanasio fuisse affectam, testis est idem locupletissimus S. Cyrillus in libro ad Regem, & Reginas conscripto de hoc ipso argumento. Et nos quidem tanto Concilij testimonio; Sanctorumq; Patrum authoritate eruditos, minus fortasse decet Jovinianum hæreticum hac de re obganientem respectare, vel audire. Attamen ne cuipiam, oris sui pestilentissimi instillare virus possit, reijciamus hominis impudentiam. Quod enim MARIAM singulari dignitatis suæ prærogativâ, in partu Virginem perstitisse asseveremus: neq; communi cœterarum quæ matres fiunt sorte; reserato videlicet Virginitatis suæ claustro, filium enixa sit: ex hoc collegit Jovinianus: Christi Matrem, verè dici non posse MARIAM, quod præter naturæ morem, pariendiq; legem à natura præscriptam, ediderit Christum. Sed levidense nimis istud est. Nam si ea omnia, quæ parientibus fœminis eveniunt; necessaria sunt, quo valeãt Matres appellari: consequens etiam est, ut si primus homo à statione sua non excidisset, nullas etiam ibidem futuras fuisse Matres, nam quod omnibus jam obvenit, ut cum sangvinis alluvione, ac dolore pariant, illis in paradyso degentibus nuptis, status illius beneficio, non accidisset. Imo sine Matre censebitur quisquis ex vtero emortuæ mulieris, excisus

Jovinianus apud Vasq. d. 121. c. 5. n. 88.

fuerit,

fuerit. Vacat igitur prorsus arte, ac omni Philosophica Joviniani Sophisma: Vt enim quæpiam Mater sit, satis est si ab ea promanet virtus, seu actio, ob quam mutua necessitudo seu respectus parientis ad prolem cōstituitur; hoc est generationis actus, qui, ut ostensum est; sanè non defuit MARIÆ, cum operatione suâ vitali præstiterit totum id circa gignendam prolem, quod adhibere solent Matres ac debent; ut vere Matres existant.

§. III.

De triumphata hæresi Nestorij, negantis MARIAM Dei Matrem appellandam.

INvidit hanc Dei genitrici excellētiam, omniumque maximè honorificam compellationem inferni Draco, misitq; ex ore suo fluvium ut absorberet illam, quando evomuit eum, cujus jam memini Nestorium facundiæ quodam profluio redundantem, quidni enim nomine fluvij, quem apocalypsis 12. cap. eff udit Draco post mulierem, ut eam faceret trahi à flumine; intelligamus Hæresiarchas facundiâ quadam, seu fluvida verbositate pollentes? Certè cum in Academia Græcensi apocalypsin publicè interpretarer; sic eum locum non incommodè accipi posse opinatus sum; quòd reipsa deprehendam, per homines facundos singulariter Ecclesiam fuisse divexatam; quales præter hunc Nestorium, fuisse constat Arium, quem eloquentissimum fuisse

& sua

Confes. l. 5. c. 6. & 7. & sua lingua multos pervertisse refert Epiphanius: Faustum Manicheum, quem ideo Augustinus magnum Diaboli laqueum appellat: Idem de Macedonianis refert Sozomenus, quòd suaviloquentia suâ *Baronius.* multos pellicerent, atq; seducerent, & cui ignotum est Lutherum, ac Calvinum, quâ calamo & lingua disertos fuisse? & favent interpretationi sacræ litteræ; nam actorũ 20. S. Paulus ita senioribus, majoribusq; natu Ecclesiæ denunciat: *ex vobis ipsis exsurgent viri loqnentes perversa ut abducant discipulos post se.* Quod ipsum prædixit David futurum nempe: ut præfisi facundia suâ; nec Conciliorum authoritati, neq; Bontificum dignitati, quicquam deferrent: a-*Psalm. 11.* junt enim: *linguam nostram magnificabimus; labia nostra à nobis sunt; quis noster Dominus?* Ergo evomitus à serpente fluvius seu Nestorius, verbo minimè infacundus. Nam iccirco etiam Episcopus ex Monacho Constantinopoli creatus est ob orationis scilicet elegãtiam, quodq; Chrysostomœ eum quiddam sono vocis exhibiturus crederetur: asserere veritus nõ est, quod ego referre non parum exhorresco: Deum nempe natum ex MARIA non esse, sed solum hominem, cui divinitas postea, velut ex merito collata *Baronius tom. 5.* fuerit. Non mediocriter hâc hominis istius blasphœmiâ, pro Zelo, & reverentiâ Virginis tantæ, & Matris turbata per id tempus Ecclesia fuit. Et Cœlestinus tunc Romæ Pontifex per lectis impij Nestorij Litteris, pro eo ac debuit, ad impietatem hæretici exhorruit. Cum enim hic hæresiarcha Cœlestinum sibi assentiẽtem habere vellet ne videlicet eum, quem Ecclesiæ totius præsidem esse, non ignorabat,

pateretur

pateretur in hâc suâ novâ, & hæreticâ doctrinâ adversarium: hæreticâ calliditate vsus; sic ad sum̃um antistitem scripsit. Vt primò quidem ex Papa Cœlestino exquireret, quid agendum sibi esset de Pelagianis, qui damnati hæreseos in occidente, cum essent; confugerent ad se se Constantinopolim? Vbi hæc, veluti blandiente ore prolata ab eo fuissent; perstrinxit caudam scorpio, & virus effudit subijciens: MARIAM, non θεοτόκον, sed χριστοτόκον dũtaxat videri dicẽdam, & opinionis suæ prætexuit causam, ne naturæ, inquit, confundantur. Sed cautum non fefellit, neq; enim tulit hanc ejus impietatem Cœlestinus, & indultis decem dierum inducijs ad resipiscendum, minatur anathema per Cyrillum Alexandrinum, nisi quàm primũ palinodiam canat, suamque hæresin ipsemet ejus author detestetur, & veluti venenum, quod evomuerat intra se resorbeat. Contempsit Nestorius (vti mos est hæreticorum) & Cyrilli anathematismos,& Cælestini ipsius epistolam. Quare Theodosio agente apud eundem Romanum Pontificem: Cõcilium œcumenicum pro Virgine: quod Dei Mater esset, indictum est Ephesi, atq; in ipsa Deiparæ Virginis æde,cujus causa agebatur coactum est. Quod ipsum Concilium primum fuit inter illa quatuor, de quibus S. Greg. magnus, lib. 1. Epist. 24. ait: *Sicut Sancti Evangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor.* Atq; ut intelligamus humillimæ Virginis hostem, non potuisse non esse superbissimum, sedente jam synodo, quæ trecentis circiter Episcopis constabat: advocatus Nestorius est, ut causam diceret: quid vero

Cœlestinus Papa.

Cyrillus.

S. Greg.

is? quod responsum dedit Concilio? *Considerabo* (dixit) *& videbo*. Cumq; secundò, ac tertiò appellatus non adfuisset. A Patribus omni deinceps aditu ad se intercluso, Nestorius Ecclesiæ judicio anathemate feritur, atq; per publicos ministros Nestorij damnatio promulgatur; quam Concilij sententiam magna totius populi Ephesini exultatio consecuta est; adeo vt Patres cum lampadibus ad diversoria deducerentur, & fœminæ præirent cum thuribulis, & odoramentá accenderent, atq; thymiama adolerent. Per id tempus creditur Angelica salutatio, hoc est ante mille ducentos annos, aureâ illâ appendice adaucta, hoc est: *Sancta MARIA MATER DEI ora pro nobis*. Et Pulcheria Theodosij Imperatoris soror & Virgo, & Mariani postea conjunx, quem, salvo Virginitatis voto, sub Matrimonij titulo, ad Imperium evexit; Ipsa tunc quasi è stratâ hæresi, trophæum excitavit, templum sub nomine: DEI GENITRICIS MARIÆ. Atq; exinde frequentius Beatissima Virgo cœpit: *Dei Mater appellari*. Et si placet, reliquam actionis partem cognoscere, quã gesserunt Catholici pro titulo MARIÆ omnium excellentissimo retinendo. Cum agente Theodosio: Episcopi, qui Nestorij partes secuti fuerant, Cyrillo, qui omni studio honorem Virginis, & nomen augustissimum propugnârat; reconciliarentur; Eidem visum est Cyrillo rem hanc celebrare, atq; idipsum populo annunciare, redditam nempe cõmunionem Ecclesiasticam Joanni Antiocheno, quà in re intervenit Paulus Emissenus, qui Joanni Antiocheno adhæserat in eo schismate, atq; perduellionis crimine.

Pulcheria.

Cum er-

Cum ergo publicè admissus in Ecclesiam, adeoque ad ipsam synaxin esset Paulus iste, qui Joannis asseela fuerat, & vna cum illo consederat in Cathedra pestilentiæ, & sede malignantium: habuit sermonē ad frequentem multitudinem, cumq; inter dicendum, libera voce detestatus errorem suum fuisset: & jam MARIAM Matrem Dei prædicaret. Vbi ad Epiphonema illud ventum esset: sustulissetq; vocem dicens. *Peperit itaq; Deipara Emanuelem*: Populus acclamavit. *Ecce fides eadem est: Donum Dei Cyrille orthodoxe, hoc audire cupiebamus, qui non ita loquitur, anathema sit.* Cumq; idem Paulus addidisset infra in sermone id, in quo maternitas Virginis asserebatur, duas scilicet perfectas in Christo naturas, unam vero personam: rursus populus acclamavit. *Recte venisti orthodoxe Episcope, dignus ad dignum, Christiani dicunt, donum Dei Cyrille orthodoxe.* Atq; ut hîc etiam verum illud esse appareat, quod habetur primo Regum secundo: Pedes Sanctorum servabit, & impij in tenebris conticescent: Dum Episcopi, qui prius nonnihil titubârant, cum gaudio, magnaq; animi exultatione recipiuntur in Ecclesiam: Nestorius, qui in Virginem blasphæmus fuerat, & animum in suâ hæresi obfirmarat; non solum rescripto theodosij in exilium deportatus est, sed ibidem linguâ ejus maledica à vermibus exesa, & toto corpore putredine consumpto animam exhalavit. Neq; enim solvi potuit scriptura, quæ canticorum secundo de hac Virgine juxta patrum interpretationē ait: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: hoc est futurum fuisse, ut Dei genitrix inter hostes semper illæsa permaneret.

1. Reg. 2.

Amb. in ps. 118.

Digitized by Google

§. IV.

Quod MARIA constanter ab Ecclesia, & Scriptura sacra appelletur Mater Dei.

HAnc de Virgine fidem, quod nempe Dei Mater sit, non solum Ecclesia olim sum̃o studio, pariq; applausu amplexa est, sed etiam deinceps omni animi cõtẽtione prosecuta est. Quin imo id agit Ecclesia, quod cœci illi duo Jerichuntini, & fallar nî credam eos secus viam sedentes, & lumine cassos illuminari tamen cupientes Ecclesiæ, quæ ex gentibus collecta est typum gessisse: juxta illud Lucæ 14. *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare:* qui enim alij subintroducuntur ad nuptiale convivium, exclusis ijs, qui priùs fuerant invitati, hoc est Judæis quam Gentiles? Cœci igitur illi, *cum audirent, quia Iesus transiret illac*, ipsiq; clamarent, *Domine miserere nostri fili David:* Turba autem increparet eos, velletq; ut tacerent quid autem ut tacerent, nisi illud: *Domine miserere nostri fili David.* Idipsum videlicet ij, cum clamore etiam vehementiore ingeminabant, de quo ut silerent commone fiebant. Sic prorsus, inquam agit Ecclesia: dum enim vesaniâ hæreticorum prohibetur, eam dicere Matrem Dei, per quam effectum est, ut Deus esset filius David, tantô magis intendit vocem, facitq; omnia sacra, & ceremonias Ecclesiasticas resonare MARIAM Dei Matrem, Deigenitricem MARIAM. Hoc repetitis vocibus in sacrificio missæ, hoc in symbolo fidei protestamur, hoc in

Matth. 20.

Lucæ.

hoc in litanijs privatim, & publicè, hoc sine cessatione in salutatione Angelica, quæ assidua est in ore fidelium, frequentamus. Nec affectata est tanti nominis compellatio, aut solum ex redundanti quodam studio celebrãdi MARIAM profecta est: qualia ab adulatoribus nonnunquam plus justo deferri solent encomia, laus hæc est incorrupta, ac sincera, & debitum MARIÆ cognomen, quod ei sacra volumina attribuunt. MARIAM igitur Litteræ divinitus traditæ Matrem Dei appellant. Joannes cap. 2. *Et erat Mater IESV ibi.* Matthæus cap. 1. *peperit MARIA filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus IESVM.* Et Lucas cap. 2. MARIAM sic allocutam ait: *Fili quid fecisti nobis sic?* Idem actorum 2. *Cum MARIA,* inquit, *MATRE IESV,* Evangelista Joannes cap. 19. in duobus versiculis quater MARIAM Matrẽ Christi nominat. Matthæus cujus paullo ante memini, non bis duntaxat, sed duodecies infert memoriam Maternitatis MARIÆ & partus ejus, ut quod initio capitis hujus facendium dixi, hoc est ingeminandum affatim esse, MARIAM Dei Matrem esse, præclare hoc ipsum expresserint Evãgelistæ: & Deinceps, ut paullo, ante dixi, Ecclesia imitata fuerit; nam juxta proverbium, quod pulchrum est dici minimum bis debet; Atq; ut intelligamus cognomen Matris JESV: non hominis tantum, ut impius dicebat Nestorius; sed Matris Dei esse cognomen: testimonium affero Mulieris quidem, sed quam testatur Lucas, quod Spiritu Sancto repleta erat, quando testimonium illud perhibuit, & dixit: *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* deniq; testimonium Angeli est

Joannes.

sic comonentis Josephum: Accipe puerum, & Matrem ejus, at quis putas puer iste est? ille est de quo Joannes cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* de quo Isaias cap. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen ejus: admirabilis, Consiliarius, Deus fortis.* Ad hæc Angelus Virginem alloquens: *Hic, inquit, erit magnus, & filius altissimi vocabitur,* & ne putes, quod aliena sit Virgo à maternitate Dei, quia dicitur vocabitur filius Dei, quasi intra viscera Virginis non esset futurus Dei filius, sed deinceps post partum: sicuti dicebat impius ille; quòd postea is homo ad hypostasin Verbi assumptus fuerit: perpēde quod Angelus ait: *Et quod nascetur ex te Sanctum*: sive homo in hipostasi verbi: quare Sanctum istud, sive Deus homo è MARIA natus est. Tandem quid apertius, quàm quod Joannes ait cap. primo? *Et Verbum inquit, caro factum est:* quod si Verbum caro factum est, illa est Mater verbi, in cujus vtero Verbum caro factum est. Et quæ alia? quàm illa, de qua canit Ecclesia: Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æternis Patris filium? Idem omnino, sed ornatus cujusdam gratiâ: hoc est Matrem Dei, sed symbolicis appellationibus cognominarunt SS. Patres; ut cum ab ijs dicta est: Paradysus voluptatis; videlicet propterea quod ediderit ex se lignum vitæ Christum JESVM, qui de seipso affirmat, quòd qui manducat hunc panem non morietur in æternum: appellata est etiam Civitas Dei nostri, quasi Deus gentilis, & contribulis noster effectus sit, in hâc Civitate Dei MARIA. Nuncupata est domus sapientiæ

Nestorius

quod

quod sapientia divina, sibi eam ad inhabitandum ex ædificarit. Nominatur Aula Dei, ut intelligamus eam ad excipiendum Dei filium omni virtutum genere exornatam fuisse. O qualia in hâc Aula sunt Aulæa, dicemus de his postea, & quantum fas nobis erit ingrediemur hanc Aulam & adorabimus Dominum in antrio Sancto ejus, non desunt mystica nomina, quibus affecta est, & etiamnum compellatur Mater Dei MARIA, ut cum dicitur thalamus spōsi, ferculum Salomonis, mons Dei in quo beneplacitum est habitare in eo. Quid plura desideremus? Attamen eadeam dicta est, Tabernacnlum fœderis, Sanctuarium Dei, mensa panum propositionis, vrna aurea cœleste manna continens, omnes igitur te Sanctam Dei Genitricem confitemur ô MARIA, atque ut talem imploramus, & exaudire te vult filius tuus, quippe honorandos præcepit esse parentes,

§. V.

De MARIÆ Virginis dignitate ad Maternitatem Dei consequendam.

ARbitror esse mihi nefas præterire silentio B. Virginis merita, quibus id consecuta est, ut Dei Mater esset. Cumq; jam declararim MARIAM Dei Matrem esse, id quod sacrarum litterarum, & totius Ecclesiæ authoritate testatissimum est: Deinceps eâ dignitate, & gloria se dignam exhibuisse ostendam, id enim ad maximam ejus gloriam,

riam, commendationemq; spectare nemo non videt: quando non solum ejus dignitatem, & gradum honoris venerabundi suspicimus, sed quod ei locus is, & apex honoris ob sua merita contigerit deprædicamus: multi quippè sæpe sunt, qui etsi dignitate pollent, ac in sublimi sedent; attamen eo loco, & gradu non nunquam judicantur indigni: Sicuti & de quodam ait Cornelius tacitus hoc est de ser. Galba: *Major privato visus, dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperij, nisi imperasset.* & nonnulli natalibus illustrissimis eminent, nomenq; inclytæ familiæ præferunt, sed nobilitatem generis sui male gestis, & vitæ pravitate dehonestant. Dicique de ijs aliquid simile potest, quod D. Basilius de parvulis, aut senibus per ætatem iñocentibus dixit: *Si ætate,* inquit, *prohibitus non peccasti, aut à peccato desistis, debilitati gratias agemus, optione non necessitate Bonos laudamus:* In pari causa; si ex nobili stemmate originem ducis, & interea loci tali progenie, & sangvine te dignum non reddis, fortunæ gratias agere potes, nam non necessitate, sed optione laus vera provenit. Quare satis esse nobis non debet, si Virginem Dei Matrem efferamus, nisi hoc ipsum ob sua in Deum merita ei meritò obtigisse demonstremus. Neq; sanè difficile fuerit idipsum explicare, cum assertioni huic Ecclesia inprimis, tum Sancti Patres, plenâ manu suffragentur; & Authoritati optima sanè ratio non deest: Non enim Dei mos est, qui inter homines sæpe vsurpatur, ut videlicet munus aliquod deleget & idoneitatem ad id obeundum non præstet: etenim sustinendis muneribus, quæ ipse confert

Histor. l. 1.

Hom. 1. l. 13. de Baptismo.

confert aptos, accommodatosq́; efficit eos, quos adlegit ut quidem in Ecclesiæ ministrorum institutione constat, & inter theologos receptum est conferri ijs ea gratiæ dona quæ ad rite decenterq́; præstandũ quod demandatum est onus conducunt. Testis præterea est locupletIssimus S. Paulus qui cum haberet experimẽtum ejus, qui in ipso loquebatur Christus *Fiduciam*, inquit, *talem habemus, per Christũ ad Deum; non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & Idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Sed quid Apostolũ adducimus, cum habeamus testimoniũ Christi mittentis? *Ego dabo vobis*, inquit, *os & sapientiam, cui non poterunt, resistere, & contradicere omnes Adversarij vestri.* Paria legimus de Prophetis; ut Moyse, Hieremia, cæterisq́; viris Apostolicis, quod rebus â Deo de mandatis, atq́; negotijs eos pares effecerit. Vt dubium nullum sit, in eam, quæ Dei Mater destinata fuerat, tanquam mysticam Estherem, collata vbertim dona Dei, & quasi omnem mundum muliebrem ei constitutum fuisse, quo decenter ac digne Christum emiteretur. Id quod per quandam rei figuram, prælusum fuit in ferculo Salomonis, in templo, & Arca, quæ tantâ arte, & industriâ (ut Sacræ litteræ referũt) elaborata fuerunt; ut dignam Christo Mystico exhiberent stationem. Quodq́; sub obscure in nube figurarum insinuatum est: apertiùs elocutus est Propheta David: Sanctificavit, inquit, tabernaculum suum Altissimus, & ut sciremus, aut saltem aliquâ conjecturâ assequeremur Excellentiam ornatus istius dicitur; quod ipse fundavit eam, hoc est

2. ad Corinth. 1.

Eph. 2. cap.

Digitized by Google

singulariter MARIÆ creatio Deo attribuitur, eò quod unicè eam præparârit, & ornaverit; ut quamvis omnium sit Conditor, & Opifex Deus, in eo tamen quod dicitur: *Ipse fundavit eam*; emphasis est ad indicandum non qualecunq; opus esse, ad quod Deus ipse singillatim manus apposuerit. Ergo Ecclesia concors, & conscia secretorum Dei ita profitetur & alloquitur patrem: interpellans pro patrocinio Virginis: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Corpus & animam, ut dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti, &c.* Salutat eandem Dei Genitricem tempore paschali: ijs verbis: *Regina Cœli lætare alleluja, quia quem meruisti portare.* Et alio in loco dicitur. *Quæ sola digna fuit portare Regem Cælorum, & Dominum.* Accinunt paria Sancti Patres, S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus, quid, inquit in singulos morer, quæ digna fuit ex qua Christus nasceretur, Basilius homilia de humana Christi generatione: digna fuit MARIA unigeniti divinitati conjungi. Chrysostomus homil[a]. 49. in Genesim. sic ait: *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco? atqui propter hoc ipsum fieret; nam si cognovisses virum, non fuisses habita digna, ut huic Mysterio deservires*: Epiphanius hæresi 28. *quomodo*, inquit *audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta est habitaculum filij Dei fieri, & electa ex multis millibus, quò vas & habitaculum dignum esset.* Damascenus l. 4. cap. 13. MARIAM Sanctum, admirabile, ac summo Deo dignum templum appellat. Bernardus Serm. 1. de assumptione: *Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templo.* Verum enim vero (Sodales mei) non

Ambros. *Basilius.* *Chrysost.* *Epiph.* *Damasc.* *Bernard.*

dissimu-

Digitized by Google

dissimulabo quicquam, quod ad hujus rei planam, apertamq; cognitionem facere possit. Cum enim quædam etiam res inanimæ, & sensus omnis expertes, cùm ab Ecclesia, tùm â SS^is. Patribus dignæ quapiam Excellentiâ, quasiq; honoris prærogativa non nunquam dicantur, videndum nobis etiam atq; etiam est: ne simili modo dicatur MARIA Dei maternitate digna: Ecce enim vel de ipsa arbore, ex qua pependit Christus, in hymno Dominicæ passionis dicitur ad laudes in hæc verba: *Sola digna tu fuisti ferre sæcli pretium, atq; portum præparare nauta mundo naufrago.* Quid quod de peccato Adami eadem canit Ecclesia in Benedictione cerei Paschalis: O felix Culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Et S. Cyprianus l. 3. epistolarum Epist. 8. in fine de infantibus bimulis ait, quod in ipso statim ortu plorantes, ac flentes promeruerunt. Demum vulgari sermone tritum est, ut eæ res dignæ dicantur in quibus obtigit quod expetibile habetur ac singulare, hâc phrasi vtitur Ecclesia in prece feriæ 3. post Dominicam passionis, ait enim: *Nostra tibi quæsumus sint accepta jejunia, quæ nos expiando gratia tua dignos efficiant.* etenim si digni efficimur gratia, quomodo jam est gratia, & non magis præmium?

§. VI.

Quod B. Virgo virtutibus suis se dignam reddiderit, ut Dei Mater esset.

SE cernamus igitur dignitates has, & cujus B. Virginis merita, quibus ab Ecclesia & Patribus digna Dei Mater effertur, generis ſint, diſpiciamus. Quāquam quis dubitationi locus eſſe poſſit, quin Patres vocem meriti, quod B. Virgini ad concipiendum pariendumq; Dei filium attribuunt non adeo impropria ſignificatione uſurpent, præſertim ij, qui dignitatem hanc MARIÆ, ob ejus vitæ Sanctimoniam affirmāt obveniſſe? Et vero etiam cum ab eccleſia ad divinam prolem ſuſcipiendam divinitus præparata fuiſſe dicatur MARIA; quibus artibus aut induſtria id effectum eſt, ut videlicet puella vna tantæ rei idonea redderetur quàm virtutibus heroicis fide, Charitate, profundiſſimaq; animi ſui, demiſſione, atq; voluntaria, Excellentiſſimaq; Virginitate? quid quod ab Eccleſia laudi detur B. Virgini, quòd Dei Genitrix effecta fuerit? neque enim laus ei competeret, niſi merito ſuo id conſecuta fuiſſet, hoc eſt ut in Dei Matrem evaderet. Propterea quod non laudamus ab ijs rebus homines quæ fortuitò, aut ſine ipſorum induſtria eis obtigerunt. Atqui elogium MARIÆ illud eſt ab ore Eccleſiæ profectum: *Sancta & intemerata Virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio, quia quem Cæli capere non poterant: tuo gremio contuliſti.* Nec illud abſimile eſt: *Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum eſſem parvula placui altiſſimo, & de meis Viſceribus genui Deum & hominem:* Quibus in encomijs merito Virginitatis & humilitatis attribuitur Dei maternitas obtenta, quo reſpexit mellifluus Doctor Bernardus, cum de MARIA divit: *Etſi Virginitate placuit, attamen*

Offic. B. M. in Sabatho.

In Offi. au-
rorr.

Digitized by Google

attamen humilitate concepit. His adde ex officio nativitatis & illud: *Fælix namq; es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster.* ubi dispiciendum est: Felicem dici Dei Matrem, ob gratias ubertim in illam collatas, & nihilominus omni laude dignissimam, ob redditum fructum ex gratia, tanquam è semine, & quis alius, quam ut esset digna ex qua præcipuè nasceretur filius Dei. Ergo Ecclesia cujus Typum gessit mulier illa Evangelica, cum stupefacta ob divinã Christi sapientiam, & portenta in eam vocem erupit: *Beatus venter, qui te portavit, & vbera quæ suxisti*: Ecclesia inquam, mulieris illius elogium perfecit, cõsummavitq; cum MARIAM non modo Beatam, sed omni laude dignissimam prædicavit, & hoc ipsum accumulandum Excellentiæ Virginis Matris indicavit filius; cum verbis mulieris adiecit: *Quin immo Beati qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud.* Verum apponamus manum ad sacrum codicem, ex eoq; argumentum promamus ad ostendẽdum MARIAM dignè se exornasse, ut Mater Dei fieret: Etenim si Abraham ob insigne illud facinus, quod Deo annuente animo destinârat, hoc est, filium vnicum & Charissimum iṁolare, audijt ab eodem Deo: *Quia obedisti voci meæ, benedicentur in semine tuo omnes gentes*: Si, inquã Abraham, & David esse proavi Christi meriti fuere; non est merita MARIA esse Mater? Sic enim interpretari possumus illud: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me*: ac si dictum esset: Cum tantæ virtutis ac fidei specimen edideris, ostendis profectò te non esse degene-

Homil. 1. super missus est.

Lucæ 11.

Genes. 22. Psalm. 131.

 rem â

Digitized by Google

propter Virgo MARIA cum non solũ futura sed proprio cognomine MATER DEI compellanda foret, decuit ut super omnes prorsus Sanctos gratia, & virtutibus emineret: Et ad hoc declarandum non absre est, quod dictum est: *Sanctificavit tabernaculum suum altissimus.* Nam quamvis non vno in loco sedere solitus sit Rex, is tamen præ cæteris ornatior est, qui nominatim solium Regis nominatur, cumque MARIA creberrime, indesinenterque MATER DEI dicenda foret, imò pro hac appellatione tota Ecclesia contra Nestorium decertarit: necesse fuit ut vel hac ipsa de causa, quam maximis Dei donis & virtutibus insigniretur. Nunquid novum, & non magis quotidianum est, ut malint viri principes generis sui nomen, famamq; inter exteros dissimulare, si ijs familiæ suæ insignibus, ac decoris careant, quæ sibi deberi arbitrantur? Ergo vel sola magni nominis appellatio ornatum postulat talem qui nomini congruat, quo quisq; inter homines indigitatur, quod si illustrius contingere cognomen cuiquam non potest; quam *MATER DEI.* Consideremus si possimus assequi; quis MARIÆ comptus, & nitor, quis virtutum omnium splendor fuerit, quæ tanto nomine, hoc est *MATRIS DEI,* nuncupanda fuerat.

§. VII.

Dignitas MARIÆ ad divinam prolem suscipiendã, non fuit tota ex ejus meritis, & quamvis maxime decens, impar tamen dignitati Matris Dei, quod ipsum MARIÆ est perhonorificum.

Hic

HIC ego promiſſi mei non iṁemor, quo paulo ante adſtrinxi me non præteriturum eſſe quicquam, quod ad declarandam Virginis dignitatem hanc faciat: ajo MARIAM non ſolum amplitudine donorum, officioſárumq; actionum merito, condecoratam, exornatumq; fuiſſe ad digne Dei filium intra viſcera ſua ſuſcipiendum. Sed ita meritis adauctam, ut ad maternitatis decus ſuſtinendum, nihil deſiderari amplius potuerit: Ecquis repugnare huic orationi jure poteſt? Nam ſi Deus eam præparavit ad Maternitatis tãtæ munus obeundum; quære ſi audes aliquid, quod addi poſſit, aut demi. Tametſi enim velimus eſſe acuti, aut potius minuti, dicereq; tantam non fuiſſe MARIÆ habitudinem per ea dona, ac ſtudioſas actiones, quin eſſe potuerit major, nihil quidem hâc argutiâ ab eo quod diximus, & modò adſtruimus decerpi probabilitatis poteſt. Nam etiam infinita non fuit Chriſti hominis gratia & ſcientia, & tamen ab Evangeliſta; *Ioan. 1.* plenus gratiâ & veritate cognominatus eſt: eò quod eum habuerit in eo genere cumulum, qui hominem illum â Verbo aſſumptum decebat. Sicq; ſervata proportione par eſt de MARIA Virgine cauſa ad affirmandum, ad Dei verbum digne concipiendum, nullam ei defuiſſe decoris partem, vel ornamenti. Ex quo id etiam conſequens: non omnem Virginis excellentiam, & ad Dei Matris apicem aptitudinem vnis ejus meritis adſcribi oportere, ſed vero etiam Dei meræ putæq; in ipſam benevolentiæ, ac liberalitati: eamq; proinde dignitatem non fuiſſe fructũ duntaxat ſeminum, quæ Deus in MARIA eadem co-

operante

operante largiter seminarat. Vnde enim alias Virgini huic tantæ gratiæ vbertas, ut nulli vnquam vel levissimo nævo, ajò neq; ipsi communi, & avitæ labi, fuerit affinis; quid enim præstitit ipsa ut tam eximiam innocentiam assequeretur? volo dicere dignitatem MARIÆ, non solis ex ejus operibus constitisse, sed pluribus alijs Dei donis, quibus affatim cumulata, & præventa in benedictionibus est. Adhæc de dignitate hâc ita sentio, ut quamvis apud orthodoxos omnes in confesso sit, opera quidem nostra ex Dei misericordia, & gratia ortum ducere, & nihilominus gloriam esse præmium eorum, quod homines justi tanquam dignam laborum suorum mercedem consequantur, B. tamen Virginem quò sibi maternitatis Dei insigne vendicaret, dignum ex æquo, sive per opera sua & reliquum ejus apparatum par precium non attulisse, secus quidem sensere Gabriel, Almainus, Major, Abulensis ut refert Suarius, *T. 1. in 3. p. d. x. sect. 7* at refragatur S. Tho: huic assertioni cum tota schola & Scoto, & cæteri pleriq; omnes Theologi, meritum videlicet Virginis cum Maternitate Dei collatum æstimationis æquæ non fuisse sed solum hanc præ alijs debitam Virgini prærogativam honoris, ut siquidem venire decreverat Deus, & ex fæmina nasci, in alterius Castello non susciperetur quam MARIÆ: eo quòd præ reliquis digna esset seu collatione facta ad cæteras, ipsa dignior, quod dicitur meritum de congruo: Nam cæteroquin ut penitus digna fieret, tam Excellenti compellatione, ita ut Mater Dei non solum præ reliquis, sed etiam absq; collatione, propter ipsam Deo navatam operam, tan-

Digitized by Google

quam ob æquale pretium dicatur, fieri nullatenus posse videtur, non tam defectu pacti, quod nullum fuit & justitiæ debitum inducit potius quàm condignitatem, sed quia nullum opus Creaturæ etiam viribus gratiæ factum tali mercede videri vnquam poterit dignum. Tametsi enim gratiæ adoptionis incrementum, in Dei filios, & hæreditas gloriæ, sub tale meritum cadat, naturalis tamen maternitas Dei nimium quantum supereminet adoptioni, & longè diversum est Patrem esse adoptione, & natura Patrem sicuti valde supereminet Christus homo (quod Dei naturalis filius sit) cuicunq; adoptivo, ajo etiam si ipse retentâ gratiâ quâ præditus est, demissaque Verbi hypostasi, per eam ipsam cognominaretur adoptivus. Neq; vero tamen ob id minor est Dei Mater MARIA quòd tãtæ dignitati, par meritorum pretium non attulerit assequendæ, quin eo ipso major est, & super excellens, quod ei (neq; tamẽ indignæ) obtigerit id quod nullis meritis exæquari potest: nisi vel ipsa ad divinam hypostasin assumpta fuisset; sicq; Deus Deum genuisset. Atq; rem ita se habere, ut propterea dignitate emineat MARIA, quod habeat id, quod pretio conquiri nullo possit, ipse testis est Deus: Is quippe ad exaggerandam Castimoniæ excellentiam, ac laudem: per Salomonem dixit: *Omnis autem ponderatio, non est digna continentis animæ.* (Ecclesi. 26.) & propius ad nostrum institutum S. Gregorio interprete; de sapientia incarnata dicuntur illa apud Jobum cap. 28. (Iob. 28.) *Nescit homo precium ejus, non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in comparatione ejus, non conferetur tinctis Indiæ coloribus; nec lapidi Sar-*

pidi sardonycho pretiosissimo vel sapphiro, non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia, nec tinctura mundissima componetur. Per quæ omnia intelligi vult, hic magnus Ecclesiæ Doctor: nullum SSorum. ex quacunq; natione, & statu legis seu gratiæ, & vel Angelorum, atq; etiam beatorum Spirituum, quibuscunq; virtutibus illi præcelluerint ac donis: potuisse meritis suis assequi, ut Christum Dei Sapientiam, pro dignitate operum suorum, Consequerentur. Et hujus meritorum inæqualitatis, quam Job eleganter quidem, attamen in ænigmate, & obscurè descripsit: Causam reddunt Theologi, ita ut neq; fieri posse affirment; parem tantæ dignitati cujuscunq; rei vel operis reperiri valorem. In quo ipso, uti paulò ante dictum â me fuerat, Gloriosissima est Dei Mater MARIA, propterea quod effecta sit Mater tanta, ut ea sublimitas cadere sub nullius hominis, vel Angelorum meritum aliquando potuerit. Tametsi enim fatemur agnoscimusq; Beatam Virginem (quoad Dei arbitrio & sententia fieri debuit) Sanctissimis ejus actionibus & Charismatibus præparatam, ut dignum fieret Verbi divini Domicilium: dignitas tamē hæc (ut sic dicam) non Arithmetica, sed Geometrica est, sive tanta quæ decebat intra hominis terminos, non quæ paris sit cum divinitate æstimationis. Etenim si hoc evenisset, ut Verbum ex Virgine carnem assumens æqualem dignitate haberet & Matrem, non habuissent dicere alternis Choris canentes, & Cælitus afflati Ambrosius & Augustinus; & sic alloqui filium Dei: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum;* dicito enim mihi cur pro

Vasq. 1. T. in 3. p. d.22 c. 1. & d.13. cap. 2.

Digitized by Google

magno habetur, quod Dei filius Virginis vterum non abhorruerit? nonne hic erat tanquam acervus tritici vallatus lilijs? Cujus vmbilicus, tanquam
Canti. 7. crater tornatilis nunquam indigens poculis? nonne de hoc vtero canit Ecclesia: fuisse præparatũ â Spiritu Sancto cooperante, ut dignum filij habitaculum effici mereretur? nonne ipsus est vas electionis; vas Spirituale, vas honorabile, vas insigne devotionis, Thalamus Sponsi, Aula Regis, Ferculum Salomonis, templum, Sacrarium, altare thymiamatis? Vt quid ergo pro magno æstimatur, quod Dei filius vterum talem non abhorruerit? Ergo iccirco pro magno habetur, quod etsi corpus & anima SS^mæ. Dei Genitricis â Spiritu Sancto cooperante præparata fuerit, nullus tamen tantus potuit esse ornatus, ut æqualis esset excellentiæ, ac dignitatis cum filio Dei. Meritò igitur suspicimus de prædicamusq; dignationem filij Dei tantam, ut in causa generis humani dedignatus nõ fuerit fieri filius hominis. O vir natalibus Nobilis, & Illustris, quisquis es, qui hæc legis, nonnè distœderet te hominis plebei fieri filium, cum sis Satrapæ filius, Dynastæ, Ducis aut Regis? Atqui non est dedignatus filius Dei fieri hominis filius: Meritò igitur admirabundi duo Ecclesiæ Doctores Ambrosius, & Augustinus dixere, & pro magno deprædicarunt de filio Dei, quod non horruerit Virginis vterum, qui tamen cum â Spiritu Sancto cooperante præparatus fuerit, ut dignum filij Dei habitaculum effici mereretur, etsi non coæqualem at quidem certè maximam B. Virginis Sanctitatem, dignitatemq; ut Dei Mater esset, meritò credere debe-

Digitized by Google

re debemus, quia neutiquam ignorare potest Deus quid se deceat, quare si Deus, ut canit Ecclesia, præparari voluit Virginem, ut dignum se fieret domicilium: Vide si cogitando assequi vales, quãta MARIÆ dignitas fuerit, ut digna Dei Mater esset; Dei, inquam, ipsius arbitrio, & sententia, digna Dei Mater.

§. VIII.

Ex dictis §. 5. 6. & 7. colligitur triplex similitudo MARIÆ Matris Dei cum JESV Dei filio.

QVod summus, omniumq; opifex Deus in rebus, quas condidit sui quoddam vestigiũ reliquerit, adeo verum est ut attestetur Apostolus ad Rom. 1. & dicat: *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur sempiterna quoq; ejus virtus, & divinitas.* Videre est hoc in ea, quæ intelligendi vi, & facultate prædita est natura Angelica, & humana, in qua Sancto Augustino teste, lib. 11. de civitate cap. 26. sacræ triados mysterium pellucet; propterea quôd (inquit is) sine errore est, aut fallacia, novit se esse, & amat se se. Patri enim attribuitur, *Esse* tanquam fonti communicanti essentiam cœteris personis, Filio *Nosse*, ut pote sapientiæ, Spiritui Sancto *Amare*, Nam Amor est, & sicut tria hæc in Angelo, & hominis Spiritu deprehenduntur, ita in omni re corporea (ut Aristoteles etiam perspexit) trinitas dimensionis reperitur, ut ea de causa pronunciarit: tria omnia sunt, & omnia

August.

Digitized by Google

1. de cælo t. 2. tria. Quemadmodum igitur Deus in molimine creaturarum (uti fertur de phydia in Clypeo Minervæ) imaginem sui inscripsit; Ita in eo opere, quod naturæ rerum antestat, & divinum est, eandem tenuit regulam, effecitq; ut sicut ipse, qui maximè necessario est, naturaliterq; existit rerum omnium naturalium, & singulariter naturæ intelligẽtis est forma quædam, atq; prototypon; Ita Christus homo earum rerum, quæ supra naturam sunt, & in finem longe altissimum diriguntur sive ad Dei amicitiam, atq; fruitionem exemplar esset, & archetypus, hoc est cùm Christianorum quidem omnium, tum verò maximè, & vnicè Idea genitricis suæ, in qua videlicet præcipuè, singulariterq; opus gratiæ eluceret. Nam quis ignorat Christum esse omnibus præscriptum tanquam vivam formam, non solum benè rectéq; vivendi, sed etiam naturæ ipsius cælestis, seu gratiæ, quam haurimus ex ipso per baptisma regeniti? sicut enim is homo ad hypostasin assumptus factus est homo Dei filius, sic nos quâdam imitatione per gratiam ipsi insiti efficimur Dei filij: quam in rem appositè dixit S. Augustinus: *Eâdem gratiâ fit*

De prædest. SS. c. 15. *ab initio fidei suæ quicunq; Christianus, quâ gratiâ homo*

ad Coll. c. 2. *ille factus est Christus*, & S. Paulus: Christi mortem, & vitam ideam esse vitæ, mortisq; Christianorum affirmat: *Consepulti*, inquit, *Christo in Baptismo in quo, & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis*. Cumq; hæc manifesta sint, habemus dicere hanc Christi imitationem, expressioremq; imaginem in nullo sic affabre factam reperiri, quàm in ejus Matre MARIA, quippe ex filio ad vivum deli-

neata

neata proximè ad ipsum accedit. Atq; semotis jam ijs, quæ duci possent inter Christum, & MARIAM parallelis, Christi hominis duntaxat filiationem Dei, & Dei maternitatem MARIÆ inter se conferamus. Ergo Christus homo ut ad divini Verbi hypostasin adsciseeretur, merito suo cōsecutus id non est. Cum enim hypostasis Verbi actionibus Christi studiosis dignitatem eam indiderit, valoremq; quo ipsæ pollebant, neutiquam sub meritum cadere principium meriti potuit: Nec desunt ad hoc ostendendum argumētationes plures, quas Scholastici in 3. cum Magistro & reliqui cū D. Thoma in 3. p. attingūt: Nobis pro instituti ratione sufficiat vna S. Aug. Authoritas ita dicētis: *Ipse Salvator, & mediator Dei, & hominum Christus IESVS, qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel ex operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo est comparavit? respondeatur quæso; ille homo ut à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus, filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? quod ejus bonum qualecunq; præcessit, quid egit ante, quid credidit, quid petivit ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? nonne faciente, ac suscipiente Verbo ipse homo ex quo esse cœpit, filius Dei vnicus esse cœpit? nonne filium Dei vnicum fœmina illa gratia plena concepit? nonne de spiritu Sancto à Virgine MARIA Dei filius vnicus natus est, non carnis cupidine, sed singulari Dei munere*, & paullo infra: *Neq; enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de spiritu, & Virgine nasceretur.* Quemadmodum igitur collata Christo homini divina hypostasis est, ut ex ea tāquam è prænobili stipite instillaretur virtus, ac valor in

1. *Similitudo meritorum.*

De præd. ss. cap. 15.

Digitized by Google

lor in gesta humanitatis, eoq; factum ut non potuerit Verbi hypostasis esse pretium operis, ipsa quippe reddebat opus pretio infinito dignum: Ita simili, & si non pari passu, cùm ex eo quod MARIA Dei Mater destinata fuerat, confluxerint in eam gratiarum omnium fluenta ad irrigandas videlicet, maximoq; dignas prœmio actiones ejus reddendas, non valuere vtiq; illæ suammet originem, è qua manabant eniti. Atq; vti in asserenda Christi hominis facta gratis prædestinatione, testem adhibuimus Augustinũ, ita in electione MARIÆ D. Thomam proferamus.

Soarez. t. 1. in 3. p. d. x. Psalm. 8.

1. 2. q. 98. a. 4.

Hic igitur de populo toto Israelitico, ipsoq; nominatim Abrahamo sensit gratis electum fuisse, ut ex eo Christus nasceretur: ait enim: *Deus & legem, & alia beneficia illi populo exhibuit, propter promissionem eorum patribus factam, ut ex eis Christus nasceretur.* Et ne quis existimaret promissionem factam ob merita, & tandem electionem ejus populi esse ex meritis, subdit in hæc verba: *Nec etiam fuit propter meritum ipsius Abrahæ, ut talis promissio ei fieret: ut scilicet Christus ex ejus semine nasceretur: sed ex gratuita Dei electione, & vocatione*; & demum concludit articulum dicendo: *Si rursus quæratur quare hunc populum elegerit ut ex eo Christus nasceretur, & non alium conveniet responsio Augustini: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Nec est quod quisquã dicat, interpreteturq; S. Thomam; quasi senserit Abrahamum non fuisse meritum per officia præstita citra gratiæ auxilium, solius liberi arbitrij facultate; quæ enim alia Abrahami merita excludit S. Thomas, quàm quæ ex sacris litteris cõstabat Abra-

Tract. 26. in Ioannem

hamo

hamo non defuisse? hoc est ea, quæ beneficio divini auxilij patrata præclara sane facinora ab eo fuerant, & singillatim heroici illius animi promptitudinem, ad immolandum vel vnicum filium suum hostiam Deo? Belle igitur constat in hoc similitudo MARIÆ cum Christo, ut sua nimirum neutri ob impensa merita destinata dignitas sit. Immo majorem amborum in hoc symetriam, æqualitatemq; quidã constituunt, quippe non solum cõcedunt Christum hominem non esse sibi meritum, ut ad divinæ personæ dignitatem assumeretur; sicut neq; MARIAM ut Dei Mater destinaretur: sed præterea discrimen inter eos nullum statuunt in eò quod sicut Christi hominis assumptio in Deum, ejusdemet offitijs, aut etiã vllius Sanctorum Patrum meritis, & vel ipsius Matris obsequijs adscribi non potest; hoc est ut is homo decerneretur Dei filius: perinde neq; MARIAM volunt vllius, hoc est neq; Christi ipsius meritis Dei Matrem destinatam. Cœterum cum sententia illa, quòd filius promeritus sit Matri, sua ut Mater esset animitus, & mordicus retineatur à viris doctissimis, cedo impetui, & defero authoritati, præsertim cum enitendum nobis non sit, ut MARIAM Christo æqualem faciamus, sed solum ut similem ostendamus. Repertâ igitur hâc vtriusq; vicissim inter se se similitudine; hoc est Matris, & filij, quod nimirum neuter meritus sit eligi ad dignitatem suam, sed gratis ambo electi ad eam à Deo fuerint: Videamus jam, an alia quoq; inter eos existat meritorum analogia; hoc est an gratis electi; sua redditi sint digni electione, longe quippe diversum est eligi absq; meritis ad

Lorca in 3. p. d. 22.

Soarez Vasquez. t. 1. in 3. p. Io. del Vgo, p. Fran. Amicus.

ritis ad sublimem locum, quod jam de Christo, & MARIA asseruimus; atq; deinceps sic affici, aptarique ut non indignè ea dignitas collata videatur ei, qui gratis electus fuerat: Vti si quis nullis suis exigentibus meritis ad præfecturam à Rege eligatur, & postmodum ut eam obire cum dignitate possit, cõferat eidem Rex quidquid ad ejus muneris functionem desiderai queat. Et quidem Virginem MARIAM gratis ut Dei Mater esset præelectam, suis apud Deũ obsequijs id effecisse, ut nõ indignæ impenderetur, quod sine meritis fuerat ei ab æternitate decretum: dubitat nemo, & supra ostensum jam à nobis est. In quo ipso magna est Virginis cum Christo homine similitudo; sicut enim illa electa Dei Mater eximijs affecta est Dei donis & gratijs, earumq; vsu meritaest illum puritatis, & sanctitatis gradum, ut congrue posset esse Mater Dei, ut loquitur S. Thomas: Ita homo ille Christus JESVS, quod Dei electione assumptus esset ad divini Verbi hypostasin, tanta est à Deo cumulatus omnis generis virtutum excellẽtiâ quanta hominem illum ad naturæ divinæ consortium admissum decebat; ut quod è Virgine, & omnium fœminarum præstantissima nasceretur, & ab origine mundi per os omnium Prophetarum annunciaretur, & ut verbo dicam, quod Verbum caro factum fuerit plenum gratiâ & veritate. Cum namq; Deus omnia faciat in numero, pondere & mensurâ; eam, quæ decuit esse justissimam servavit naturæ humanæ assumptæ ad Deitatis celsitudinem symetriam. Verum enim verò ut propius ad rationem meriti accedamus, & unà tertias meritorũ Christi & MARIÆ in hoc

2. meritorũ similitudo.

3. p. q. 2. a. x. 1. ad 3.

3. meritorũ similitudo.

Digitized by Google

in hoc genere parallelas ducamus, affirmo B. Virginem non solum id habuisse commune cum Patribus ut videlicet merita fuerit ferventibus apud Deum precibus exhibitionem promissæ incarnationis, utq; mitteretur citò, qui mittendus erat certò, id enim ardentissimis illis votis expetebat: *Rorate cœli de super, & nubes pluant justum; &, Utinam disrumperes cœlos, & descenderes & visita nos in salutari tuo.* Et planè congruum erat, ut exaudiretur, sed etiam illud cum filio suo consecuta est, ut scilicet mereretur esse quod erat: Volo dicere: Dei Mater electa non solum ad talem gradum conscendendum se dignam præstitit; Sed deinceps ita se tractavit, ut mereretur retinere, quod merita fuerat accipere; secus ac aliquibus evenit, qui & si primò modesti, idoneiq; sunt dignitati recipiendæ, eâdem tamen postmodũ se reddunt indignos retinenda, ut quidem in Saule exemplum est manifestum. At MARIA cum se jam Dei Matrem sciret, nonne velimus eam habuisse maximam dignitatis suæ rationem, & iccirco in omni loco, & actione quàm præclarissimè se gessisse propterea quòd se Dei Matrem non ignoraret? Quo sanè fiebat, ut mereretur esse quæ erat, eò quod dignè ambularet vocatione suâ, nec sane in vacuum gratiam Dei accepisset. Quare nõ jam solum quoddam decorum seu congruum erat, quali fuerat ut ipsa præ cœteris Dei Mater fieret; sed meritum magis proprium habebat; quod Dei donum æstimaret; plurimiq; faceret, & quoad poterat connitebatur ut dignitati suæ vitâ & moribus responderet. Et soliti sumus dicere; de ijs, qui personam suam cum digni-

Isaia 45. 64
Psalm. 105
1. Reg. 15. & 17.

tate gerunt fore dignos, ut illis ea conferretur, si nõ foret eis delata. Atqui vero è diametro hoc, seu MARIA Christus est; etenim sententiæ illius authoritatem nõ refugiunt probati Authores, & gloriæ Christi, meritisq; attribuunt, ut videlicet quasi talentum multiplicarit, hoc est, indeptam Verbi personam dignus esset qui retineret gratias agendo, obediendo, Patriq; quam demissisime se submittendo. Assumptus igitur Christus homo ad divinæ personæ dignitatem, sic exornatus est prout æquum erat hominem Deum condecorari; etiam prius quam ullum exstaret ab homine hoc opus theandricum seu virtutis exercitium. Atqui vero etiam deinceps sic egit, ut mereretur esse quod erat videlicet homo Deus. MARIA quoq; non solum electa Dei Mater, dignam se præbuit ut reipsa fieret, sed effecta, etiam ut locum suum retineret; & hoc Lunæ Lumen non deficit à claritate radij solaris: Sicut enim Christus æquale protulit pretium dignitati suæ retinendæ; Ita MARIA non solum ex æquo, & bono (ut dicitur) dignã se reddidit suo loco; hoc est Dei maternitate; sed cum jam dignitate Matris polleret; ob eam, Virginis tantæ ac Matris studiosæ actiones evehebãtur ad gradum meriti æqualem conservationi maternitatis, perinde ac divina Verbi hypostasis opera Christi digna reddebat tali prœmio, hoc est ipso hypostatico vinculo retinendo. Vt propter hanc alterius ad alterum, hoc est filij ad Matrem, vicissimq; Matris ad filium mutuam meritorum in eo genere consensionem vtrinq; correspondentem, dictum videri possit illud: *Ego dilecto meo & ad me conversio ejus.* Et merito

Soarez. t. 1. in 3. p. d. x. 54. in fine.

Cantic. 7.

meritò Virgo MARIA cum Luna confertur, & Solis instar est, ac ita similis ut tamen solis lumen non exæquet, MARIA quippe eligitur quidem ut Christus gratis, illa ad Dei Maternitatem, hic ad divini Verbi hypostasin, electaq; est ut Sol, attamen non ipsa Sol est: MARIA enim ob Christum, non è contra Christus ob MARIAM: quapropter perfectior est electio Christi, quam MARIÆ: Ad hoc, Christus perfectiore modo, hoc est sine meritis consecutus est esse simul & Deus, neq; enim is homo aliquando fuit, & insitus Verbo non fuit, unde neq; de congruo mereri potuit ut ad hypostasin Verbi assumeretur prout MARIA quæ sicut prius fuit, quàm Christi Mater esset, ita mereri potuit, & reipsa merita est nō quidem ut eligeretur in Matrem, sed ut assequeretur reipsa fieri Mater quæ non erat. Nec mirum uti modo dicebam, quoniam MARIA solis instar est; Luna, & non Sol est; Luna quæ solis quidem lumen non exæquat, sed proximè imitatur. Atq; ita ut quemadmodum nullus planetarum, Astrorumue tantum luminis haurit è Sole, ac Luna imbibit: Ita nulli Sanctorum tantam gerunt cum Christo similitudinem, atq; MARIA, quod declarare potissimus fuit disputationis hujus finis ac scopus: Vt perspectâ nimirum inter Matrem & filium similitudine, ij qui se se Virginis clientes, ac filiolos profitentur intelligāt quæ suæ sint partes. Si enim illa, quòd Dei Mater esset electa, minime se degenerem esse est passa, & uti jam dixi, ita se tractabat prout Deigenitricem decebat adeo ut mereretur locum suum & gradum, & eo pacto accederet ad Dei filij sui similitudinem;

 conni-

connitendum etiam nobis est ut ad sodalitium adlecti, dignos tali conditione, loco, & consortio nos reddamus; quid enim? Sodalis Marianus es? ne quæso id mihi duntaxat ex Albo, in quod relatus es innotescat, sed hanc mihi fidem faciant mores tui, & virtus; Vt enim si invitetur Christianus ad ritus gẽtilitios, ac superstitiones, è vestigio dixerit: non faciam etenim Christianus sum; Ita si Marianus sodalis seducatur à Regula sua, & Deiparæ cultu ac imitatione, detestetur, ac dicat; non facio, quia sodalis sum, & MARIÆ Matri devotus; nam quid alias proderit inane nomen sodalis Mariani circumferre, si reipsa careas; hoc est studio placendi illi, cui te probasti? Mihi quidem dubium nullũ est, MARIAM etsi in omni vita sua perfectissimæ virtutis callem trivit; attamen eo etiam nomine, quod Dei Mater esset, dedisse operam, ut omnem virtutis numerum impleret: & imitari in hoc ipso poteris, si quod sodalis parthenicus sis: propter hoc ipsum magis te morigerum, pium, Sanctumq; exhibeas.

§. IX.

Quod Deus MARIAM, ut Matrem, honorârit.

QVod Deus, ut pote Pater omnium exêgit à filijs suis Malachiæ 1. hoc est honorem, ac reverentiam, cum dixit: *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor, timor meus?* effectus ipse qui est unum cum patre, postmodũ Virginis filius, quæ requirebat à filijs, præstitit Matri suæ. Nam præterquam quod

Malachiæ.

quòd testatur id Evangelista Lucas; dum ait: *Quod erat subditus illis*; reipsa etiã apertissimè patet ex ijs, quæ Deus contulit Matri suæ MARIÆ. Nam si filiorum honor erga parentes in eo potissimum positus est, ut obediendo, observando, opitulandoq; præsto sint, nihil horum Dei filius erga Matrem suam intermisit. Atq; in primis nonne honoravit Deus Matrem, quam singulari prorsus beneficio à communi lege exemit, ne videlicet peccato originis, avitâ labe, sentinâ vitiorum inficeretur? Et quam, ita habere voluit Matrem, ut pariter Virginem integerrimam custodiret? Sanctissimam præterea eandem effecit, ut postea exponemus, etenim sanctificavit tabernaculum suum altissimus: Spiritum prophetiæ eidem impertijt: primum miraculorum suorum eâ postulante patravit. Neq; vero mirum est, si honoravit filius Matrem: nam si crucem inanime lignum quia tamen Deus in eo pependit, sic Deus ipse extulit, & honorabile reddidit, quantò magis honorare debuit MARIAM non bajulam modo, sed nutricem, sed Matrem suam? Cumq; plurima, (ut etiam infra attingam) Matri Dei MARIÆ honestissima à filio suo obvenerint, majus tamen ijs omnibus honoris delati Matri à filio proferimus argumentum. Nam, quod non omnibus fortasse venit in mentem recogitare de prærogativis, quas Deus in Matrem suam congessit: tribuit Deus Matri suæ multa gravissimaq; sufferendi virtutem, atq; materiem; neq; enim alio diligebat filius Matrem amore, quam quo fuit dilectus ipse a Patre: quâ etiam de causa dicebat Apostolis: *Sicut me misit vivens Pater, & ego mitto*

Io. 2. v. 11.

Ioan. 6.

mitto vos: Hoc eſt laborioſam ſanè provinciã impoſuit mihi Pater, nec ego diſſimilem vobis injungam,
Io. 15. v. 9. & tamen is loquitur, qui dicebat: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Ergo ut ſui amoris, quo ferebatur JESVS in Matrem ſpecimen oſtenderet, voluit ut ſibi tolerantiſſimo ærumnarum ſimilis eſſet, & unà ſecum veluti crucifigi in monte, ijſdem opprobrijs, injurijſq; patere: Clavi quidem illi in manus Chriſti, ac plantas impacti acerrimo doloris ſenſu excruciabant; ſed pariter tranſverberabant Virgineum cor, & intimo animi ſenſu affligebant. Et quantus is fuerit, ſuſpicari quivis facile poteſt amãs in perſona, quam amat ſi quam tenerè, & vnicè amat. Nec attinet nunc quibus vita Virginis ex ijs quæ filio obveniebant à Judæis perfuncta ſit doloribus latius explicare quamq; vere Simeon ipſi prænunciarit fore ut animam ejus doloris pertranſiret gladius: Illud perſuaſum omnibus cupio: omnino ad magnam filij erga Matrem reverentiam ſpectaviſſe, ut Matrem dum in hâc vitâ ageret, multis ſineret angoribus diſcruciari. *Vobis*, (inquit, heros il-
1. ad Phili: le aulæ cœleſtis Paulus) *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini*; quo genere loquẽdi indicavit Apoſtolus, quoddam nec vulgaris beneficij genus eſſe, ſi fideles ſuos Deus; ſinat in ſuâ metipſius cauſa, adverſa ſuſtinere in eo enim quod ait: *Donatum eſt, ut pro illo patiamini*: Oſtendit ex Dei benevolentiâ perpeſſionem adverſariorum proficiſci, propterea quod donum fructus amoris eſt. Quod ipſum apertioribus verbis S.
S. Chryſoſto: Chryſoſtomus ſuper oratione Añæ, declaravit cum dixit;

Digitized by Google

dixit: *Gratia vero maxima: dignũ censeri propter Christum aliquid pati, & corona vere perfecta, & merces futurâ retributione non minor:* quo, quid amplius eloqui potuit, cum molestias in causa Christi toleratas ipsi beatitudini coæquarit? Et ne quis opinetur hæc ab omni prorsus hominum sensu aliena esse nec aliquem præsertim hoc tempore reperiri posse, qui sic animitus sentiat; hoc est ut ærumnas in beneficio reponat; refero quod vir Illustrissimus, nostriq; ordinis amantissimus D. Balthasar à Thonhausen, è pectore suo aliquando deprompsit: nam etsi alios etiam hujuscemodi theodidactos hodie in Ecclesia reperiri non diffido: attamen hunc è Styriæ proceribus; eò libentius in sermonem induco, quòd dignitate, & gratia apud Cæsarem Ferdinandum secundum plurimum valeret; Atq; præterea quòd ejus animi magnitudinem mihi coram spectare, & admirari licuerit: ergo cum adijssem ad virum hũc, ut rem divinam apud eum domi facerem, (distinebatur enim morbo ex quo, nec commovere se loco poterat, quod arthriticus esset:) peractâ re divinâ accessi honoris causa, ut exhibitâ reverentia recederem, quo tempore ostendi evocari ex animo meo quandam sympathiam ob afflictissimam tanti viri valetudinem: ad quam ille animi mei significationem ita subjecit: ô Pater, ne quidem digni sumus, de quibus pœnas sumere dignetur Deus: ô raram avim, ô virum Spiritu Dei plenum & optimum donorum Dei æstimatorem! Atq; hisce muneribus, si bene dispiciamus, quo quisq; in Ecclesia Deo charior est, etiam vberioribus ab ipso donatur. Eaque

præ omnibus, quæ gratissima erat, atq; sanctissima: cujus rei testis est amplissimus Angelus Raphael, qui

Tobiæ 12. dixit Tobiæ seniori: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Quid enim probari opus habebat, qui acceptus erat? nam qui acceptus est, hoc ipso probus habetur: sed hoc indicare voluit Spiritus Sanctus; probis nimirum congruere ut adversa patiantur: Sicut enim scientia, & artes benè discuntur ob actionem aliquam, quæ foras emanet; idest opus, ac doctrinam: Ita Sanctimonia à Deo donatur ad exhibendam patientiam; sic ut plerumque alterum ex altero colligere liceat; & ita ratiocinari: Sanctus est quispiam, ergo exercetur adversis: nam quasi non esset alioquin suo loco Sanctitas, & propria operatione careret. Imò sicuti locus dignior honori est dignitati personæ; ita patientia virtuti: cur ita? Nam quemadmodum fides sola sine confessione oris; loco, & tempore, manca & mutila est, & dehonestatur, ita virtus seu probitas sine exercitio patientiæ, decoro suo caret. quod ergo fidei internæ oris confessio confert, hoc cœteræ virtuti colluctatio cum adversis: non enim minùs malorum perpessio, honorifica est Deo, quam sit fidei professio: sicut enim hoc fidem in Deum prodit, & auget, ita charitatem ostendit laborum tolerantia: & vtrumq; gloriosum est Deo, dum palam fit habere eum non modo sui amatores, sed amoris sui per opus ipsum testificatores. Neq; enim res ulla tantam amoris significationem adversus Deum proferre posse videtur; quàm multa pro Christo pati: Tunc enim amor apicem attingit; quando qui amat minus se

Digitized by Google

nus se amat, quàm eum, quem amat: & hoc mole-
stiarum perpessio in causa amati manifestè declarat:
præferri videlicet, commoda amici proprijs oppor-
tunitatibus: & testimonium Christi est dicentis:
*Majorem Charitatem nemo habet, ut animam suam ponat
quis pro amicis suis*; & ut specimen amoris hujus erga
Patrem ipse exhiberet dixit: ut cognoscat mundus Ioan. 14.
quia diligo Patrem: surgite eamus. idest ad Crucem
quare qui Deo quidem serviunt, sed saluis suis deli-
tijs, & vitæ commodis; etsi aliquod, minimum ta-
men amoris indicium ostendunt, quoniam discerni
satis non potest; Vter sit potior in amoribus, an is i-
pse, qui absq; dispendio rerum suarum servit; an il-
le, cui eo pacto, ac ratione servitur? compendio di-
cam: sicut honorum gradus quiq; à suis insignibus
cohonestantur; Ita Charitas à Patientia: Vnde me-
ritò S. Paulus primam Charitatis tesseram, patien-
tiam dixit: *Charitas*, inquit, *patiens est*, *benigna est*.
Hæc honorum decora deesse noluit filius Charitati
Matris; & ideo abunde illam pati sinit, ut *tanquam
Myrrha electa daret odorem suavitatis*. Quid enim est
quod narrationi de justitia, & innocẽtia Jobi; actu-
tum Adversa ejus subnectuntur, nisi quod sua corpo-
ri ornamenta coaptantur? dicat ergo Angelus Ra-
phael Tobiæ: Quia acceptus eras Deo, necesse fuit
ut tentatio probaret te: Habuit igitur Christus
Matrem suam honorificentissimè, quam in tormen-
tis similem sibi reddidit, & ut cœlestem in terris pe-
regrinantem graves ærumnas sustinere permisit.
Verum etiam magis insistamus huic argumento,
quodq; veluti levissime attigimus, contentiùs pre-

 mamus.

Digitized by Google

præ omnibus, quæ gratissima erat, atq; sanctissima: cujus rei testis est amplissimus Angelus Raphael, qui
Tobiæ 12. dixit Tobiæ seniori: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Quid enim probari opus habebat, qui acceptus erat? nam qui acceptus est, hoc ipso probus habetur: sed hoc indicare voluit Spiritus Sanctus; probis nimirum congruere ut adversa patiantur: Sicut enim scientia, & artes benè discuntur ob actionem aliquam, quæ foras emanet; idest opus, ac doctrinam: Ita Sanctimonia à Deo donatur ad exhibendam patientiam; sic ut plerumque alterum ex altero colligere liceat; & ita ratiocinari: Sanctus est quispiam, ergo exercetur adversis: nam quasi non esset alioquin suo loco Sanctitas, & propria operatione careret. Imo sicuti locus dignior honori est dignitati personæ; ita patientia virtuti; cur ita? Nam quemadmodum fides sola sine confessione oris; loco, & tempore, manca & mutila est, & dehonestatur, ita virtus seu probitas sine exercitio patientiæ, decoro suo caret. quod ergo fidei internæ oris confessio confert, hoc cœteræ virtuti colluctatio cum adversis: non enim minùs malorum perpessio, honorifica est Deo, quam sit fidei professio: sicut enim hoc fidem in Deum prodit, & auget, ita charitatem ostendit laborum tolerantia: & vtrumq; gloriosum est Deo, dum palam fit habere eum non modo sui amatores, sed amoris sui per opus ipsum testificatores. Neq; enim res ulla tantam amoris significationem adversus Deum proferre posse videtur; quàm multa pro Christo pati: Tunc enim amor apicem attingit; quando qui amat minus se

nus se amat, quàm eum, quem amat: & hoc molestiarum perpessio in causa amati manifestè declarat: præferri videlicet, commoda amici proprijs opportunitatibus: & testimonium Christi est dicentis: *Majorem Charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* & ut specimen amoris hujus erga Patrem ipse exhiberet dixit: ut cognoscat mundus quia diligo Patrem: surgite eamus. idest ad Crucem Ioan. 14.
quare qui Deo quidem serviunt, sed saluis suis delitijs, & vitæ commodis; etsi aliquod, minimum tamen amoris indicium ostendunt, quoniam discerni satis non potest; Vter sit potior in amoribus, an is ipse, qui absq; dispendio rerum suarum servit; an ille, cui eo pacto, ac ratione servitur? compendio dicam: sicut honorum gradus quiq; à suis insignibus cohonestantur; Ita Charitas à Patientia: Vnde meritò S. Paulus primam Charitatis tesseram, patientiam dixit: *Charitas,* inquit, *patiens est, benigna est.* Hæc honorum decora deesse noluit filius Charitati Matris; & ideo abunde illam pati sinit, ut *tanquam Myrrha electa daret odorem suavitatis.* Quid enim est quod narrationi de justitia, & innocētia Jobi; actutum Adversa ejus subnectuntur, nisi quod sua corpori ornamenta coaptantur? dicat ergo Angelus Raphael Tobiæ: Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te: Habuit igitur Christus Matrem suam honorificentissimè, quam in tormentis similem sibi reddidit, & ut cœlestem in terris peregrinantem graves ærumnas sustinere permisit. Verum etiam magis insistamus huic argumento, quodq; veluti levissime attigimus, contentiùs premamus.

mamus. Quamvis igitur hoc demus, conſtanterq́; affirmemus poſtulaſſe ſcilicet honorem Matris, ut plurimum patiendi à filio ſuo ſibi copia fieret: attamen pluribus Sanctorum communis hæc eſt dignitas, nec ulli cenſeri poteſt propria. Quod igitur volo, iſtud eſt, MARIÆ potiore, digniorcq́; nomine perpeſſiones, & luctus obveniſſe quàm cœteris, nam reliquis ob communem illam Chriſtianæ vitæ conditionem, (ut videlicet à capite membra non diſcreparent) plurima exantlãda fuere. At MARIA etiam quòd Mater eſſet, ut perfectiſſimè munus obiret maternum, tolerare difficilia debuit, Etenim ſi munus eſt Matris gignere, quò melior, perfectiorq́; Mater eſſet; hoc eſt non modo Chriſti naſcentis in hanc miſeram, & mortalem vitam; ſed ut etiam ad fœlicem illam, ſempiternamq́; renaſcentis fieret glorioſa parens, excruciari doloribus eam oportuit. Si namq́; reſurgendo, Chriſtus renaſci dictus eſt, juxta illud pſalmi ſecundi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* Quod etiam de reſurrectione intelligunt interpretes. Illa ſingulariter dicenda eſt Mater reſurgentis, ſeu renaſcentis, quæ reſurrecturum fide vivâ gerebat in mente tanquã in ventre. Sicq́; interim cum intimo animi ſui ſenſu quaſi viſcerum divulſione ob paſſionis ejus memoriam parturiebat; Et diſcruciabatur donec videret eum redivivum, quem conſpexerat crudeliter in mortem affectum. Nonne parturiebat ipſemet Chriſtus cum dicebat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſq́; dum perficiatur?* Sic parturiebat MARIA, angebaturq́; de mortuo filio quoad videret illum è terræ corde reducem

In pſ. 2. Bell.

Luca 12.

que-

quem tamen ſpe enitebatur, ac exſpectatione nunquam intermoriturum. Et ubi reſurrexit is, accedentibus etiam precibus ſuis ad implorationem filij ſui, qua exoraverat patrem, ut *Salvum ſe faceret à morte*: effecta eſt, hoc etiam nomine Spiritu Mater, quæ pridem fuerat carne, quare quod Chriſtus in ſermone habito à cœna dixit: *Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum optimè etiam cadebat in ejus Matrem*, quæ per triduum quidem mortis, mœrore plena, enitebatur cum animi angore filium ſuum, quem cum gaudio fuerat receptura: Ac mihi quidem certè geminæ hujus maternitatis, ac partus Mariani, typum geſſiſſe videtur Rachel, prioris quidem cum Joſephum edidit in Lucem, in cujus parturitione dilaniatam dolore non legimus: ſicut etiam MARIA in priore partu non doluit, quemadmodum etiam abſq; voluptatis ſenſu concepit: At vero uti Rachel in altero partu, hoc eſt Beniamini præ doloris magnitudine exſtincta eſt, ut non *Beniamin* ideſt filium dexteræ, ſed *Benoni*, hoc eſt filium doloris ſui emoriens appellarit: Sic MARIA in ſecundo hoc partu vehementiſſime animo diſcruciata eſt: Ita tamen ut Chriſtus, qui Matri ſuæ moriendo Benoni fuit ſeu filius doloris, reſurgendo filius dexteræ fuit. Sedet enim ad dexteram Patris. Hic eſt Beniamin, qui tulit Calicem, & non abſtulit propterea quod Chriſtus bibit Calicem, quem dedit ei Pater; & quæ non rapuit, ipſe exſolvit, & quæ ignorabam, inquit, interrogabant me: inſtar videlicet Beniamini, qui argue-

Ad Hebreos 5. v. 7.

Geneſ. 35.

Gen. 44.

Pſalm. 68.

Digitized by Google

batur de ablato Calice, cujus furti planè non fuerat conſcius. Hinc igitur manifeſtum evadit, non ſolum quo pacto MARIA per angores honorata à filio ſuo ſit, dum perpeſſionibus eidem ſimillima reddita eſt, quod planè honeſtiſſimum apud vere ſapientes habetur, ſed vero etiam quod ea ratione Patrem æternum imitata ſit: nam ſicut is ſæpius ejuſdem filij Pater eſt, ut antea demonſtravimus ita Virgo per fidem, ſpemq; reſurrectionis iteratò eundem genuit filium, qua ſimili ratione etiam Eccleſia S. Monicã S. Auguſtini dupliciter Matrem appellat, & de illa ſic ait ipſe filius l. 5. confeſ. c. 9. majore ſollicitudine me parturiebat ſpiritu, quam carne pepererat. Acerbiſſima quidem fuit MARIÆ ejuſmodi conceptio, & parturitio cum animo, & memoria teneret Chriſtũ crucifixum, anhelaretq; ad partum per reſurrectionem ejus, quem diſcipulorum pectora jam abortiverant. At lætiſſimus hic partus exſtitit, cum ſe redivivum filius Matri ſtitit. quod ipſum, ut accumularet honores honoribus Matris, eidem præſtitit valde honorificum: dum ſui præſentiam ſpectabilem valde primæ omnium exhibuit: eaq; ratione moerorem ex animo Matris deterſit. Ecquis de veneratione, obſequioq; Chriſti erga Genitricem ſuam nõ abunde erudiri queat, ſi recogitet; Chriſtum vel inter maximos, acerrimoſq; crucis angores, curam Matris non dimiſiſſe? allucutus eſt enim illam, & dixit ei: *Mulier ecce filius tuus:* in quo diſpiciendum eſt duplex reverentiæ argumentum; nam quod abſtinuerit à Vocabulo tenerrimo Matris, ideo fecit, ne ſuaviſſima compellatione dolorem Matris magis exacue-

exacueret: quodq́; vicarium pro ſe filium ſuffecerit Joannem; ne omnino abſq́; filio eſſet, & penitus deſerta: neq́; venerationi Chriſti adverſus Matrem ſatis fuit, quòd filium ei deſignârit Joannem; ſed idipſum Joanni inculcavit; dicendo illi: *Ecce Mater tua*, & quamvis nec Joannes ob Chriſti, & Virginis amorē, neq́; etiam Magdalena, & alij defuturi fuiſſent officio; etiam citra hâc Chriſti inſinuationem: Attamen in eo difficillmo temporis articulo, teſtari voluit Chriſtus, palamq́; profiteri, quanto Matrem ſuam honore, atq́; obſequio proſequeretur. Ob id ipſum exiſtimemus voluiſſe Chriſtum Matre præſente, ac ſpectante Cœlos conſcendere; ut triumphus ſuus, & gloria maxima redundaret in Matrem: Cur igitur, inquies, eam ad cœleſtia regna ſecum non adduxit? ob idipſum tunc eam non aſſumpſit; ad exaggerādos videlicet Matris honores: quoniam ad meritorum cumulum, Eccleſiæq́; etiamnum lactentis ſolatium, diutius voluit eſſe ſuperſtitem; ut eſſet interim nutrix, & Magiſtra diſcipulorum filij ſui: quâ in re quantum Matri ſuæ detulerit filius, quis non videat? præſtat enim profectò miles, qui ab Imperatore relinquitur in hibernis præfectus exercitui, præſtat, inquam, illi, quem ſecum ad Regiam deducit, & otium. Ac demum, cum jam meritorum ſummam ab æterno ei præfixam Mater attigiſſet, eandem non ſolum optimo mortis genere, ut poſtea in libro 3. dicemus, ex hac vita mortali eduxit, ſed ad occaſum tanti luminis ſpectandum, & funus Matris cohoneſtandum Apoſtolos, alioſq́; in Eccleſiâ optimates ex alijs, atq́; alijſmundi partibus repente, *Damaſcen. orat. 2. de dormitione Deiparæ.*

repente, miraculoq; congregavit, quid quod etiam corpus illud ſacrarium Dei, & hominis, templumq; Spiritus Sancti auguſtiſſimum diu emortuum eſſe paſſus non eſt? ſed mox redivivum in cœlos aſſumpſit, ut ad ſtaret Regina à dextris, & ut poneretur thronus Berſabee, juxta thronum Salomonis Regis pacifici: Et quis hic, quantuſq; honor Matri deferatur à filio ipſoſmet rogitemus, hoc eſt JESVM, & MARIAM, ut aliquãdo oculis ipſis videre poſſimus. Hoc revelante Eccleſia ſcimus, quòd exaltata ſit Sancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad Cœleſtia regna. Et quando illum, quo Deus Matrem ſuam in Cœlis proſequitur, honorem enarrare ſufficiemus, cum vel illi, quem Eccleſia MARIÆ defert in terris non eſſe poſſimus ſatis explicando? Parum dixero, ſi vel templa omnia toto orbe terrarum, quæ nomine Virginis Sanctiſſimæ ſunt inſignita connumeravero: pectora omnium prope Chriſtianorum ſunt cultui, venerationiq; MARIÆ dedicata: quis eam non implorat? quis de benignitate ipſius non præſumit? quis feſtos Virginis dies non ſingulari pietatis ſenſu colit? quot figuris, & modis Virginis effigies impreſſa, exciſa, ſculpta, picta, fuſave non eſt? Cumq; hæc omnia paſſim ab omnibus factitentur; Vnum inter hæc omnia eminet, quod mirificè ad Virginis ſplendorem conducit, augeturq; in dies, & ſunt B. Virginis, quæ dicũtur Sodalitates, quas Deus ad honorẽ Matris ſuæ excitavit, ut cum omnes quidem ad cultum genitricis ſuæ provocarit; Attamen ex omnibus pientiſſimos quoſq; & optimos ſelegit, qui proprius ad obſequium Matris aſſiſterent, & veluti è

3. Reg. c. 2. v. 19.

luti è vicino famularentur; eſſentq́ myſtici illi, de filijs Iſrael, & de ſemine regio pueri, in quibus nulla eſſet macula decori forma, & eruditi omni ſapientia; cauti ſcientiâ, & docti diſciplinâ & qui poſſent ſtare in palatio Regis, in obſequio videlicet Reginæ Matris. Quare Deus in Matre ſuâ colendâ hoc propoſito exemplo, dum in hâc inferiore mundi Aulâ, & veluti regalis palatij propylæo, ſic eam honorat: hoc, inquam, facto mandatum illud de honorandis Patre, & Matre; authoritate ſuâ plurimi faciendum oſtendit. Quid igitur jam dicam, aut quâ Illuſtriore MARIAM appellatione cohoneſtem? multis illa quidem aſſidue nominibus, inſignibuſq; exornatur, qualia ſunt, quæ ab ejus alumnis parthenicis ſodalibus eidem affatim deferuntur: ideſt, vſurpatiſſima illa cognomina: *Virgo prudentiſſima, Speculum Iuſtitiæ, vas honorabile, Roſa myſtica, turris Davidica, domus aurea, Regina Angelorum*. Atq; hujuſcemodi innumera alia. Illud tamen inter hæc omnia præconia, & encomia ſupereminet: dum MATER DEI cognominatur: quod MARIÆ cognomen eò magis eſt auguſtum, quò non hominum adinventione, ſed divina, ut pridem vidimus; eſt ei authoritate inditum aſſertumque.

·Dignare me, laudare te, Virgo Sacrata.

LIBER TERTIVS.

De præcipuis B. Virginis Virtutibus, quas veri ejuſdem ſtudioſi atq; clientes imitari debeant.

CVm ſic à natura comparati ſimus, ut illuſtrium perſonarũ actiones plurimi faciamus, quas in alijs præteriremus, nec æſtimandas, aut à nobis adamandas putaremus, operæ pretium me facturum arbitror, ſi poſteaquam dignitatem MARIÆ ex complexu Virginitatis, & Maternitatis tantæ oſtendi, octo excellentiſſimarum Virtutum, quæ in MARIA elucent veluti ſupellectilem explicuero, ut viſâ earum pulchritudine præſertim quòd in Dei Matre exiſtant tantò magis accendant, exacuantq; animos ad earum aſſecutionem. Nam quid, obſecro, prodeſſe poterit ſe ſe Virginis clientem, & deprædicatorem profiteri, ſi moribus & vitâ diſcrepes à MARIA? Aut etiam quo pacto Marianæ humilitatis, patientiæ, pietatiſq; imitator fieri potes: Si earundem virtutum præclariſſimæ praxes, atq; rationes tibi ob oculos non expandantur? quis enim MARIAM humilem ignorat? quis prudentem, quis piam neſcit? At virtutes hæ ita ſummatim propoſitæ quaſi panni pretioſi ſed convoluti, minus alliciunt animos ad eas ſibi habendas, comparandaſque:

que: evoluere igitur eas conabor; vtinam pro dignitate id præſtem.

CAPVT I.

De Humilitate Beatæ MARIÆ Virginis.

§. 1. Quod opus Dei ſit humilitatem cum excellentia conjunxiſſe in MARIA.

§. 2. De alterna MARIÆ ſe abijcentis, Deiq; eam exaltantis viciſſitudine.

§. 3. Illuſtratur magis humilitas B. Virginis per collationem ad morem Luciferi, & aſſeclarum, qui non ſolum aſpirant ad dignitates, ſed etiam ex ijs intumeſcunt.

§. 4. Humilitas B. Virginis in eo etiam ſibi conſtat, quòd dona ſua Deo in acceptis tulit, quòdq; ea res divinam provocet liberalitatem.

§. 5. Quod B. Virgo actione, ſilentio de rebus proprijs, in veſtitu, atq; habitatione humilitatem præſtiterit.

§. 6. Quod ea quoq; humilitatis pars B. Virgini non defuerit, quâ libenter ferimus haberi nos minoris, quam ſimus.

§. 7. De externa B. Virginis compoſitione, ac modeſtia, alioq; humilitatis indice verborum parcitate.

§. 8. De maxima Virginis humilitate in eo quod non abhorruerit opprobrium crucis filij ſui, & concluditur hortando ad humilitatem.

Proœmium.

DEſcripturi rudi quidem penicillo, quia noſtro, B. MARIÆ Virginis virtutes; eam inprimis picturæ ſubſternamus oportet, ſine quâ cæteræ non exiſtunt. Nam etſi abſq; humilitate videri quæpiam virtutes poſſint, earum tamen ſolum ſimulachra quædam ſunt, & veræ animi dotes non ſunt, quare cum S. Gregorius dixiſſet: Sæpe quoſdam pudicos quidem ſibi contigiſſe videre, ſed nō humiles, paulo infra ſtatim correxit ſententiam, & adjecit: *Certum eſt, quia neque Caſtitas in ejus corde vera eſt, cui humilitas deeſt.* Quò igitur ſolidiores, magiſq; ſinceras eas, quas deinceps explicabo Marianas Virtutes fuiſſe conſtet, perfectam animi ſubmiſſionem ei non defuiſſe, oſtendamus.

Lib. 22. moral. c. 1.

§. I.

Quod opus Dei ſit, humilitatem cum excellentia conjunxiſſe in MARIA.

SI quapiam in re verum eſt illud, quod habetur Sap. 8. de ipſamet Sapientia, quæ Deus ipſe eſt, & verbum, in quo, & per quod condita ſunt univerſa, tam quæ in Cælis, quàm quæ in terris ſunt: Eam nimirum attingere à fine vſque ad finem fortiter, diſponereq; omnia ſuaviter: hoc ſanè in Dei genitrice MARIA perquam affabre, appoſiteq; effectū eſt tunc vel maximè: quādo celſitudinem excellentiamq;

Liber Sapientia.

Digitized by Google

tiamq; B. Virginis tantam, ut supergressa sit omnem creaturam rationalem, eaq; altius nemo super emineat, præter eum, qui summus est vniversorumq; creator Deus; quando, inquam, illud honoris dignitatisq; fastigium ad infimam sui abjectionem, quæ est in corde Virginis ita dextrè applicuit, inflexitq; sic aptè concinnavit, & ad se se sum̃a & ima revinxit; ut præter insuperabilem Dei dexteram efficere hanc in excellentiâ modestiam, in sublimitate humilitatem, in dignitate sui contemptum, non sanè potuerit vis alia, quæ divina non esset. Et verò is, qui Exodi. 36. præceperat Moysi ut faceret cortinas de bysso retortâ, & hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, opere vario, & arte polymita; Idem ipse voluit etiam ut decem illæ cortinæ, sic inter se connecterentur, ut tegumentum vnum tabernaculo fieret nec vna ab alia sejuncta esset cortina. at quid aliud decem cortinæ indicant, quàm in denario perfectionem Virtutum Marianarum, & cumulum? quæ etiam inter se associatæ sint, ideò enim cortinæ ad invicem constringebantur per ansulas, & aureos circulos, propterea quod in MARIA (quæ tabernaculum est intra quod Arca, hoc est Humanitas Salvatoris) non est virtus aliqua solitaria, quæq; Societatem cum altera non iniverit. Ita ut neque prudentiæ æquitas, nec fortitudini desit temperantia, nec modestiæ liberalitas; & quod omnem superat admirationem, ut in choro tot tantarumq; virtutum, atq; insignium donorum Innocentiæ, Virginitatis, Prudentiæ, & quod caput est, Maternitatis Dei non desideretur Humilitas. Quo in facto etsi omnium Exodi.

Digitized by Google

præclariſſimo, attamẽ longè difficillimo, & MARIA ad vivum, exactéq; expreſſit illud Salomonis ſalutare conſilium Eccl. 3. Quantò major es, in omnibus te humilia. Et Deus veriſſimum oſtendit eſſe illud, quod de ſe promulgatum fuerat, quod nimirum, *Attingat à fine ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuaviter:* quid enim fortius, quàm extrema illa duo, & diſtantiſſimos à ſe fines, hoc eſt immenſam Maternitatis Dei celſitudinem cum viliſſimo de ſe ſenſu, atque exiſtimatione conjungere? quid ſuavius, quàm in operis hujus licet difficillimi molitione; id tamẽ efficere, quod naturæ rerum congruit & genio? videmus enim, quòd quantò quæque turres inter cætera domicilia altius efferunt caput, tantò eas depreſſius, humiliuſq; in terra ſubſidere, & culmen, quod ab imò profundoq; fundamẽto adeo diſſidere videtur, ſumma tamen cum eo neceſſitudine conjungitur; & revera cohæret profunditati, quod excelſisſimè aſſurgit in altum. Numquid etiam ſi cæleſtia corpora abſcindantur à mole terræ, quæ mundi centrum obtinet, non ſolum omnis ornatus, & ordo abſcedat neceſſe eſt, ſed ut ipſa funditus intereant, quæ humi degunt oportet? Hæc ſcilicet eſt aurea illa catena, quàm à ſummo cælo ad terras vſque protendi effinxerunt, ut regionis vtriuſq; conſortium, eamq; quæ inter alta & humilia intercedit neceſſitudinem, declararent mundi hujus ſapientes. Ergo quod Deus in rerum natura priùs delineârat; deinde in opere gratiæ magis ad vivum expreſſit, in illo, inquam, opere, in quo voluit oſtendere divitiàs gloriæ, & magnitudinem potentiæ ſuæ, hoc eſt, in præcla-

Homer. iliad. l. 8.

præclarissimâ, planeq́; admirabili genitrice sua MARIA. Nam cum in eam tot illustria dona, ac insignia decora congessisset, qualia neque oratio complecti, nec mens capere potest; eandem tamen ipsam tot donis, dotibusq́; præcellentibus ornatam, attamen de se quàm humillimè abjectissimeq́; sentientem effecit, quod profectò non est alius, quàm solius Dei artificium. Solus enim creator potest uti creaturâ suâ ad libitum, ejusq́; propensionem, etiam pro arbitrio, in contrariam partem inflectere. quemadmodum igitur is, quod ad rerum naturam attinet, non solùm carnem & Spiritum, res admodum differentes, associavit; & quod plus est in opere gratiæ effecit, ut agnus cum pardo accubaret, ovis in medio luporum tuta esset; is inquam, qui pauperem è fimo eductum in regio throno collocat, is ipse, qui cum excelsior cælis sit, & profundior inferno, si voluerit in vnum omnia coarctare (hoc est condere hominem, qui sit vnus homo & Deus,) nemo valebit ei repugnare, cumq́; hoc effecerit, eundem potest constituere Salvatorem, & mortis reum, ejusdemq́; animam gloriæ quidem compotem, attamen mærore tabescentem; & carnem ipsam ejusdem innocentissimam, & miro artificio (vt pote Spiritus Sancti operâ) ex purissimis B. Virginis sangvinibus conditam, proindeq́; ab omni læsione jure quodam suo remotissimam, eandem tamen sinere flagellis contundi, spinis ac clavis lacerari, funibus asperrimis constringi; sic etiam ille ipse eam, quam Matrē & Virginem miraculo effecerat, eādem (facto prodigiosiore, quàm cum medium fornacis quasi ventum ro-

Habitabit lupus cũ agno, & pardus cum lupo accubabit, Isa. 11.

Iob 11.

Daniel. 3. v. 50.

Digitized by Google

tum roris flantem fecit) dignitate tantâ ſublimem, ac cōſpicuam, pariter animi ſubmiſſione minimam infinamq; reddere potens fuit Matrem ſuam MARIAM.

§. II.

De alterna MARIÆ ſe abijcientis, Deique eam exaltantis, viciſſitudine.

QVàm probè dictum ſit à Chriſto; *Qui ſe humiliat exaltabitur:* à Virgine Matre ſua patentiſſimè oſtenſum eſt; in ea quippe miram ſui deſpicientiam, & abjectioni gloriam ſuccedentem videre eſt; ut in eam proinde optimè cadat, quod de ea dicitur, id eſt, Pulchra ut Luna: in cujus planetæ laudem Eccl. 43. ſcriptum reperimus, *Quòd minuitur in conſummatione, & creſcit mirabiliter in conſummatione:* hoc eſt, ſicuti Luna ſubijciendo ſe Soli omnem ſuæ lucis hauſtum eò regerit, vnde hauſit; ſic MARIA totam ſe Deo ſubmittendo, & quidquid habet eidem in acceptis referendo, ſplendorem veluti ſuum occulit; attamen mox in conſummatione mirabiliter creſcit inſtar Lunæ, quæ lumine ſuo infernè exhauſta, dum ſe ſuppoſuerat Soli; mox ex adverſo conſtituta, & ſic conſummata, quaſi Sol alter apparet; qua ſimili ratione MARIA per ſui abjectionem ita ſe tractat quaſi omni prærogativâ careat; cum eadem præ cæteris in Eccleſia ſideribus à Juſtitiæ Sole illuſtretur. Bene ergo pulchra ut Luna, quæ minuitur & creſcit, & quidem in conſummatione

Eccleſiaſti:

matione minuitur, & crescit in consumatione; hoc est, dum cælestibus donis augetur, & sic consummatur seu perficitur, minuitur in ipsa sua consummatione, dum abijcit se se, & acceptis indignam profitetur; quod tamen ipsum prodest illi ad eam magis ac magis consummandam, propterea quod qui se humiliat exaltatur; & hoc est, quod ait sapiens, mysticam Lunam MARIAM mirabiliter crescere in consumatione; mirabile enim profectó est, quòd quis exaltatus, eo ipso magis extollatur & crescat, quòd seipsum imminuat, atque exinaniat. Id quod etiam alia ratione videre est in Luna; nam dum se se subijcit Soli, ex ea parte qua terram aspicit lumine defecta est; attamen in ea ipsa eclypsi, superna, & cõvexa pars irradiatur, & serenissima est, ut verum sit pariter minui & crescere in consummatione: nam dum ex vnâ parte consummatur, perficiturq; in ea lumen Solis, in altera lumine orbatur, & fusca est. Nonne hæc Deiparæ nostræ apprime conveniunt, quæ Mater Dei appellata, & quasi de supera cæli regione Illustrissima reddita, inferne offuscatur; dum Ancillam se nominat, ac profitetur? Dum rursus enixa filium, Deiq; Mater effecta; confestim, quem genuit, venerabunda adorat? Atque dum multas hujusmodi vicissitudines, de quibus deinceps dicam, hoc est gloriæ & sui despicientiæ, quasi absq; intermissione obit ac peragit? In MARIA, ut sic dicam, est Euripus quidam, seu refluxus gloriæ accedentis, & recedentis ab ea; nam dum attollitur deprimit ipsa se se; & subdità è vestigio extollitur. Atq; hic est genius Sanctorum, ac Spiritus; ita fert Dei consvetudo,

ſuetudo, ac mos. Vel Joannem Baptiſtam conſideremus, qui cum tantus Propheta eſſet, ut haberi poſſet ac ſi ipſe Chriſtus eſſet, attamen ingenuè dicebat: *Non ſum dignus, ut ſolvam corrigiam calceamenti ejus*; quam ſui abjectionem prorſus infra mortales omnes, Chriſti teſtimonio teſtatam fuiſſe ajunt, cum de Joanne Baptiſta illud velut epiphonema extulit: *Qui minor eſt in regno cælorum major eſt illo*: hoc eſt, ut aliqui interpretantur; cum Joannes Baptiſta tantus ſit, ut non ſolum Propheta, ſed pluſquam Propheta ſit; nec illo ſurrexerit major inter natos mulierum: attamen qui minor eſt in regno cælorum, ſeu in Eccleſia; ille ipſe (opinione Joannis) eſt major ipſo Joanne, propterea quod Joannes omnium minimorum ſe poſtremum dicit & ſentit. Quid Joañem dico? ad ipſum ejus dominum, Chriſtum JESVM oculos mentis referamus, nonne dum inter peccatores quaſi vnus ex illis eſſet, & quiſpiam gregarius ſervo ſe ſiſtit abluendum, declaratur à Patre filius Dei, & Meſſias, cujus munus ſit proprium baptizare & vel ipſum Baptiſtam? fit igitur vice verſa in Sanctis aliquid, ſecus ac in Lucifero, hominibuſq; elatis, de quibus bene ſcriptum eſt, quòd *dejeciſti eos dum elevarentur*: non enim ex ipſa ſui exaltatione demittũt ſe ſe, ſed deijciũtur; & dejectio, ſeu depreſſio eorum non fit ijs gradus ad aſcenſum, ut MARIÆ; ſed ruina in præcipitium. At Virgo noſtra minuitur mirabiliter in cõſummatione, extolliturq; dum ſeipſam deijcit: quare Rotam exiſtimemus eſſe MARIAM, ſed vnam ex ijs quæ portant currum gloriæ Dei, id eſt, inhabitantem Deum in homine; nam veluti Rota in de-

Ioan. 1.
Matth. 11.
Pſalm. 72.

in depressione sui assurgit, & assurgens seu potius sublata deprimit se se, dum enim de seipsa quàm vilissimè sentit Deo fit proprior, *Qui humilia respicit* (subintellige de proximo) *& alta à longè cognoscit.* Psalm. 137.
Vultis videre hunc, ut sic dicam, divinæ sapientiæ lusum, quo Deus & Virgo colludunt, ille quidem exaltando, hæc autem abijciendo sese? En vobis igitur illa, quæ maximis naturæ donis exornata, quæ prudentia singulari pollebat, quæ præstanti pudicitia insignis erat, quæ forma & gratiâ quâdam præstabat, quæ regio sangvine excellebat; non recusat nubere fabro homini tenui, & de labore manuum suarum victum quæritanti. Salutatur cælitus ab Angelo divinæ voluntatis interprete, & audit: *Gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*: & ipsa reducens cogitationem ad se se non sanè honorificâ illâ appellatione intumescit, sed abhorret audire quasi minimè se deceat, quæ se infra omnes agnoscebat, & minimam: & ideo tacet, & cogitat qualis est hæc salutatio. Dum sic submittit sese, tantò magis attollitur; nam instat Angelus, in quo Deus loquebatur, Deus, *qui suscitat de pulvere egenum, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Virginem enim refugientem ab illa altitudine erigit; sic enim affatur: *Noli timere MARIA; invenisti enim gratiam apud Deum, concipies, & paries filium; hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum.* quasi dicat Angelus. O MARIA, quæ titulos illos, quibus affecta fuisti à me, hoc est: *Gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus*, quasi pro

 reveren-

ro factum est, Verbum, quod erat in principio, & quod erat apud Deum, & Deus erat Verbũ; ipsum, inquam, in ejus visceribus caro factũ est, in eâ, quæ caput ad terrã inflexerat, cum protestatione Ancillatus sui. Illa erexit se, effecta Mater Dei. An non hoc est proprijssimè minui in consummatione, & in consumatione mirabiliter crescere? Videmus enim MARIAM, cum Mater Dei declarata esset ab Angelo, ex illo dignitatis culmine, & honoris veluti plenitudine, seu consummatione encomiorum, atque honorificarum appellationũ diminuisse seipsam, dum Ancillam se nominavit; quod fuit minui in consummatione; atque cum reipsa statim Mater Dei effecta fuerit, quid aliud id fuit, quàm in consumatione mirabiliter crescere? nam quid admirabilius, quàm quod canit Ecclesia: *O admirabile commercium creator generis humani, animatum corpus assumens, de Virgine nasci dignatus est.* Vt cum Ecclesiasticus in laudem Lunæ protulit illud; luminare quod minuitur in consummatione, & crescens mirabiliter in consummatione; ad hanc gloriæ MARIANÆ ac submissionis vicissitudinem; ad istud inquam, quòd appellata Mater, Ancillam se dixerit, & exinde Dei Mater effecta sit; planè respexisse videatur. Nec aliud voluisse credendus est idem ipse Salomon, cum dixit de ea: *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho.* Cum enim Jericho in plano sit, & Cades mons sit: quid aliud significare voluit sapiens, cum MARIAM rosam in Jericho, & palmam in Cades nominavit, quàm alternam hanc, ut ita dicam, submersionem, & MARIÆ gloriosam emersionem, Eccl. 24.

 nem,

nem, dum ex ſui occultatione, illuſtrior atq; ſplendidior evadit, nec prætereundum iſtud eſt; miram in hac viciſſitudine ſubmiſſionis MARIANæ, divinæque exaltationis, ſervari proportionem, ut quò profundius demittit ſeſe MARIA, eò altiùs extollatur: Equidem auſim dicere, nec primus hujus author ſum; eam ſui deſpicientiam, qua MARIA dixit: Ecce Ancilla Domini; cum electa, jam jamq; declarata Dei Mater eſſet; majorem fuiſſe, quàm Davidis, cum ſe canem mortuum, & pulicem vnum, vel quã Abrahami, cum ſe pulverem indigitarunt: vnde etiam factum eſt ut ex profundiſſima abyſſo, ad ſummum verticem Maternitatis Dei exilierit. Ecquid ad rem hanc teſtandam magis appoſitum velimus? ipſa præfert in nomine ſuo, quod nos ratiocinando tentamus elicere: ajunt quippe Syriacæ linguæ non ignari, MARIAM idem eſſe quod ſtillam, ſeu guttam Maris diceremus; *Mar* enim eſt idipſum quod ſtilla, & *Iam* idem quod Mare; cumq; MARIAM ſit ſtilla Maris; nihilominus etiam eadem vox ſignificat id, quod nos latinè diceremus *Excelſa*; ut vna eademq; videlicet MARIA ſit ſtilla Maris in oculis ſuis, inq; æſtimatione ſui; eademq; planè excelſa & maxima Dei Mater, ita ut cum ſe Ancillam dixit: quæ Mater Dei erat, vtramq; nominis ſui ſignificationem expreſſerit. Decuit omnino nobiliſſimam hanc MARIÆ actionem, qua demittendo ſe infra omnes, ſuper evecta eſt; aliquo in ſacris literis paradigmate ſaltem leviter adumbrari. Id quod geſtum fuiſſe credo in Abigaële, de qua 1. Reg. c. 25. habetur, quòd cum legationem à Davide ſuſcepiſſet hujuſcemodi

Apud Spinelli.

1. Reg.

modi verbis expoſitam ab internuncio: *David miſit nos ad te, ut accipiat te ſibi vxorem: conſurgens illa* (ait Sacer codex) *adoravit prona in terram, & reſpondit: Ecce famula tua, ſit in Ancillam, ut lavet pedes Servorum Domini mei.* Quòd ſi admiranda cupiam videatur hæc animi demiſſio in Abigaële; electa quippe in Sponſam à Rege, cujus laus per id tempus in ore omnium verſabatur, ipſa ſe offert in Ancillam ipſorum̃et ſuorum, & quidem ad viliſſimum ſervitium, quod eſt pedum ſordes abluere: intelligat is, hanc Abigaëlis ſui abjectionẽ, cum cæteroquin Matrona nobilis eſſet, & opibus polleret, vmbram duntaxat fuiſſe, & tenue quoddam delineamentum MARIANÆ ſubmiſſionis; quod fateri neceſſe habemus, ut juſtā elegantemq; inter vtramque, id eſt, Abigaëlem & MARIAM, efficiamus ſymetriam; nam quantò major erat dignitas, ad quam invitabatur MARIA, quā ea, ad quam vocabatur Abigaïl, tantò etiam major erat MARIÆ profundiorq; humilitas, quàm fuerit Abigaëlis: ſimilitudo tamen inter illam & hanc intercedit, quòd vtraque abijciendo ſe ſe, ad Reginæ celſitudinem erecta eſt: & ut initio dixi, ſententia Chriſti illa optimè ſibi conſtat, quòd *Qui ſe humiliat exaltabitur*: cujus rei ſpecimen præclariſſimum exhibitum eſt in MARIA, & non modò ſpecimen, ſed exemplum, quod imitari debeamus.

§. 3. Il-

§. III.

Illuſtratur magis Humilitas B. Virginis, per collationem ad morem Luciferi, & aſſeclarum, qui non ſolum aſpirant ad dignitates, ſed etiam ex ijs intumeſcunt.

QVis credat eam cogitationem vel leve veſtigium in corde MARIÆ aliquando feciſſe videlicet ſi fortè ipſa ſit, cui contingat ad dignitatem Matris evehi: cum cœteroquin per id tempus prope abeſſe non ignorarēt quique religioſiores Meſſiæ adventum. Certè ſi vel tenuiſſimam eâ de re cogitationem, aut ſpem concepiſſet; minimè turbata fuiſſet in re expectatâ; aut ſpe ſaltem aliquâ veluti prehenſatâ: etenim cum ei id palam annunciaretur, agēte tamen vili de ſe opinione, quam altius animo imbiberat, ſuſpendit aſſenſum, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Imò quia ingens illud laudum ſuarum pondus, hoc eſt: *Gratiâ plena, benedicta tu in mulieribus*: ferre non poterat; volens abſterretur, & refugit audire, quod non poterat de ſeipſa ſentire.

Duo, liceat mihi hîc, ingenuæ probatæq; animi demiſſionis MARIANÆ teſtimonia recenſere. Alterum eſt quòd homines plerique quoniam ambitioſi ſumus, atq; alius alio magis honoris cupidus; quippe à patre noſtro Adamo minimè degeneravimus; cum vacat locus honoratus, ſi quo modo ſubrogatio in

tio in eum dignitatis gradũ, ad nos ſpectare poteſt, prehenſamus illum animo, & cogitatione nobis velut auguramur. Non ſic MARIA; nam etſi jam ablatum eſſet ſceptrum de fęmore Judæ, & expectaretur is, qui promiſſus olim fuerat, neq; ignorare iſtud poſſet Virgo religioſiſſima, & Meſſiæ adventus ſtudioſiſſima quæque (ut alias dixi) oracula Prophetarum quotidianâ meditatione pertractaret, imò etiam in cantico ſuo promiſſionis Abrahæ factæ & patribus ævi ſuperioris meminerit: Nihilominus allato cælitus ad ſe nuncio, quòd Meſſias ex ea naſciturus eſſet, ita ſe geſſit in hâc denunciatione, ac ſi nunquam in ejus animâ vel vmbra cogitationis hujuſmodi fuiſſet, aut quidpiam tale vel aliud agenti incidiſſet; ſicut revera nunquam eam cogitationem animo voluerat; aut minimâ ſuſpiciunculâ animi ejus (ut ita dicam) ſuperficiem attigerat ſpes aliqua concepta de ſe eò quòd, præ magnâ ſui deſpicentia, ad dignitatem Matris Dei neutiquam aliquando aſpirarat, cujus rei manifeſtum eſt indicium, quòd cum legationem Angeli ſuſcepiſſet, turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet ea ſalutatio; quia admodum ipſi nova, inexpectata, atque planè animo ſuo inſolens acciderat; neq; enim, quod cœteroquin alicui fœminarum non ignorabat propediem afferendum Maternitatis Dei inſigne, ſibi putabat deferendum. quod ſi bene perpendatur habitâ pariter tot illuſtriſſimarum ejus virtutum ratione, & omnis generis excellentiæ, quam in electam genitricem ſuam Deus largâ manu congeſſerat; non poteſt non videri ipſa admiratione admirabilius. Atq; quoniam (ut vul-

gari proverbio dicitur) *Oppoſitorum eadem eſt ſcientia*, hoc eſt, vno adverſantium inter ſe cognito, cognoſci & alterum: Si quis quanta fuerit in Virgine modeſtia in eo, quòd nihil ſuſpicata ſit, ſe Dei Matrem futuram, ſcire deſiderat; ex arrogantia Luciferi iſtud conijciat. is quippe, ut quorundam fert ſententia, opinatus eſt fore ut ad hypoſtaſin Verbi aſſumeretur; aut certè divinum aliquid ab eo expetitum fuit, quod ſuadere videntur ea, quæ habentur Jobi 41. & Ezech. 28. hoc eſt: *Omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. & *Elevatum eſt cor tuum in decore tuo.* Vnde Archangelus Michaël, qui conatibus ejus obſtitit, in nomine præfert clypeum; quid enim Michael, ſi vocis ejus ſignificatio exponatur, aliud ſonat, quàm, *Quis ut Deus?* Huic ergo ſuperbiſſimo opponitur MARIA, quæ ne tenuiſſimam quidem cogitationem ſuſcepit aliquando, ſe Dei Matrem futuram (cum cæteroquin haberet vnde ſubodorari de ſe aliquid ſimile poſſet.) Numquid non hoc fuit ſerpentis caput conterere, cùm per humillimum animi ſui cogitatum, Altitudinem elationemq; Sathanæ redarguit, & quàm abominabilis eſſet oſtendit? & quid magis appoſitè dici poteſt, quàm conteri caput ſuperbi, ſeu arrogantiam elati animi pede calcari, quando per abjectionem, atque deſpicientiam ſui, qui præſtantiſſimus alioquin ſit, faſtus alterius, ac ſupercillium omnibus pate fit, ut quàm execrandus ſit animi typhus, omnibus manifeſtè appareat?

Vide Franc. Soarez de Angelis l. 7. cap. 13. qui valde probabilem ſententiam vocat eã, quæ tenet divinam hypoſtaſin à Lucifero expetitam.

Alterum, quod velim vos animo perpendere de Humilitate animi Virginei, eſt; quòd nos quidem fere ex

ferè ex dignitate inſoleſcere, & ſumere animos cum altiore gradu etiam majores ſoliti ſimus, MARIA in culmine faſtigioq; honoris (quid enim homini excelſum magis contingere poteſt, quàm Deum genuiſſe?) abijcit ſe ſe: tantumq; abeſt, ut jam reliquos mortalium aſpernata præ ſe fuerit, aut dedignata; ut etiam (qui ſummus Humilitatis eſt gradus,) inferioris conditionis hominibus detulerit; eoſq; ut majores ſe habuerit, atque ita tractaverit. Factitavit nempe ipſa erga minores ſe, quod ejus filius adverſus eam ac Joſephum poſtea præſtiturus erat; & adijt ad Eliſabetham, quam partui appropinquare ex Angelo cognôrat, ut videlicet juvenis ipſa, attamen Dei Mater ſerviret ſeniori, & Ancillæ miniſteria obiret: ut mirum profectò non ſit, ſi ad tantæ rei novitatem, inuſitatamq; ſubmiſſionem, atque exemplum, Eliſabetha obſtupuit, & velut attonita exclamavit; *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* & reddit cauſam ſtuporis ſui, miraculum nempe, quod è ſalutatione MARIÆ ſenſerat accidiſſe ſibi; geſtientem videlicet intra viſcera ſua præ gaudio, parvulum; in quo tantò major eminet MARIÆ modeſtia, eoq; eſt comendabilior, quòd non ſolùm tunc, cum ſibi ſoli ſua dignitas comperta eſſet, ſed etiam quando alteri innotuerat nihilominus ſubjecta permanſerit. Eſt ſanè, quod valde admiremur cum Eliſabethâ; quòd nempe ea dignitas præſertim cum tanta vitæ innocentia conjuncta; ita ſe inferiori poſt habuerit: nam (ut ait Bernardus Serm. 45. in Cant.) in eo, qui graviter peccavit, amanda quidem, non tamen admiranda eſt Humilitas; ut ſtu-

penda sit MARIÆ animi demissio; quod cum adeo sublimis, ac prorsus innoxia esset; attamen se tantùm demiserit infra eam, quam Matrem servi, non ignorabat, seque Domini & Dei Genitricem sciret: vna res potest nonnihil hujus admirationis atq; stuporis vehementiam temperare, quòd esset Mater ejus, qui discipulorum suorum pedes loturus erat; quique non modò Matri, sed ipsis lictoribus ac tortoribus suis obtemperaturus fuerat.

§. IV.

Humilitas B. Virginis in eo etiam sibi constat, quòd dona sua Deo in acceptis tulit, quodq; ea res divinam provocet liberalitatem.

ILla igitur, quæ Dei Mater non solùm designata; sed jam filio, qui est in sinu Patris gravida; cum veluti in eâ suâ consummatione se se minuisset adeundo ad Elisabetham, eique sua parturienti obsequia deferendo, audit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui; & vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me! Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in vtero meo! & Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Quid agis ô MARIA, ad tantam tui commendationem, ex ore prophetantis prolatam? Testimonium Dei est, & dubitare nefas, quin verè Mater Domini sis, & benedicta inter mulieres. Audis ad hæc, quod cum vocis tuæ alloquium

Ambr. t. 1. ca. 6. Suar. t. 2. in 3. p. d. 24. s. 4.

loquium in auribus Eliſabethæ inſonuit, præcurſor filij tui exultarit gaudio in vtero Matris; prius renatus, quàm natus: delatum vtique hoc tuæ præſentiæ eſt; ut non prius à primœva labe eriperetur Joannes; atque Sanctitatis ſtola inſignitus propheta quoque efficeretur, quàm ipſa adeſſes, tantiq; fieres conſcia myſterij. Quid ſentis inter tot laudum tuarum præconia? Aperi quæſo mentem tuam, quæ in ſimili eventu fiat nobis regula, & rectè ſentiēdi norma. *Scio*, inquit, *ſcio vera hæc eſſe omnia elogia: Dei Matrem me agnoſco, & benedictam inter mulieres, adeoq; beatam: verùm non inde placeo mihi, ſed Magnificat anima mea Dominum, & exultavit quidem Spiritus meus, ſed in Deo ſalutari meo; Luna ſum, & minuor in conſummatione; lumen, quod à Sole recepi, ipſi me ſubijciendo, occulto, refundoq; in authorem, quidquid ex illo habeo, & nihil eſt, quod ab illo non habeam*: Quaſi reipſa dicat: gloriari non poſſum de munere, quod accepi; nam ſi accepi, ſolûm de largientis munificentia gloriari poſſum. Ergo Magnificat anima mea mea Dominum, & ſi quod admittendum eſt gaudium de beneficio; idcirco gaudere duntaxat poſſum, quòd habeam tam beneficum, benignum, Sanctumq; largitorem & Dominum. Atque hæc eſt humilitatis Chriſtianæ forma, & ratio vnica, quam oſtendit nobis MARIA, ut credamus, fateamurq; nos ex nobis nihil habere, vnde gloriari poſſimus, tanquam de proprio; ſed totum id ex Deo eſſe, qui etiam ſolus à ſeipſo eſt, & ipſe fecit nos, & non ipſi nos, adeoque etiam ipſum quod ſumus ex Deo totum eſt. Sit ergo quiſpiam ingenio, & ſcientia præditus non vul-

gari, polleat prudentiâ, valeat agendi dexteritate, ſit à viribus corporis & formâ inſtructus, clareat natalibus, abundet opibus, & quibuſcunque demum prærogativis excellat, ut vel etiam ipſi Pandoræ naturæ dotibus antecellat; ſi tamen is MARIÆ velit eſſe imitator, dicere habet cum illa: *Magnificat anima mea Dominum.* Et; *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* Quod ſi etiam aliquod de donis datis admittendum eſt gaudium; non in ſe, ſed *Exultabit Spiritus ejus in Deo ſalutari ſuo.* Et ſanè videre eſt quemadmodum in reliquo ſuo cantico MARIA agnoſcat quidquid haberet, ex ſemetipſa non habere, nec agnoſcat modò ſed (qui humilitatis major eſt gradus) etiam palam fateatur tunc, cum admirationi eſſet ſua excellentia Eliſabethæ: ait enim: *Reſpexit humilitatem Ancillæ;* quod non ad virtutem aliquam ſuam retulit, animiue ſubmiſſionem, quam cæteroquin receptâ paſſim conſvetudine loquendi, humilitatem dicimus, etſi minùs fortaſſe voce latinâ, attamen ſignificante apud omnes vilem ſui exiſtimationem; non, inquam, cum MARIA dixit: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ;* ad vilem, quem gerebat in animo ſenſum, ſeu opinionem de ſe ſignificandam proſpexit: ſed dicere voluit, abjectionem ſuam vilitatemq; à Deo contemptui habitam non fuiſſe, juxta illud Apoſtoli; *Qui ſuſcitabit corpus humilitatis noſtræ:* id eſt, vile & abjectum corpus. Quid igitur gloriatur illa, quæ Eliſabethæ præconio dilaudata? quid reſpondet? *Deus,* inquit illa, *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ;* & *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* Et illud: *Miſericordia ejus à progenie in progenies.* Et etiam id: *Exaltavit*

humiles,

humiles; hoc eſt, tenues & abjectos. Atq; præterea: *Eſurientes implevit bonis.* Quæ omnia ſonant Dei liberalitatem, potẽtiam, miſericordiam; non autem ullam ipſiuſmet Virginis juſtitiam, aut merita ipſius prætendunt. Quàm verè igitur per Salomonem Spiritus Sanctus hanc ipſam Virginem ita loquentem exhibuit: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, Nardus mea dedit odorem ſuavitatis*: hoc eſt; Chriſto, qui Rex Regum eſt, in accubitu ſuo, ſive in ſinu meo, tanquam in ſtrato pulcherrimo reſidente; nardus mea, quæ tropologicè humilitas eſt, fragrantiam ſuaveolentiſſimam inhalavit; dum ea, quæ collata mihi cælitus fuerant, in eorum retuli authorem. *Cantic. 1.*

Atque hic liceat mihi hoc dicere, deq; divina ſapientia ita ſentire; quòd cum verè magna feciſſet Virgini, is qui potens eſt, & tanta, ut in neminem unquam majora gratiæ dona contulerit, aut collaturus in poſterum ſit, quàm effuderit in MARIAM; naſcendo quippe ex ea, ſuam effecit genitricem, adeoq; per omnes divinæ paginæ libros celebrem, totiq; cæleſti curiæ & ipſis Eccleſiæ primatibus ſpectabilem. Is, inquam, qui per Iſaiam c. 42. dixit: *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo*: voluit gloriæ ſuæ ſtudioſiſſimus Deus eâ ratione oſtendere quàm bene, cautè erogârit in MARIAM gratiarum ſuarum theſauros, cum beneficium non apud eam veluti ſtagnaret, ſed in ipſummet largitorem redundaret, atque inſtar fluminis inundantiſſimi, prout è mari exiverat rurſum in mare per gratiarum actionem, laudem, & accepti muneris confeſſionem reciprocaret, bene namq; talenta concreduntur *Iſaias.*

duntur ei, qui de accommodatis lucrum refert, & non ſibi, ſed Domino de bonis Domini quæſtum facit. Et verò ut Deus molem tantæ gloriæ, ſeu Dei genitricis dignitatem tutó ſuper exſtrueret, prius altiſſimè fodit; nec prius deſivit effodere, quàm perveniret, ut ajunt, ad terram Virginem; atque hæc fuit Virgo MARIA, quæ cum humillima reperta eſſet, ibi citra vllum periculum ruinæ, jacta ſunt fundamenta tantæ celſitudinis: eaq; in re filij ſui MARIA egregia fuit imitatrix, nam ſicuti de illo dictum eſt; *Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Ita B. Virgo cum ſe ſe abjeciſſet, ut jam ferre poſſet pondus illud gloriæ è dignitate Matris; tum nihil veritus eſt Deus ei ſuper imponere molem; illi, inquam, quæ juxta 70. interpretationem, ab æterno fundata eſt, hoc eſt, per ſui demiſſionem, planè in quandam abyſſum demerſa. Atque hinc diſcere poſſumus, qui nam ſint divinis donis, & gratijs capeſſendis magis idonei; & omnino ſunt illi, qui de ſe quod ſunt, hoc ſentiunt, id eſt nihil; nam apud eos, qui ſic affecti ſunt non poſſunt Dei dona obſordeſcere; hoc enim vult Deus, ut ipſe extollatur ipſe, qui ſolus bonus & potens, & creator omnium eſt: *Magna* (inquit Eccleſiaſticus c. 3.) *potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur*, quod tunc vſuvenit, cum non ſibi, ſed Deo præclare à ſe geſta, ac ſingularia dona ſua tribuunt, qui mos humilium eſt quàm maximè proprius, ut quidem videre eſt in MARIA.

Ad Eph. 4.

§. V.

§. V.

Quod B. Virgo in actione, silentio de rebus proprijs, in vestitu, atque habitatione; Humilitatem præstiterit.

ALij virtutis hujus, quasi stellæ, radij illucescunt, nam præterquam quod Mater Dei visitandi gratiâ adijt ad Elisabetham, in ejus etiam obsequio diutius versata est, nihilq; quantumvis humile recusavit obire eorum, quæ in domesticis munijs facienda occurrunt: nam quis eam secus fecisse sibi persuadeat, cum & charitate plena esset, atque prudentissima, ut facile judicare potuerit non decuisse desidem, otiosamq; in alienâ domo videri: quare sedula, & prima factitabat opus, nihilq; detrectabat, quod senibus illis, Zachariæ, inquam, & Elisabethæ, gratum aut commodum arbitrabatur: ut quidem spectaculum conscijs Angelis, ipsiq; Elisabethæ, nullũ potuerit jucundius, aut admiratione majori dignum ad eam diem accidere. Narrat Illustrissimus annalium scriptor ad annum Christi 330. de Ovino Gallicano, quod cum hic abdicato consulatu, & repudiato Constantiæ Cæsaris filiæ connubio, & quidem post insignem de hostibus victoriam reportatam, se se ad ostia tiberina recepisset, ibiq; excipiendis peregrinis vacaret, ingentem ex ea fama & facto, vrbis & orbis, stuporem consecutum fuisse. Quòd si Ovinus Gallicanus humilitatem

Humilitas in actione.

Cæsar Barõ.

Christi amplexus, aut Carolomanus Pippini Regis Francorum frater pascendis ovibus, aut culinæ addictus munijs, (religiosus Ordinis S. Benedicti effectus) admirationem parere potuêre: quantum stuporis conciliare debuit spectaculum illud, cum MARIA scilicet, quæ Deo gravida sciebatur ab Elisabetha, in domesticis servitijs versaret seipsam? Tunc sanè dicere potuit MARIA: *Nardus mea dedit odorem suavitatis*; Et quia *domus impleta est ex odore unguenti*; Quis enim domesticorum humilitatis hujus fragrãtiam non percepit? quis pæne animo non defecit, cum Virginem regia stirpe oriundam, atque omni virtutum genere cumulatam prospiceret ad vilissima quæque se se demittentem? Verùm sublegamus MARIÆ iter, & vbique impressa humilitatis vestigia deprehendemus. Nam cum primùm à montanis descendisset, putamus ne illam domos circum cursitasse, seq; de tanto thesauro, quem gerebat in vtero jactavisse, vel ostentasse? *Nemo quidem in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse*, increduli etiamnum Christi fratres dicebant: sed nemo, qui gloriam ab hominibus mendicat, & gloriam non in Deo, sed in altero quærit. At MARIA non sic; quæ etiam Josepho viro Sancto, & quod plus est, conjugi suo non aperuit ea, quæ sibi dicta fuerant ab Angelo, atque intra seipsam comperiebat; legerat enim: *Laudent te alienus, & non os tuum*; eaq; modestia Virginalis, atque submissio animi incredibilis non sinebat quidquam elabi, quò vel longo intervallo, aliquid de se tale liceret odorari, quòd nempe ipsa esset, quæ Messiam gestaret in vtero, & *desiderium collium æternorum*, hoc est,

Baronn. ad annũ Christi 747.

Cant. 1. v. 3.

Joan. 7.

Silentiũ de rebus proprijs.

Prob. 27.

Gen. 49.

hoc est, omnium Patriarcharum ac Prophetarum, ipsa gremio suo concluderet. Radius hic stellæ hujus, quæ pars ea humilitatis est, quæ in tegendâ excellentia propria versatur, ita mihi lucet, ut nullum sidus eo fulgentius videatur, Ille quidem de spiritu mundi plenus cructabat: *Nemo in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse*; & verissimè dictum est. nam quis ignorat, quàm ostentationis vitium latè pateat? non solum non patimur ea, quæ quoquo modo ad laudem commendationemq; spectant oblivione obrui, aut silentio involui, ut etiam jactemus quædam præclara, aut exaggeremus, quæ minimè fecimus; ut fuerit MARIÆ humilitas in hoc genere taciturnitatis, planè admiranda. Neque enim sivit illa sibi persuaderi ab illa insidiatrice cogitatione: *Dic marito, aperi Sponso tuo, vel ad tollendam suspicionem violatæ fidei; ne ergo subticeas edic ordine, quæ ab Angelo accepisti; res postulat, vel Iosepho pandas mysterium.* Stupeo in consideratione tanti silentij tam insigne miraculum, & illustrissimum donum sibi divinitus concessum, ab ea etiam cum dispendio honoris celari potuisse; cum aperiendo maximum gloriæ quæstum facere potuerit: stupeo, inquam, pariterq; indignor mihimetipsi. Vbi enim nunc jactatio nostra, seu gloriatio de dictis, ac præclaris factis; de numero auditorum, exomologesi expiatorum, de laboribus exantlatis, de diuturnitate temporis, de obitis muneribus, alijsq; insignibus nostris quæ utinam exemplo MARIÆ discamus non è colloquijs modò sed verò etiam ex animo obliterare. Pressit ergo omnia MARIA silentio, itaq; deinceps

§. III.

Illuſtratur magis Humilitas B. Virginis, per collationem ad morem Luciferi, & aſſeclarum, qui non ſolum aſpirant ad dignitates, ſed etiam ex ijs intumeſcunt.

QVis credat eam cogitationem vel leve veſtigium in corde MARIÆ aliquando feciſſe videlicet ſi fortè ipſa ſit, cui contingat ad dignitatem Matris evehi: cum cœteroquin per id tempus prope abeſſe non ignoraret quique religioſiores Meſſiæ adventum. Certè ſi vel tenuiſſimam eâ de re cogitationem, aut ſpem concepiſſet; minimè turbata fuiſſet in re expectatâ; aut ſpe ſaltem aliquâ veluti prehenſatâ: etenim cum ei id palam annunciaretur, agēte tamen vili de ſe opinione, quam altius animo imbiberat, ſuſpendit aſſenſum, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Imò quia ingens illud laudum ſuarum pondus, hoc eſt: *Gratiâ plena, benedicta tu in mulieribus*: ferre non poterat; volens abſterretur, & refugit audire, quod non poterat de ſeipſa ſentire.

Duo, liceat mihi hîc, ingenuæ probatæq; animi demiſſionis MARIANÆ teſtimonia recenſere. Alterum eſt quòd homines plerique quoniam ambitioſi ſumus, atq; alius alio magis honoris cupidus; quippe à patre noſtro Adamo minimè degeneravimus; cum vacat locus honoratus, ſi quo modo ſubrogatio in

tio in eum dignitatis gradū, ad nos ſpectare poteſt, prehenſamus illum animo, & cogitatione nobis velut auguramur. Non ſic MARIA; nam etſi jam ablatum eſſet ſceptrum de femore Judæ, & expectaretur is, qui promiſſus olim fuerat, neq; ignorare iſtud poſſet Virgo religioſiſſima, & Meſſiæ adventus ſtudioſiſſima quæque (ut alias dixi) oracula Prophetarum quotidianâ meditatione pertractaret, imò etiam in cantico ſuo promiſſionis Abrahæ factæ & patribus ævi ſuperioris meminerit: Nihilominus allato cælitus ad ſe nuncio, quòd Meſſias ex ea naſciturus eſſet, ita ſe geſſit in hâc denunciatione, ac ſi nunquam in ejus animâ vel vmbra cogitationis hujuſmodi fuiſſet, aut quidpiam tale vel aliud agenti incidiſſet; ſicut revera nunquam eam cogitationem animo voluerat; aut minimâ ſuſpiciunculâ animi ejus (ut ita dicam) ſuperficiem attigerat ſpes aliqua concepta de ſe eò quòd, præ magnâ ſui deſpicentia, ad dignitatem Matris Dei neutiquam aliquando aſpirarat, cujus rei manifeſtum eſt indicium, quòd cum legationem Angeli ſuſcepiſſet, turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet ea ſalutatio; quia admodum ipſi nova, inexpectata, atque planè animo ſuo inſolens acciderat; neq; enim, quod cœteroquin alicui fœminarum non ignorabat propediem afferendum Maternitatis Dei inſigne, ſibi putabat deferendum. quod ſi bene perpendatur habitâ pariter tot illuſtriſſimarum ejus virtutum ratione, & omnis generis excellentiæ, quam in electam genitricem ſuam Deus largâ manu congeſſerat; non poteſt non videri ipſa admiratione admirabilius. Atq; quoniam (ut vul-

gari proverbio dicitur) *Oppoſitorum eadem eſt ſcientia*, hoc eſt, vno adverſantium inter ſe cognito, cognoſci & alterum: Si quis quanta fuerit in Virgine modeſtia in eo, quòd nihil ſuſpicata ſit, ſe Dei Matrem futuram, ſcire deſiderat; ex arrogantia Luciferi iſtud conijciat. is quippe, ut quorundam fert ſententia, opinatus eſt fore ut ad hypoſtaſin Verbi aſſumeretur; aut certè divinum aliquid ab eo expetitum fuit, quod ſuadere videntur ea, quæ habentur Jobi 41. & Ezech. 28. hoc eſt: *Omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* & *Elevatum eſt cor tuum in decore tuo.* Vnde Archangelus Michaël, qui conatibus ejus obſtitit, in nomine præfert clypeum; quid enim Michael, ſi vocis ejus ſignificatio exponatur, aliud ſonat, quàm, *Quis ut Deus?* Huic ergo ſuperbiſſimo opponitur MARIA, quæ ne tenuiſſimam quidem cogitationem ſuſcepit aliquando, ſe Dei Matrem futuram (cùm cæteroquin haberet vnde ſubodorari de ſe aliquid ſimile poſſet.) Numquid non hoc fuit ſerpentis caput conterere, cùm per humillimum animi ſui cogitatum, Altitudinem elationemq; Sathanæ redarguit, & quàm abominabilis eſſet oſtendit? & quid magis appoſitè dici poteſt, quàm conteri caput ſuperbi, ſeu arrogantiam elati animi pede calcari, quando per abjectionem, atque deſpicientiam ſui, qui præſtantiſſimus alioquin ſit, faſtus alterius, ac ſupercillium omnibus pate fit, ut quàm execrandus ſit animi typhus, omnibus manifeſtè appareat?

Vide Franc. Soarez de Angelis l. 7. cap. 13. qui valde probabilem ſententiam vocat eã, quæ tenet divinam hypoſtaſin à Lucifero expetitam.

Alterum, quod velim vos animo perpendere de Humilitate animi Virginei, eſt; quòd nos quidem

ferè ex

ferè ex dignitate inſoleſcere, & ſumere animos cum altiore gradu etiam majores ſoliti ſimus, MARIA in culmine faſtigioq; honoris (quid enim homini excelſum magis contingere poteſt, quàm Deum genuiſſe?) abijcit ſe ſe; tantumq; abeſt, ut jam reliquos mortalium aſpernata præ ſe fuerit, aut dedignata; ut etiam (qui ſummus Humilitatis eſt gradus,) inferioris conditionis hominibus detulerit; eoſq; ut majores ſe habuerit, atque ita tractaverit. Factitavit nempe ipſa erga minores ſe, quod ejus filius adverſus eam ac Joſephum poſtea præſtiturus erat; & adijt ad Eliſabetham, quam partui appropinquare ex Angelo cognôrat, ut videlicet juvenis ipſa, attamen Dei Mater ſerviret ſeniori, & Ancillæ miniſteria obiret: ut mirum profectò non ſit, ſi ad tantæ rei novitatem, inuſitatamq; ſubmiſſionem, atque exemplum, Eliſabetha obſtupuit, & velut attonita exclamavit; *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* & reddit cauſam ſtuporis ſui, miraculum nempe, quod è ſalutatione MARIÆ ſenſerat accidiſſe ſibi; geſtientem videlicet intra viſcera ſua præ gaudio, parvulum; in quo tantò major eminet MARIÆ modeſtia, eoq; eſt comendabilior, quòd non ſolùm tunc, cum ſibi ſoli ſua dignitas comperta eſſet, ſed etiam quando alteri innotuerat nihilominus ſubjecta permanſerit. Eſt ſanè, quod valde admiremur cum Eliſabethâ; quòd nempe ea dignitas præſertim cum tanta vitæ innocentia conjuncta; ita ſe inferiori poſt habuerit: nam (ut ait Bernardus Serm. 45. in Cant.) in eo, qui graviter peccavit, amanda quidem, non tamen admiranda eſt Humilitas; ut ſtu-

penda ſit MARIÆ animi demiſſio, quod cum adeo ſublimis, ac prorſus innoxia eſſet; attamen ſe tantùm demiſerit infra eam, quam Matrem ſervi, non ignorabat, ſeque Domini & Dei Genitricem ſciret: vna res poteſt nonnihil hujus admirationis atq; ſtuporis vehementiam temperare, quòd eſſet Mater ejus, qui diſcipulorum ſuorum pedes loturus erat; quique non modò Matri, ſed ipſis lictoribus ac tortoribus ſuis obtemperaturus fuerat.

§. IV.

Humilitas B. Virginis in eo etiam ſibi conſtat, quòd dona ſua Deo in acceptis tulit, quodq; ea res divinam provocet liberalitatem.

ILla igitur, quæ Dei Mater non ſolùm deſignata; ſed jam filio, qui eſt in ſinu Patris gravida; cum veluti in eâ ſuâ conſummatione ſe ſe minuiſſet adeundo ad Eliſabetham, eique ſua parturienti obſequia deferendo, audit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui; & vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo: & Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Quid agis ô MARIA, ad tantam tui commendationem, ex ore prophetantis prolatam? Teſtimonium Dei eſt, & dubitare nefas, quin verè Mater Domini ſis, & benedicta inter mulieres; Audis ad hæc, quod cum vocis tuæ alloquium

Ambr. t. 1. ca. 6. Suar. t. 2. in 3. p. d. 24. ſ. 4.

loquium in auribus Elisabethæ insonuit, præcursor filij tui exultarit gaudio in vtero Matris; prius renatus, quàm natus: delatum vtique hoc tuæ præsentiæ est; ut non prius à primœva labe eriperetur Joannes; atque Sanctitatis stola insignitus propheta quoque efficeretur, quàm ipsa adesses, tantiq; fieres conscia mysterij. Quid sentis inter tot laudum tuarum præconia? Aperi quæso mentem tuam, quæ in simili eventu fiat nobis regula, & rectè sentiẽdi norma. *Scio,* inquit, *scio vera hæc esse omnia elogia: Dei Matrem me agnosco, & benedictam inter mulieres, adeoq; beatam: verùm non inde placeo mihi, sed Magnificat anima mea Dominum, & exultavit quidem Spiritus meus, sed in Deo salutari meo; Luna sum, & minuor in consummatione; lumen, quod à Sole recepi, ipsi me subijciendo, occulo, refundoq; in authorem, quidquid ex illo habeo, & nihil est, quod ab illo non habeam:* Quasi reipsa dicat: gloriari non possum de munere, quod accepi; nam si accepi, solûm de largientis munificentia gloriari possum. Ergo Magnificat anima mea mea Dominum, & si quod admittendum est gaudium de beneficio; idcirco gaudere duntaxat possum, quòd habeam tam beneficum, benignum, Sanctumq; largitorem & Dominum. Atque hæc est humilitatis Christianæ forma, & ratio vnica, quam ostendit nobis MARIA, ut credamus, fateamurq; nos ex nobis nihil habere, vnde gloriari possimus, tanquam de proprio; sed totum id ex Deo esse, qui etiam solus à seipso est, & ipse fecit nos, & non ipsi nos, adeoque etiam ipsum quod sumus ex Deo totum est. Sit ergo quispiam ingenio, & scientia præditus non vul-

gari, polleat prudentiâ, valeat agendi dexteritate, ſit à viribus corporis & formâ inſtructus, clareat natalibus, abundet opibus, & quibuſcunque demum prærogativis excellat, ut vel etiam ipſi Pandoræ naturæ dotibus antecellat; ſi tamen is MARIÆ velit eſſe imitator, dicere habet cum illa: *Magnificat anima mea Dominum*. Et; *Fecit mihi magna, qui potens eſt*. Quod ſi etiam aliquod de donis datis admittendum eſt gaudium; non in ſe, ſed *Exultabit Spiritus ejus in Deo ſalutari ſuo*. Et ſanè videre eſt quemadmodum in reliquo ſuo cantico MARIA agnoſcat quidquid haberet, ex ſemetipſa non habere, nec agnoſcat modò ſed (qui humilitatis major eſt gradus) etiam palam fateatur tunc, cum admirationi eſſet ſua excellentia Eliſabethæ: ait enim: *Reſpexit humilitatem Ancillæ;* quod non ad virtutem aliquam ſuam retulit, animiue ſubmiſſionem, quam cæteroquin receptâ paſſim conſuetudine loquendi, humilitatem dicimus, etſi minùs fortaſſe voce latinâ, attamen ſignificante apud omnes vilem ſui exiſtimationem; non, inquam, cum MARIA dixit: *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*; ad vilem, quem gerebat in animo ſenſum, ſeu opinionem de ſe ſignificandam proſpexit; ſed dicere voluit, abjectionem ſuam vilitatemq; à Deo contemptui habitam non fuiſſe, juxta illud Apoſtoli; *Qui ſuſcitabit corpus humilitatis noſtræ:* id eſt, vile & abjectum corpus. Quid igitur gloriatur illa, quæ Eliſabethæ præconio dilaudata? quid reſpondet? *Deus*, inquit illa, *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*; &; *Fecit mihi magna, qui potens eſt*. Et illud; *Miſericordia ejus à progenie in progenies*. Et etiam id: *Exaltavit humiles*,

humiles; hoc eſt, tenues & abjectos. Atq; præterea: *Eſurientes implevit bonis*. Quæ omnia ſonant Dei liberalitatem, potētiam, miſericordiam; non autem ullam ipſiuſmet Virginis juſtitiam, aut merita ipſius prætendunt. Quàm verè igitur per Salomonem Spiritus Sanctus hanc ipſam Virginem ita loquentem exhibuit: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, Nardus mea dedit odorem ſuavitatis*: hoc eſt; Chriſto, qui Rex Regum eſt, in accubitu ſuo, ſive in ſinu meo, tanquam in ſtrato pulcherrimo reſidente; nardus mea, quæ tropologicè humilitas eſt, fragrantiam ſuaveolentiſſimam inhalavit; dum ea, quæ collata mihi cælitus fuerant, in eorum retuli authorem. *Cantic. 1.*

Atque hic liceat mihi hoc dicere, deq; divina ſapientia ita ſentire; quòd cum verè magna feciſſet Virgini, is qui potens eſt, & tanta, ut in neminem unquam majora gratiæ dona contulerit, aut collaturus in poſterum ſit, quàm effuderit in Mariam; naſcendo quippe ex ea, ſuam effecit genitricem, adeoq; per omnes divinæ paginæ libros celebrem, totiq; cæleſti curiæ & ipſis Eccleſiæ primatibus ſpectabilem. Is, inquam, qui per Iſaiam c. 42. dixit: *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo*: voluit gloriæ ſuæ ſtudioſiſſimus Deus eâ ratione oſtendere quàm bene, cautè erogârit in Mariam gratiarum ſuarum theſauros, cum beneficium non apud eam veluti ſtagnaret, ſed in ipſummet largitorem redundaret, atque inſtar fluminis in undantiſſimi, prout è mari exiverat rurſum in mare per gratiarum actionem, laudem, & accepti muneris confeſſionem reciprocaret, bene namq; talenta concreduntur *Iſaias.*

duntur ei, qui de accommodatis lucrum refert, & non ſibi, ſed Domino de bonis Domini quæſtum facit. Et verò ut Deus molem tantæ gloriæ, ſeu Dei genitricis dignitatem tutò ſuper exſtrueret, prius altiſſimè fodit; nec prius deſivit effodere, quàm perveniret, ut ajunt, ad terram Virginem; atque hæc fuit Virgo MARIA, quæ cum humillima reperta eſſet, ibi citra vllum periculum ruinæ, jacta ſunt fundamenta tantæ celſitudinis: eaq; in re filij ſui MARIA egregia fuit imitatrix, nam ſicuti de illo dictum

Ad Eph. 4. eſt; *Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Ita B. Virgo cum ſe ſe abjeciſſet, ut jam ferre poſſet pondus illud gloriæ è dignitate Matris; tum nihil veritus eſt Deus ei ſuper imponere molem; illi, inquam, quæ juxta 70. interpretationem, ab æterno fundata eſt, hoc eſt, per ſui demiſſionem, planè in quandam abyſſum demerſa. Atque hinc diſcere poſſumus, qui nam ſint divinis donis, & gratijs capeſſendis magis idonei; & omnino ſunt illi, qui de ſe quod ſunt, hoc ſentiunt, id eſt nihil; nam apud eos, qui ſic affecti ſunt non poſſunt Dei dona obſordeſcere; hoc enim vult Deus, ut ipſe extollatur ipſe, qui ſolus bonus & potens, & creator omnium eſt: *Magna* (inquit Eccleſiaſticus c. 3.) *potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur*, quod tunc vſuvenit, cum non ſibi, ſed Deo præclare à ſe geſta, ac ſingularia dona ſua tribuunt, qui mos humilium eſt quàm maximè proprius, ut quidem videre eſt in MARIA.

§. V.

§. V.

Quod B. Virgo in actione, silentio de rebus proprijs, in vestitu, atque habitatione; Humilitatem præstiterit.

ALij virtutis hujus, quasi stellæ, radij illucescunt, nam præterquam quod Mater Dei visitandi gratiâ adijt ad Elisabetham, in ejus etiam obsequio diutius versata est, nihilq; quantumvis humile recusavit obire eorum, quæ in domesticis munijs facienda occurrunt: nam quis eam secus fecisse sibi persuadeat, cum & charitate plena esset, atque prudentissima, ut facile judicare potuerit non decuisse desidem, otiosamq; in alienâ domo videri: quare sedula, & prima factitabat opus, nihilq; detrectabat, quod senibus illis, Zachariæ, inquam, & Elisabethæ, gratum aut commodum arbitrabatur: ut quidem spectaculum conscijs Angelis, ipsiq; Elisabethæ, nullũ potuerit jucundius, aut admiratione majori dignum ad eam diem accidere. Narrat Illustrissimus annalium scriptor ad annum Christi 330. de Ovino Gallicano, quod cum hic abdicato consulatu, & repudiato Constantiæ Cæsaris filiæ connubio, & quidem post insignem de hostibus victoriam reportatam, se se ad ostia tiberina recepisset, ibiq; excipiendis peregrinis vacaret, ingentem ex ea fama & facto, vrbis & orbis, stuporem consecutum fuisse. Quòd si Ovinus Gallicanus humilitatem

Humilitas in actione.

Cæsar Barõ.

Digitized by Google

hoc eſt, omnium Patriarcharum ac Prophetarum, ipſa gremio ſuo concluderet. Radius hic ſtellæ hujus, quæ pars ea humilitatis eſt, quæ in tegendâ excellentia propria verſatur, ita mihi lucet, ut nullum ſidus eo fulgentius videatur, Ille quidem de ſpiritu mundi plenus cructabat: *Nemo in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe*; & veriſſimè dictum eſt. nam quis ignorat, quàm oſtentationis vitium latè pateat? non ſolum non patimur ea, quæ quoquo modo ad laudem commendationemq; ſpectant oblivione obrui, aut ſilentio involui, ut etiam jactemus quædam præclara, aut exaggeremus, quæ minimè fecimus; ut fuerit MARIÆ humilitas in hoc genere taciturnitatis, planè admiranda. Neque enim ſivit illa ſibi perſuaderi ab illa inſidiatrice cogitatione: *Dic marito, aperi Sponſo tuo, vel ad tollendam ſuſpicionem violatæ fidei; ne ergo ſubticeas edic ordine, quæ ab Angelo accepiſti; res poſtulat, vel Ioſepho pandas myſterium.* Stupeo in conſideratione tanti ſilentij tam inſigne miraculum, & illuſtriſſimum donum ſibi divinitus conceſſum, ab ea etiam cum diſpendio honoris celari potuiſſe; cum aperiendo maximum gloriæ quæſtum facere potuerit: ſtupeo, inquam, pariterq; indignor mihimetipſi. Vbi enim nunc jactatio noſtra, ſeu gloriatio de dictis, ac præclaris factis; de numero auditorum, exomologeſi expiatorum, de laboribus exantlatis, de diuturnitate temporis, de obitis muneribus, alijſq; inſignibus noſtris quæ utinam exemplo MARIÆ diſcamus non è colloquijs modò ſed verò etiam ex animo obliterare. Preſſit ergo omnia MARIA ſilentio, itaq; deinceps

etiam ſe tractavit, ut quamvis jam Joſepho myſterium innotuiſſet, atque pluribus alijs, videlicet Regibus Orientis; attamen à priſtino ſuo more nihil abhorruerit: animadverſione quippe dignum eſt: quoſdam tantiſper modeſtè ſe gerere, quoad eorum occulta eſt excellētia; at vbi manifeſtata fuerit, jam vilitatem contemptumq; non ferunt. At quis det intueri æquabilitatem animi tui, ô MARIA, quâ illo anni tempore perfrigido Cæſaris terreni imperio parebas, quæ pariebas Regem Angelorum, & mundi creatorem? quis, inquam, det intueri; quo animi ſenſu tuleris locum tibi non eſſe ad commorandum in diverſorio, tibi Reginæ cæli ac terræ & ſponſæ Spiritus Sancti, & Matri filij Dei? genuit ergo MARIA in ſtabulo, & lubens, animoq; pacatiſſimo, quæ à dignitate ſua nihil alienum arbitrabatur, etſi deſpectum, ac vile. Ecquid fortaſſe in Squalore loci illius deprehenſa doluiſti, & quaſi de paupertate tua erubuiſti? præſertim cum ad ſtabuli vilitatem, ad quod neceſſitate compulſa declinaſti parturiens; accederet, quòd vilibus operta eſſes veſtimentis, inſtar arcæ, quaſi ſacco cooperta? etenim ſi Chriſti veſtis erat tunica inconſutilis deſuper contexta per totum, quo genere operimenti pauperes Galilæorum uſos fuiſſe ſcribit S. Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſt. 74. Non ſanè meliore veſtitu inducebatur MARIA, ſed ejus erat veſtis viliſſima, ex lanâ nullo infecta colore. quod ſi non fuit tibi gravis præſentia paſtorum, tanquam hominum ſimplicium, tuiq; ſimilium, id eſt, pauperum: quomodo prætereuntium ante caulas, in ea tunc hominum frequentia, tuiq; puerperæ abjectam

Matthæi 2.

Humilitas in habitatione, & veſtitu.

Iſidorus Peluſiota.

abjectam sanè conditionem spectantium, non te puduit ô MARIA? At esto quidem certè feramus inter homines plebeios, splendorem vestium, & ornatum domicilij, atq; nitorem supellectilis desiderari: hoc minus tamen æquo animo toleramus, si nobis ita malè instructis contingat inter nobiles ac principes viros versari. Nihilne ergo ruboris Virgineis genis tuis inussit spectata à Regibus paupertas, & rerum omnium ad vsum necessitatemq; vitæ opportunarũ incredibilis inopia? Nihil horum, nihil tale pupugit cor MARIÆ, ut miserandi jam mihi illi videãtur, quos natalium suorum obscuritatis, aut patriæ domesticæq; paupertatis pudet: cum Dei genitrix Virgo talia contemptus Mundi, in hoc genere nobis ediderit exempla. Non puduit Virginem MARIAM paupertatis suæ, quæ jure merito dicere potuit illud: *Omnem Mundi ornatum, & pompam, propter IESV Christi amorem contempsi.* Solent quidem homines elati ad obnubilãdam superbiam aliquid subinde tale comminisci, ob quod videatur jure agendum, verbi gratiâ muneris sui, aut cujuscunque alterius rei obtentu, honori suo & gloriæ velificari; ignoravit hanc artem MARIA Virgo, quæ nec suo (quòd Dei Mater esset) nec filij sui nomine aliquid velut sibi, aut filio indecorum detrectavit: putasne dixisse MARIAM: *Egone ut in stabulo enitar filium Dei? dedecet hoc tãtam prolem cujus honori consulere me oportet:* Tantum abest ut aliquid humile aversata sit, ut etiam cupidè illam loci vilitatem amplexata sit. Enimvero si MARIÆ vmbra Esther, sic in hoc genere resplenduit, quid ipsum corpus habuisse pulchritudinis non putemus?

 Sic er-

Sic ergo de pectore suo prodidit illa sensum suum, & his conceptis verbis Deum allocuta est: *Tu scis*, inquit, *necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ, & detestor illud, quasi pannum menstruatæ:* Detestabatur Esther insignia dignitatis ac potentiæ; & MARIAM abhorruisse à vilitate præsepij arbitremur? quod si ita est, ut MARIA magis sibi placuerit in paupertate, in loci pædore, in vestium vilitate, in contemptu sui, & ignobilitate; viderint qui MARIÆ clientes esse volunt, vtrum talibus, an ab his alienis educentur cogitationibus, ac studijs.

§. VI.

Quòd ea quoque Humilitatis pars B. Virgini non defuerit, quâ libenter ferimus haberi nos minoris, quàm sumus.

NE qua humilitati Virginis nostræ, pars defuisse videatur, inspiciamus etiam alios hujus stellæ radios; pleno enim abundantiq; lucet MARIÆ humilitas lumine; & is est illustrissimus, fulgorq; planè insolens ac rarissimus: ut si doctissimus inter rudes & amusos, inclytus genere inter plebejos, egregijs singularibusq; dotibus præcellens, inter communis sortis homunciones, connumerari se sinat. Atque hinc factum est ut celebrentur illi, qui, cum vel natalibus illustrissimi, vel dignitate eximij, aut sanctitate insignes, seu etiam miraculorum patratione

trattione clarissimi, summeq; venerandi forent, attamen latibula quæsiverunt, & omnem illum splendorem, ac famam de se excitatam, latebris tegere ac obscurare desiderarũt: ut Alexij, Carolomani, Paulini, alijq; quos enumerat Cassianus, in quibus Paphnutius, qui cum præsideret cænobio numerosissimo, & presbyterio emineret; latebras, & nominis obscuritatem quæsivit. Vt taceam Gregorios, Ambrosios, Martinos Ægidios qui non minùs latere cupiverunt, quàm plerique mortalium in oculis omnium assidue versari concupiscunt. Cæterum quis hominum sic aliquando reliquos omnes supergressus, atque sic virtute, excellentiaq; à communi vita & conditione se se exemit, interq; omnes extulit caput, ac MARIA? Ipsa tamen cum Dei Mater esset, deq; hoc esset magisterio experimentoq; cælesti edocta, etenim sic ab Angelo renũciata fuerat, quòd videlicet esset benedicta inter mulieres; cumq; accursum pastorum, & applausum; tum Magorum de longinquo adventum ad filij sui incunabula, atque venerationem eorum coram spectavisset: cum tanta, inquam, haberet divini in se favoris, tamque aperta testimonia; ut quòd Virgo, & Mater, citraq; omnem corruptelam, ac sordes, filium, qui Deus erat, edidisset in lucem; numquid abhorruit idcirco, aut dedignata adire ad templum purificationis gratiâ, stareq; in grege mulierum violatarum, ipsa Virgo integerrima, & Mater? & cujus Mater? numquid se ingessit? num primatum appetijt? num singularis videri voluit? excedit captum meum Humilitas MARIÆ. Nam fortasse velle haberi eo loco, qui di-

Cap. 30. de institutis renunciantium.

qui dignitati ſuæ competit, non videtur arrogantiæ adſcribi poſſe, ſed æquitati: at prætextus iſtos, & hujuſmodi quæſitos colores ad fucãdam gloriæ appetitionem, elationemq; ſpecie juſtitiæ, juriſq; ſui tuendi obnubilandam; prorſus ignorat MARIA. atque hoc ipſum fuit multò ante præoſtenſum de Virgine fore videlicet, ut, cum puriſſima eſſet, atque Sanctiſſima ejuſmodi tamen non appareret: cui enim dubium eſt, B. Virginem in propitiatorio delineatam fuiſſe, cum etiam S. Bernardus eandem *Commune Mundi propitiatorium appellet*; atque cum illud eſſet ex auro puriſſimo, ut habetur Exodi 25. erant tamen Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, ut ait S. Paulus ad Hebr. 9. quæ figura videri poteſt impleta, cum Virgo puriſſima cum prole, & Joſepho, tanquam ex quo filium concepiſſet, ſe ſtitit in templo purificãdam. Quis enim MARIAM à Joſepho cognitam non arbitraretur, cum vir ejus eſſet, & Pater JESV diceretur? ergo Joſeph & JESVS inſtar duorum Cherubim erant, propitiatorium iſtud obumbrantium, propterea quòd Virginitatem ejus veluti velarent, quam habere filium & virum palam oſtendebant. O ſi fas nobis eſſet videre Virginem intemeratam, genu quidem flectentem, & manu porrigentem pullum columbæ, aut turturem pro peccato, ex orantemq; Sacerdotem pro ea; pro ea, inquam, quæ omni aſtro purior erat: Et ipſam capite inclinato, nihil aliud, quàm idipſum, quod agebatur præſeferentem? quis enim hæc videns aut altè in animum ſuum demittens, non cõmoveatur amore ſubmiſſionis animi, cujus tam vivum expreſſumq;

Martinus Delrio 1. polam. oſtẽdit contra Caietanũ Abulẽſem, & alios B. Virginem legi purificacionis obnoxiã non fuiſſe.

ſumq; in Dei Matre intueatur exemplum? Neque verò ſolum Virgo noſtra ita ſe geſſit, tractavitq; ut inter corruptas, vulgareſq; fæminas haberi potuerit, quando legali illâ, quaſi immunditiei emundatione uti voluit, cum minimè legi ſubdita eſſet; ſed etiam aliquando id protulit MARIA, ex quo manifeſtè colligi potuerit, ipſam de viro, more aliarum concepiſſe filium: & quamvis ea eſſet fama communis, ſoluſq; Joſeph conſcius eſſet myſterij, libentiſſimè tamen opinione vulgari vſa eſt, & Joſephum Chriſti patrem appellavit, cum dixit: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Quem alloqueris Virgo, quem alloqueris? Si filium tuum; atqui is, patrem nō habet alium, quàm ipſum, qui Deus eſt, cui ſunt omnia præſentia, & doloris omnis expers eſt. Vt quid ergo ſic loqueris? An poteſt in Deum patrem aliquis doloris ſenſus cadere, ut dicas: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te?* An perdere poteſt aliquid Deus, qui vbique exiſtens omnia videt? Habet ille quidem (ait MARIA) ſolum Deum patrem; ſed cum habeatur & Joſeph ejus pater, libenter patris nomen ei impertio, qui paſſim habetur pater filij mei; ut hæc opinio, quamvis falſa, quæq; Virginitati meæ præjudicium affert, aboleatur; non laboro, ſed publicè, ipſiſq; Doctoribus audientibus, dico: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Proh quàm præpoſteri nos ſumus, qui etiam ibi videri appetimus ſingulares, ubi minimè ſumus. MARIA prorſus ſingularis Mater, nec habens in partu Virgineo cōſortium cujuſpiam alius, quàm Spiritus Sancti, non faſtidit communi-

cationem appellationis ejus, quæ vnicæ & ſoli competebat: & fortaſſe in re levi Societatem nominis admittit? Immò in re maxima excellentiſſimaq;. Et dignum admiratione eſſet, ſi quiſpiam noſtrum ægrè ferret alium doctiorem ſe, eloquentiorem, prudentiorem, aut æqualem haberi. Diſcamus tantæ Matris exemplo refugere nominis ſingularitatem; neque velimus in aliquo præcipui videri, vel unici. Atque ut magis perſpiciatur, quàm ſublimis, appetendusq; ſit hic Humilitatis gradus, quamq; in hoc genere excellens fuerit MARIÆ demiſſio animi, & excellentiæ fuga; voluamus aliquantū animo, quotusquiſque ſit, qui præclari aliquid fecerit, aut proprio marte adinvenerit, ſeq; ab alio adjutum, vel operâ cujuſpiam vſum fateri velit. Habent belli duces præſidia non pauca ad ineundum certamen cum hoſte, & victoriam ex illo reportandam: attamen cum vel imperitiâ adverſæ partis, vel loci prærogativâ, aut numero militum, copijſq; longè melioribus hoſtem ceciderint; ipſe eſt ſolus belli Dux, qui viciſſe fertur, quaſi nihil miles, nihil centurio, nihil totus belli apparatus ad eam victoriam contulerit. Nonne etiam hoc prætulit in triumpho Julius Cæſar? *Veni vidi, vici*, nihilne ergo reliqui omnes de victoria ſibi decerpunt, & ſolus vicit belli Imperator? non ſic quidem eſt, aut fieri potuit: ſed amant ita loqui, qui præclarè aliquid fecerunt, eò quòd excellens quædam res ſit, eſſe ſingularem. Non attingo alia in hoc ipſo genere glorioſa vocabula, & jactationes; ut *Ædificavi, plantavi, reſtauravi*; quæ cum ſingularem perſonam deſignent, ad ejus tamen operis ſocietatem,

tem, plures convenere. Sed dimittamus loquendi consvetudinem populo, dicaturq; fecisse is singulariter, qui in eo, quod gestum est, præcipuus fuit. MARIA quidem certè non habet aliquem hominum in generatione Christi consortem, & nihilominus ait: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, retinuit appellationem Patris cum vulgo; sed quod ignorabat vulgus, hoc ipsa probè callebat, non esse eum patrem pueri illius, qui de Virgine conceptus enatusq; fuerat. Fuit istud, hoc est, gloriam suam & præclarè facta cum alijs comunicare seu partiri cum altero, eiq; attribuere, cum habere sibi illam possent veluti propriam, fuit inquam, Sanctissimis quibusque viris, solenne, & in more positum. Imo Christus ipse prævivit exemplo; nam cum morbos curaret, identidem dicebat: *Fides tua te salvum fecit*: attribuebatq; fidei petentis opem, quod suæ magis erat misericordiæ beneficium. Curatæ à fluxu sangvinis æmorrhoissæ Matt. 9. *Fides tua*, inquit, *te salvam fecit*. Ibidem cum interrogasset cæcos; *Creditis quia hoc possum facere vobis?* illiq; respondissent, *utique Domine*; subjecit: *Secundum fidem vestram fiat vobis*. quasi dicat, vobis ex vobis metipsis medicinam facio. Et alio loco Syrophenissæ fidem admirans, quasi quæ precium attulisset ad impetrandam filiæ sanitatem; *Marci 7.*
O mulier, inquit *magna est fides tua, fiat tibi sicuti vis*. Et Bartimæo, ut videret rogitanti, *Fides tua*, inquit, *Lucæ 18.*
te salvum fecit. Super sedeo longiore enarratione, ex his enim nota est Christi modestia, quâ sine omni jactantiæ specie miracula, quæ divinâ virtute efficiebat, & gratis, veluti merito credentium adscribebat.

Digitized by Google

Hæſit hic odor bonus in Apoſtolis, aliiſq; viris Sanctiſſimis, è quibus vnum non intermittam S. Franciſcum Xaverium, qui, quos ipſe morbos curabat, ſimplicitati puerorum, quorum operâ vtebatur, adſcribebat. Videmus igitur, quàm puro caſtoq; animi ſui ſenſu Virgo dixerit: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, hoc eſt, quàm parum Beatiſſima Virgo ambitioſa fuerit primatus atque ſingularitatis, quæ vnica erat filij ſui parens. Adeo remota fuit ab omni ſtudio ſuperexcellendi MARIA, ut (quod oſcitanter præteriri non debet) Joſephum, qui ſolo nomine pater erat, ſibi in ſermone illo præpoſuerit. Non latuit hoc Auguſtini Magni ingenium; ſic enim is de hâc Virginis modeſtia (ſerm. 65. de diverſis cap. 11.) ſcriptum reliquit: *Meruerat parere filium Altiſſimi, erat q; humillima, nec ſe marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, Ego & pater tuus; Sed pater tuus, inquit, & ego: non attendit ſui vteri dignitatem, ſed ordinem conjugalem, quia caput mulieris vir.* Simile videri poteſt huic, quod Actor. 1. cum enumerantur Apoſtoli, MARIÆ vltimo loco mentio facta eſt: credo, quòd ſe poſtremam, & infra omnes ſtatuiſſet. Atque ut interluceat etiam hic illud, quod ſupra attigi; hoc eſt, Lunam minui & creſcere in conſumatione: Illa, quæ non ſolùm Joſepho ſe poſt habuit, ſed ſingularem cum eodem dignitatem ſuam partita eſt, patris nomen ei impertiendo; mox exaltata eſt ex ipſa ſui depreſſione; ibidem enim refertur, quòd *Puer erat ſubditus illis*, hoc eſt, MARIÆ Deus obtemperabat, ſubdebatq; ſe illi, quæ Joſepho ſe poſthabuerat, ſeq; in generatione filij Dei, alteri coæquarat,

Turſelinus l. 2. cap. 7.

Auguſtinus

Digitized by Google

quärat, quæ ſola ſine viro Virgo conceperat. Porrò quàm rarum exquiſitumq; ſit hoc genus Humilitatis, dum quis fert haberi ſe etiam infra quàm ſit: diſcamus è nobis ipſis; quis enim in obſcuro loco vivat, qui poſſit cum dignitate, ac nominis ſplendore in hominũ celebritate ac vrbium verſari? & ſi profundè piſcari velimus, fortè illud eſt propter quod ſolitudinem, & loca minus frequentia, & raritatem auditorum ſeu ſpectatorũ moleſtè ferimus; ſi quando aliquid dicere, vel agere nobis videmur, quia ſic latent ingenia, & artes, & deeſt theatrum oſtentationi. Diſcamus, obſecro, ſubmittere animos cum MARIA; atq; fieri potuiſſe credamus, ut ideo plurima contulerit in nos Deus, quorum is tamen eſſet duntaxat vſus, ut ne ijs ad aliud vteremur, quàm ut tantò fructuoſius eſſemus in tenebris, quantò nobis honeſtiùs eſſe licuiſſet in publico, & lumine.

§. VII.

De externa B. Virginis compoſitione, ac modeſtia; alioque Humilitatis, indice, verborum parcitate.

PAuca quidem fateor, memoriæ cōmendarunt Evangelij ſcriptores de B. Virgine; ſed tamen in ijs ipſis, quamvis paucis, vbique ſparſa ſunt MARIANÆ modeſtiæ veſtigia, ſuiq; deſpicientiæ luculenta teſtimonia. En vobis ſedebat circa Chriſtum turba in domo quapiã, ut refert Marcus cap. 3. Mater ſol- Marcus.

ter ſollicita de filio quò poſſet ei neceſſaria ſubmini-ſtrare, (adeo enim conferta multitudo conveniebat ad Chriſtum, ut nec ipſe, nec Apoſtoli poſſent, neq; panem manducare) educere eum de multitudine ſatagebat. Aſpiciamus ergo anxiam timore MARIAM filijq; amantiſſimam in ipſo æſtu, & ardore deſiderij, quo ferebatur incolumitatis ejus, modeſtiam tamen habitumq; humillimæ; atque externam vultus ac oris compoſitionem non dimiſiſſe; ſed foris ſtantem, miſiſſe nunciatum filio; quaſi illud è canticis; *Quia amore langueo;* & quod ad me attinet, mihiq; licebit, arcebo à te malum. Non irrumpit intra ædes, non exclamat, nihil agit indecorum, ſed ſolum illud; *Dicite dilecto, quia amore langueo.* Vnde & dicebant, qui circa Chriſtum erant: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris quærunt te.* Et veriſimile eſt, quod cũ per id tempus diceretur de Chriſto, quòd in furorem verſus eſſet, & audiſſent ſui, excurriſſentq; tenere eum, (ut loquitur Marcus,) puta fratres ejus, qui Matthæi 13. nominantur Jacobus, Joſeph, & Simō, & Judas, Virginem, quæ illis aderat inhibuiſſe tumultum, ſed amantem vbique, & in quocunque caſu (quod humilitatis eſt argumentum,) Virginalis verecundiæ, & gratiæ, ſubmiſſionis, morumq; ſuavitatis, primùm quidem, ut apud Evãgeliſtam compertum eſt, ſtetiſſe foris, ſuaviterq; oſtendiſſe quid agendum eſſet: hoc eſt, ut loquitur idem Evangelij ſcriptor: *Veniunt Mater ejus, & fratres, & foris ſtantes miſerunt ad eum, vocantes eum.* Arbitrabatur enim MARIA non ſolùm ſe, quòd fœmina eſſet, & pauper, & in oculis ſuis abjectiſſima; ſed etiam domeſticos ſuos, o-

ſuos, omnem proterviam, ejuſve ſpeciem dedecere. Dicatur ergo de MARIA, & qui in ejus comitatu advenerant: *Et veniunt Mater ejus, & fratres, & foris ſtantes miſerunt ad eum, vocantes eum.* Videmuſne quam pulcher ſit Humilitatis tenor MARIANÆ! quando etiam in fragore ſparſi rumoris, perq; totam viciniam graſſantis, ſtat foris, & mittit ad eum. Quod ſi igitur ego, aut quiſpiam alius, non ſolùm decedi mihi volo de via, ſed aſſurgi ab omnibus, aut aliud reverentiæ ſignum exhiberi mihi; & nî fiat indignor, authoritatemq; meam conculcatam queror; non jam è ſodalibus MARIÆ haberi poſſum: ipſi enim cum Matre foris ſteterunt, & miſerunt ad eum, vocantes eum. Docuit hanc Chriſtus modeſtiam, cum Lucæ 14. dixit: *Cum vocatus fueris vade, recumbe in noviſſimo loco;* quod B. Virgo facto ſemper expreſſit, non vrbanitatis quodam lepore ad evitandam ruſticitatis notam, ſed deſpiciendi ſui, viliterq; tractandi gratiâ, quâ ſanè id etiam videtur effeciſſe, quod volebat, ut nimirum, quamvis honeſta & pia haberetur, modica tamen & tenuis paſſim apud homines exiſtimaretur, propterea quòd abjectionem magis, vilitatemq; quâm majeſtatem quãdam authoritatemve, in verbis, inceſſu, amictuque præſeferret. Certè quidem eorum, qui opera admiranda Chriſti, egregiamq; doctrinam ſtupebant, inde quoque aucta fuiſſe videtur admiratio, quòd filius eſſet MARIÆ: neque enim fieri poſſe videbatur, ut tantus ex adeo tenui, abjectaq; perſona prognatus eſſet vir: ſic enim ſtupore attoniti Matth. 13. dicebant: *Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes? nonne hic eſt*

Lucas

Matthæus

hic eſt fabri filius? nonne Mater ejus dicitur MARIA? *vnde ergo huic omnia iſta?* quaſi dicerent ex tali Matre, hæc haurire non potuit, quæ admodum tenuis, ac contemptibilis ſit: *Vnde ergo huic iſta omnia?* Enimvero ſi quis ſciat eũ, qui magno famulitio ſuffultus, & ſplendore veſtium nitens, procedit in publicum, eſſe filium Principis; nihil ſanè ex ea pompa mirabitur, at quòd aliquis vilis fortunæ parentum filius, luxum & pompam oſtentet, hoc vtique admirationem parit. Ergo cum admiratio eorum, qui ſapientiam Chriſti deguſtabant, & miracula videbant, quæ ab eo glorioſè fiebãt, aucta ſit ex ipſa Matre ejus, neceſſe eſt dicere, illam quidem vilem abjectamq; in oculis hominum viſam fuiſſe: ut nemo facilè reperiri poſſit, qui adeo cæcutiat, ut hanc Humilitatis Chriſtianæ ſtellam in diademate Virginis coruſcantem, non obſtupeſcat; valde ſiquidem ſplendida eſt, & fulgoris vndique radios emittit, eumq; cæteris nitore luminis ac pulchritudine contendit. Multiplices quidem ſunt MARIANÆ humilitatis, quaſi ſideris fulgentiſſimi, radij, ſed neſcio quo pacto hæc morum compoſitio, ex vili animi ſui ſenſu profecta, oblectet animum, & obtutum mentis in ejus rapiat conſiderationem. Figamus igitur in eam oculorum aciem; neque enim periculum eſt, ne reverberentur à ſplendore, quia de Virgine nihil non gratum & blandum egredi poteſt. Taciturnitas, parcitaſq; verborum eſt, quæ magnam habet cum deſpicientia ſui affinitatem, idq; pluribus de cauſis. In primis namque ſicut auditus eſt ſenſus diſciplinæ, hoc eſt, ad diſcendum accommodatus: ita ſer-

Parcitas Verborũ in MARIA.

Ariſtoteles.

ita ſermo ad docendum opportunus eſt, & neceſſarius, ecquid enim agimus aliud loquendo, quàm ſenſa animi noſtri neſcientibus manifeſtare? Si quis ergo ſic animo affectus ſit, ut ſe neque amplius quidquam, neque melius aliquid ſcire, quàm ſciat alter arbitretur; is plerumque tacebit, paratior audire quod diſcat, quàm eloqui quod doceat. Sicut enim in opibus diſpertiendis, ſumptibuſque, atque etiam in varia multipliciq; actione ſurrepit ſæpe nobis delectatio, propterea quòd (Doctor Angelicus ait) innaſcatur animo noſtro ea de nobis opinio, quaſi liberales, ſtrenui, inclytiq; ſimus; quod ſanè ſuperbis non diſplicet. Hoc eſt habere anſam ſibi metipſis placendi, nam ſuperbi alio nomine (inquit Auguſtinus de Civit. Dei l. 14. c. 13.) in ſacris literis dicuntur ſibi placentes. Ita cum verborum vbertas, rerumq; abditarum manifeſtatio in eam nos ducat noſtrimet exiſtimationem, quaſi plurima teneamus, & talia ut alios docere de varijs rebus poſſimus; hinc ſanè fit, ut qui verè humiles ſunt, verborum etiam ſint paucorum; cõtra verò elati facilè ſermone diffluant. Eſt & alia in humilibus ſilentij cauſa, quòd linguæ lapſus facillimus ſit, & quoniam humiles diffidunt ſibi, parci admodum ſunt in loquendo ne forte offendant: quod planè David expreſſit Pſalm. 38. cum diceret: *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; poſui ori cuſtodiam, cum conſiſteret peccator adverſum me.* Et quod ad Humilitatem id ſpectet, ſtatim declarat: *Obmutui, & humiliatus ſum; & ſilui à bonis: & dolor meus renovatus eſt.* Etenim compeſcere linguam à bonis ſuis opportunis, ſed nõ

12. 432. a. 6.

Auguſtinus

De ſtudio propoſitoq; perfectionis agi in eo Pſalmo 38. cõſentiunt SS. Patres.

Digitized by Google

necessarijs, non fit quidem absque despicientia sui; sed verò neque, absque violentia in supprimenda loquendi facilitate; vnde ait: *Dolor meus renovatus est*; hoc est, quantum dolui ex verbis malè, & non in tempore prolatis, tantundem animi sensum percipio ex eo, quod imposuerim mihi silentium, etiam rerum bonarum, seu quæ suapte natura mala non sunt. attamen quantum eâ sui victoria profecerit, & veluti ostio concluso incaluerit; in consequentibus videre est. Prætereo, quod sermo prodit eum, qui loquitur, ut quanti judicij sit, prudentiæ, ingenij, & gratiæ, vnde etiam dicebat nescio quis: *Loquere, ut noverim te*. At qui humilitatis est custos mavult ignotus esse & obscurus, quàm loquendo dona sua ostentare, nonne viluit Christus, fuitq; tanquam lampas extincta, apud cogitationem Herodis cum sileret, & ne quidem interroganti responderet? adeo viluit, ut pro fatuo ex eâ taciturnitate habitus â Rege illo fuerit. Jam verò præjactis hisce de Humilitatis tessera silentio: Beatæ, humillimæq; Virginis, non dico sermones, sed verba Syllabasque, & apices ipsos qui habentur in tota narratione Evangelica, nullo negotio enumerare possumus. In colloquio cum Angelo, in perfunctione tantæ rei, sibiq; tantopere inexpectatæ, duas solummodo sententias protulit, easq; ita parcè, atque succinctè, ut majore uti moderatione non potuerit: quære ibi, si invenire valeas, quibus verbis, & quàm vrbanè compositis, Angelo magnificè eam salutanti, salutem reddiderit: Idipsum videre est cum Elisabetham visitavit; nam quid ibi locuta sit, non reperio, præter canticũ illud,

Chilo Lacedemon. apud Laertium.

illud, quod dicimus *Magnificat*, quod tamen ipsum *Oratio* magis, quàm sermo communis censeri debet. Cæterum in partu, in adventu pastorum, Magorum, in circumcisione pueri, in purificatione sua fecit, quod puellam humilem, etsi Matrem attamen Virginem decebat, vbique silentij retinens, ac pudoris. Destituta fuerat aliquando à filio, eoq; reperto exprompsit ea, quæ paulo ante magnam habere Humilitatis significationem ostendimus. In nuptijs in Cana Galileæ habitis dixit illud, quod ut diceret suggerebat charitas; hoc est, *Vinum non habent.* Sed quid brevius? Dixit etiam Ministris: *Quodcunque vobis dixerit, hoc facite.* Quo quid magis concisum in re necessaria dici potuit? In quo etiam illud veræ humilitatis insigne elucet, quòd cum accepisset id à filio responsum: *Quid mihi & tibi est mulier?* Nihil retulit, aut replicuit, vel ursit; sed fiduciâ plena, id tantùm quod erat necessarium, conversa ad eos, qui assistebant locuta est. Jam deprome, si habes, quas è Sacratissimo Virginis pectore querelas, aut lamenta, de filij nece dolor extorserit, de injurijs Judæorum, de suâ orbitate, de inconstantia discipulorum, de gentium atrocitate, de populi totius ingratitudine. Tacet MARIA humilis, neque suæ modestiæ in ea calamitate obliviscitur, vere fons signatus MARIA, & hortus conclusus dicta est.

§. VIII.

De maxima Virginis Humilitate, in eo, quòd non abhorruerit opprobrium Crucis filij sui, & concluditur hortando ad Humilitatem.

EST verò etiam quoddam aliud MARIANÆ submissionis aut potius abjectionis suæ maximæ, quàm in filij sui morte subivit, exemplum illustrissimum. Nam cujus quæso, matronæ filius supremo afficitur supplicio, & ipsa se se latibulo domus, ad plures menses, non damnat, pudore hujus ignominiæ à publico prohibita? At cum MARIÆ filius inter duos latrones velut regni appetitor (quod semper solet esse odiosissimum) suspensus in cruce est genere mortis prorsus infami & causa, quæ prætendebatur etiam supra caput ejus descripta esset, eaque ignominiosissima: in summa hominum frequentia domesticorum atque advenarum, in tanto filij sui opprobrio; in turba carnificum, & postremæ sortis hominum; astitit cruci Mater ipsa crucifixi: ut sanè dicere potuerit ipsa ad filium, quod filius per Prophetam ad Patrem: *Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.* Quot enim existimemus fuisse, qui Virginem tanquam ejus seductoris Matrem, (sic enim IESVS appellabatur) curiosè cõtemplabantur, & ostentantes dicebant: Illa est Mater illius. cuius? illius è trabe pendentis, illius ob perduellionem in crucem acti, illius blasphemi, & maledi-

Psalm. 68.

Matthæi 27

maledicti, illius qui regnum affectabat. Neque pudebat tamen Virginem abjectionis suæ, & vilipensionis maximæ; verùm si quod per id tempus admittere poterat animo suo levamen, hoc erat, quòd vilissima postrema & fœminarum omnium abjectissima videretur. Nec video quò se profundiùs demittere animus hominis possit, quàm si de suomet gaudeat contemptu: & dubitare de MARIA non possumus, quin lætata fuerit se sociam filij sui passionum, atque opprobriorum factam fuisse: atque vtinam liceret introspicere eam, quæ intrinsecus latet, animi submissionem, ac sensum, quem de moribus MARIÆ hactenus solùm conjecimus; sed ipsam speciositatem, interioremq; apparatum videre non potuimus: Sanè si verum est istud: MARIAM nempe excedere gratiâ totam Ecclesiam ac merito, cum etiam scriptum sit 1. Petri 3. *Quòd humilibus Deus dat gratiam*, & Isaiæ 66. dicatur: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones meos?* Consequens est Virginem in cogitatu suo, & affectione minimam extitisse, quoniam quò quisque sui despicientior, eò majoribus à Deo donis, & gratijs cumulatur; & nulli vnquam tale quid concessum est quàm illi, quæ potuit dicere: *Cum essem parvula placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deũ & hominem:* Ita ut quemadmodum olim è vistigio pedis, qui postrema in homine pars est, altitudo Herculis deprehensa est; ita è celsitudine MARIÆ rimari & conijcere eam, quæ animi est, humilitatem valeamus. Quod si igitur nos cælestibus opibus magis locupletari velimus: imò si quod jam potissimũ agimus,

S. Petrus

Isaias

Hortatio ad humilitatem.

agimus, imitatores eſſe MARIÆ, inque ejus vivere clientela optamus, amemus Humilitatẽ, quæ præcipua hominis Chriſtiani virtus eſt. Nam ſi quæras, (S. inquit Auguſtinꝰ Epiſt. 56.) quæ via ſit ad obtinendã veritatẽ, quidve primũ ſit in religione, & diſciplina Chriſtiana? reſpõdeo, primũ eſt Humilitas, quid ſecundũ humilitas, quid tertium? Humilitas; & quoties interrogabis, toties hoc dicam: quod ſi in hac Chriſti ſchola aliquod hujus virtutis paradigma deſideramus; quod aliud malimus, quàm quod exhibet nobis MARIA? Ipſa omnium Chriſti diſcipulorum, quibus prælectum eſt à ſummo Magiſtro & Doctore breve quidem illud, ſed captu difficile thema, hoc eſt, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde:* ipſa, inquam, Virgo & Mater familiam ducit; & habet testimonium Magiſtri, quod humillima ſit: tanta quippe fuit MARIÆ humilitas, ut ipſemet Chriſtus eandem in patrocinium cauſæ ſuæ, quam in horto Gethſemani agebat apud Patrem, ut eum ſalvum faceret à morte, adducendam exiſtimarit; ſic enim in ejus perſona David loquitur Pſal. 85. *Salvum fac filium Ancillæ tuæ;* hoc eſt, ut interpretatur Auguſtinus, eripe me filium ejus, quæ dixit: *Ecce Ancilla Domini,* & ratio ad deprecandam mortem in eo ſita eſt, quòd ſicut B. Virgo per eam ſui deſpicientiam merita eſt fieri Mater, & dare vitam Chriſto; (uti namque Bernardus ait; Virginitate placuit, Humilitate concepit;) ita obtendo eandem Humilitatem Matris meæ ad vitam conſervandam: ni malimus dicere, quòd cum Chriſtus ſciret voluntatem Patris ſui eſſe, ut genere mortis prorſus infami mortem oppetendo

Auguſtinus *Matthæi 11.* *Auguſtinus* *Hom. 1. ſuper miſſus eſt.*

tendo planè vilesceret: illam Matris suæ humilitatem, tanquam suam recensuit, ut ea ratione ex vtriusque, id est Matris & filij abjectione, studium placendi Patri filius ostenderet. Tametsi & illud nonnulli placuit, quòd cum in allegato psalmo postulet Christus à Patre Dominiũ, quod alias sibi tanquam filio deberi non ignorabat, eo etiam nomine competere sibi afferebat, quòd esset filius ejus, quæ humillimè de se sentiendo cum dixit: *Ecce Ancilla Domini, &c.* digna fuit fieri Regina, ac rerum omnium domina. Commendatam igitur ab ipsomet Christo MARIÆ Humilitatem, tantiq; ab eo factam, ut eâ ad res maximi momenti consequendas vteretur, quis nolit imitari? At cui, si modò velit sequi, deesse poterunt præclarissima hujus virtutis in Dei Matre exempla? Nam vbi, quæso, illa Humilitatis suæ impressa non reliquit vestigia? Humiliavit se se in Virginitate sua, quando expiationis legi, seu purificationis, se subjecit; ita enim se tractavit, ut jam supra vidimus, ac si nesciret esse se Virginem: Cui proinde conveniunt illa è canticis: *Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, & abi post greges Sodalium tuorum;* hoc est, recede è loco purificationis, & quasi vna de grege corruptarum esses fæminarum, illis connumerare; & pasce hædos tuos, sive affer filium tuum, tanquam hædum, seu peccatorem. Humiliavit se in ipso apice dignitatis suæ, hoc est, in Dei Maternitate, dum Ancillam Domini se pronunciavit. Humiliavit se in opibus, quas patrimonio acceperat cum esset vnica & ex asse hæres, ut Patres referunt; atque interea altissimam paupertatem coluit, ut ne

quidem

quidē parienti ſupereſſet locus in diverſorio. Quod ſi jam ea, quæ de B. Virginis excellentia ſupra recenſita fuere, non planè vulgaria ſunt, at omnino ſingularia & excellētiſſima, ut de patrocinio ipſius adverſus clientes ſuos, de nobili nexu, illo ac complexu Virginitatis atque Maternitatis in eâ, deq; earundem ſeorſim atque ſingillatim pulchritudine atque excellentia; ſi hæc, inquam, habere vim aliquam poſſunt, aut pondus ad conciliandam omnem erga Dei genitricem benevolentiam, atque reverentiam, & cultum; cum præterea, ut initio dixi, imitationem ſui à cultoribus clientibuſq; ſuis efflagitet: imitemur ejus Humilitatem, ut ei quæ tam excellens atque amabilis eſt, non diſpliceamus: & placebimus ei, ſi exigui in oculis noſtris fuerimus, ac modici, placebimus, inquam Virgini Virginū, Reginæ Sanctorum omnium, Deiq; Matri ſemper Auguſtæ, & nihilominus in regia quantumvis dignitate, in fæcūda Virginitate, inq; Dei Maternitate humillimæ.

CAPVT II.

De Prudentia Beatæ Virginis.

§. 1. *Quam pulchra, & neceſſaria ſit Virginitatis cum prudentia conjunctio.*

§. 2. *Quod par Virginitati ſit in* Maria *prudentia.*

§. 3. *Quàm prudenter ſe habuerit B. Virgo dum honorificè ſalutata ab Angelo, ſilentium ſervavit.*

§. 4. *Quam prudenter ſe habuerit in ſermone.*

§. 5. *Oſtenditur quàm prudenter reſponderit, humilitatemq; in-*

temq; in tempore exhibuerit MARIA, cum Dei Matrem se declaratam sensit.
§. 6. *De prudenti B. Virginis omissione, & actione.*
§. 7. *De magna securitate sub præsidio Virginis prudentissimæ.*

Prooemium.

CUm de Virtutibus Virginis idcirco agamus, hoc est, primò quidem ut MARIAM veneratione, ac exili hoc obsequio colamus; tum deinde ut clientulorum animos ad eas imitandas accendamus, quod majus ad id calcar addi possit non video, quàm si Prudentiæ laude excellentem ostendamus eam, quam proponimus imitandam. Eô enim cujusque actiones sunt æstimabiliores, quò magis censetur is inter homines valere judicio; quin etiam eò plus à vera virtute deficit actio, quò minus ea redolet agentis prudentiam. Vt igitur Virginis Virtutes, atque inprimis ejus Humilitas apud nos in precio sit, quantâ Prudentiæ laude floreat, perspiciamus: atq; compertó revera prudentissimam fuisse, afficiamur ad ejus assectanda vestigia.

§. I.

Quàm pulchra, & necessaria sit Virginitatis cum Prudentia conjunctio.

VIrginitas si cum Prudentia conjuncta non sit, quid est obsecro aliud, quàm gēma in patulo?

quidē parienti ſupereſſet locus in diverſorio. Quod ſi jam ea, quæ de B. Virginis excellentia ſupra recenſita fuere, non planè vulgaria ſunt, at omnino ſingularia & excellētiſſima, ut de patrocinio ipſius adverſus clientes ſuos, de nobili nexu, illo ac complexu Virginitatis atque Maternitatis in eâ, deq; earundem ſeorſim atque ſingillatim pulchritudine atque excellentia; ſi hæc, inquam, habere vim aliquam poſſunt, aut pondus ad conciliandam omnem erga Dei genitricem benevolentiam, atque reverentiam, & cultum; cum præterea, ut initio dixi, imitationem ſui à cultoribus clientibuſq; ſuis efflagitet: imitemur ejus Humilitatem, ut ei quæ tam excellens atque amabilis eſt, non diſpliceamus: & placebimus ei, ſi exigui in oculis noſtris fuerimus, ac modici, placebimus, inquam Virgini Virginū, Reginæ Sanctorum omnium, Deiq; Matri ſemper Auguſtæ, & nihilominus in regia quantumvis dignitate, in fæcūda Virginitate, inq; Dei Maternitate humillimæ.

CAPVT II.

De Prudentia Beatæ Virginis.

§. 1. *Quam pulchra, & neceſſaria ſit Virginitatis cum prudentia conjunctio.*

§. 2. *Quod par Virginitati ſit in MARIA prudentia.*

§. 3. *Quàm prudenter ſe habuerit B. Virgo dum honorificè ſalutata ab Angelo, ſilentium ſervavit.*

§. 4. *Quam prudenter ſe habuerit in ſermone.*

§. 5. *Oſtenditur quàm prudenter reſponderit, humilitatemq; in-*

temq; in tempore exhibuerit MARIA, cum Dei Matrem se declaratam sensit.
§. 6. *De prudenti B. Virginis omissione, & actione.*
§. 7. *De magna securitate sub præsidio Virginis prudentissimæ.*

Prooemium.

CVm de Virtutibus Virginis idcirco agamus, hoc est, primò quidem ut MARIAM veneratione, ac exili hoc obsequio colamus; tum deinde ut clientulorum animos ad eas imitandas accendamus, quod majus ad id calcar addi possit non video, quàm si Prudentiæ laude excellentem ostendamus eam, quam proponimus imitandam. Eò enim cujusque actiones sunt æstimabiliores, quò magis censetur is inter homines valere judicio; quin etiam eò plus à vera virtute deficit actio, quò minus ea redolet agentis prudentiam. Vt igitur Virginis Virtutes, atque inprimis ejus Humilitas apud nos in precio sit, quantâ Prudentiæ laude floreat, perspiciamus: atq; compertó revera prudentissimam fuisse, afficiamur ad ejus affectanda vestigia.

§. I.

Quàm pulchra, & necessaria sit Virginitatis cum Prudentia conjunctio.

VIrginitas si cum Prudentia conjuncta non sit, quid est obsecro aliud, quàm gēma in patulo?

theſaurus ad prædam expoſitus? velutique areola horti floribus quidem affabre conſiti, ſed cujus diſjecta maceries ſine vllo murorum præſidio, ferarum pateat conculcationi? Fuit Virginis Matris ejus generis pudicitia, animique ac corporis integerrimus nitor, ut nec parem, nec priorem ſit ei fœminam Virginem repetire ei, inquam, quæ meritiſſimò Reginæ Virginum nomen ac appellationem eſt conſecuta: quo fit ut integerrimæ Virginitati (ut omnibus numeris eſſet abſoluta) parem oportuerit Prudentiæ laudem aſſociari: ne ſiqua Prudentiæ pars Virginitati deeſſet ipſa videri poſſet minùs amabilis

Proverb. æſtimandave Virginitas: quod enim Proverbiorum vndecimo capite dicitur: *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua:* hoc eſt, pulchritudinem non ſuo loco videri eſſe, cum fœminæ inſipienti ea contigerit: Idem prorſus dici de Virginitate debet, quæ à Prudentia deſtituta eſt; eam nempe veluti mancam, ac mutilam eſſe. Et verò fit plerumque; ut oculi ipſi lædantur aſpectu; cum cernuntur ea, quæ magni æſtimantur, eſſe ſolitaria, & à reliquo ſuo ornatu deſtituta. Diſplicet morum ruſticitas in homine alioquin loco, & genere nobili nato, quæ in alio ſic ingrata non eſſet. Quid dico? an ſi hominis religioſi, Deoq; dicati actio levis ſit, ſi jocoſus ſermo, ſi aulam ſapiat, & affectatis ſcateat verborum lenocinijs; nonne tantò magis deſipit, quò minùs eam decet perſonam, ac profeſſionem? In adoleſcente quædam etiam nimia maturitas, & accerſita gravitas, ætati illi dehoneſtamento eſt, non dignitati; quæ tamen ſenium valde cohoneſtat, eſt denique il-

Digitized by Google

que illud, quod dicitur: τὸ πρέπον: & miram habet vim in vnaquaque re, ad gratiam benevolentiamq; sibi conciliandam. Cumq; ut verbo dicam, omnia à comite suo gratiora reddantur ac pulchriora, Virginitas Prudentiæ associata pulcherrima efficitur; & cor oculosq; omnium ad se rapit; ut de hoc nexu, seu commixtione Virginitatis, ac Prudentiæ, dici possit id, quod habetur Eccl[ci]. 49. de jucunditate, ac veluti sapore quodam gratissimo, quem afferebat optimi Regis Josiæ oblata animo recordatio: hoc est: *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarij, ut musica in convivio vini.* Et verò, si ad optimum quodque opus efficiendum duo potissimũ desiderantur; materies ipsa, ex qua fiat, tum ars, seu partium apta collocatio; nescio an aliquod magis spectandum reperiri toreuma possit, quàm quod è Virginitate, Prudentiaq; B. Virginis, arte planè divinâ elaboratum est: in quo quidem Virginitas veluti materiei vices gerit, at Prudentia formæ, seu speciei locum tenet. Valeant quæcunque vbi vbi terrarum visenda proponuntur, & admiranda spectacula, & orbis miracula: nihil enim elegantius, nihil admirabilius, nihil, ut ita dicam, oculorum rapacius, seu plus valet ad pertrahendos spectatores, quàm sit vna MARIA, è præstanti Virginitate, atque Prudentia concinnata. Nec modò ad elegantiam hæc conjunctio spectat, sed ad maximi thesauri, qui Virginitas est custodiam; ut enim defendi sine propugnaculis nequit murus; & ostium si munitium, vestitumque non sit, perfodi facilè potest; ita lædi Virginitas, quæ munimine careat Prudentiæ, ergò benè monet

Ecclesiast.

Cantic. 8. Adoleſcentulæ: *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula: & ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis*; & cedrus Libani, & propugnacula murorũ, ſymbola ſunt prudẽtum; qui velut ex edito, & tanquam in ſpecula longè lateq; proſpiciunt, ne quis nocere poſſit incurſus. Laudavit hanc compoſitionem ipſemet Chriſtus, cum hujuſce rei venuſtatem miro artificio ita extulit; ut vix amplius Prudentiæ juncta Virginitas, efferri poſſe videatur. Hinc enim factum arbitror, ut ille ſapientiſſimus artifex cum totum genus humanum, certè quidem vniverſum fidelium gregem, in duas veluti claſſes, ſub decem Matthæi 25. Virginum parabola; diſtinxiſſet; ita conſtruxerit, ut illarum quinque haberent id, quod maximè ſpectat ad Virgines, id eſt Prudentiam; quinque enim numero prudentes Virgines fuiſſe ait: cumq; prudentes illæ quinque, & Virgines electorũ perſonam ſuſtineant: atque electi, & quæquæ in thalamum induci dignæ ſponſæ perfectionem, quæ homini contingere poteſt, maximam aſſecutæ cenſeantur: quid enim optatius, aut melius homini advenire poteſt, quàm filium eſſe Dei, & regni cæleſtis hæredem? hinc ſanè manifeſtũ evadit; Virginitatis, cum Prudentia conjunctionem eſſe ſummam hominis excellentiam, atque vitæ beatæ vivam expreſſamq; imaginem. Tolle Virginitati Prudentiam, aut Prudentiæ adime Virginitatem; & pulcherrimam licet gemmam cæno immerſiſti; & quò gemma luculentior, tantò ex ſordibus illis lutulentior: ut etiam ad exprimendam miſerandam reproborum conditionem, & ſtatum planè execrandum, Virgines fatuas idem i-

Digitized by Google

idem ipſe parabolæ architectus appellarit; quòd nihil ita abſonū, diſtortumue eſſe queat, quàm à metâ, in quam ab ipſa creatione directi ſumus deviare, & reprobum eſſe. Magna igitur eſt Virginitatis atque Prudentiæ conſpiratio, & cavendum eſt, ne vna alteri deſit. Optimè profectò cecidit, ut illi Apoſtolorum præcipuè contigeret habere pro inſigni, & teſſerâ ſerpētem; illi, inquam, quem à Chriſto Virginem electum, & Virginem in ævum permanſiſſe ſcimus: numquid enim hoc omnino fortuitò accidit? non arbitror: ſed ut Virginitatis, ac Prudentiæ (cujus eſt ſymbolum ſerpens) hoc etiam pacto pulcherrimum in Joanne demonſtraretur conſortium: nam etſi non ignorem; calicem cum ſerpente, ideo appingi Joañi, quòd lethiferum poculum innoxius ſumpſerit, ſi tamē hieroglyphicum prudentiæ cum Virginitate conjungendæ effingere vellemus; quòd aptius iſto? hoc eſt Joannis à Virginitate conſpicui, tenentis calicem, ſupra cujus labrum ſinuoſus inſideat ſerpens?

§. II.

Quòd par Virginitati ſit in Maria Prudentia.

SI in confeſſo iſtud eſt, citra maximam horrendamq; abſuditatem, à Virginitate divelli Prudentiam non poſſe; conſequens etiam eſt, parem Virginitati debere eſſe Prudentiam: quod ſi verò etiam Virginitatis laude, ut pridem demonſtratū eſt, anteſtat omnibus Maria, eandem omnium pru-

 dentiſſi-

dentiſſimam habemus dicere, cum eam namq; Dextera Dei ſingulariter elaboraverit, tanquam arcam myſtici Noë vectricem futuram; dubium non eſt, quin omnem in ea fabricandâ ſymetriam ſervârit. Ecquid noſtrâ opus eſt ad id aſſeveratione? Eccleſiæ judicium eſt, quam enim Virginem puriſſimam caſtiſſimamq; pronunciat, eandem & prudentiſſimam nominat; ita ut in cæteris, quibus Deiparam afficit nominibus, atque elogijs, ſuperlativis non utatur, præterquam ad exæquandam illibatiſſimæ Virginitati, parem per omnia Prudentiam; ita ut tacitâ Spiritus Sancti, qui Eccleſiam regit, ſignificatione, pari paſſu hæ duæ præclariſſimæ dotes incedant. Ne ſi quam puriſſimam caſtiſſimamq; dicimus, prudentem duntaxat appellemus, invenuſtum quiddam & aſymetron admittamus. Si ergo quâdam leporis gratiâ conditur affabilitas hominis à forma colorisq; ſuavitate, ſi prima ætas ab innocentia; ſi dignitas ab authoritate: hoc totum præſtat Virginitati Prudentia, id eſt, quod ſoli lux, Mundo Sol, ſidera Cælo. Quàm bene Spiritus Sanctus, & quis illo melius? nobis depinxit hanc Virginē, quòd nullo careat ornamento, ſed verè tota pulchra ſit, & abſque macula, quando ita Salomoni, ut de eâ ſcriberet inſpiravit Cant. 7. *Quid videbis,* inquit, *in ſulamite, niſi choros caſtrorum? Et quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* tantumne hoc? *Iunctura femorum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis*; tantumne etiam hoc? *Vmbilicus tuus, tanquam crater tornatilis, nunquam indigens poculis,* etiamne ſolum hoc? *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus*

In Litanijs Lauretanis

Cantic.

vallatus lilijs; duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ; collum tuum ſicut turris eburnea; oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis; naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcũ; Caput tuum ut Carmelus, & comæ capitis tui, ſicut purpura Regis juncta canalibus; quam pulchra es, & decora, chariſſima in delitijs, ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris: En vobis quemadmodum Spiritus Sancti dictamine, non ex vniuſcujuſque rei ſpecie, ſed ex omnibus in vnum collatis coexiſtat pulchritudo: quod cum ita, etiam Salomone fatente ſe habeat; ut debitus Virginitatis ac Prudentiæ concentus exiſtat: ſicut Virginitas ſumma eſt, nec ulla laude caret; ad eundem gradum Prudentia ejus pertingat neceſſe eſt. Immò verò etiam ut Mariæ virtutes, planè excellentes ſint: nihil in ea ad culmum perfectionemq; Prudentiæ poſſe debet deſiderari, cum conſtet Prudentiam virtutum omnium eſſe vitam, & formam cæterarum: quod ſi extra controverſiam eſt, Dei Matrem opibus animi nulli eſſe hominum vel Angelorum ſecundam, fateri etiam neceſſe eſt, eàm Prudentiæ laude omnes prorſus homines ſupereminere. Et ne videamur animo ſolùm indulgere, aut rationum inopiâ in theſi, ac ſermonis vniverſitate verſari; afferamus ea, quæ Virginis noſtræ miram oſtentẽt ſagacitatem, ut verè & antonomaſticos de illa dicere valeamus: *Vide Aug. de Civit. l. 11. cap. 18.*

Hæc eſt Virgo prudens, quam
Dominus vigilantem
invenit.

§. III.

§. III.

Quàm prudenter ſe habuerit B. Virgo dum honorificè ſalutata ab Angelo, ſilentium ſervavit.

FVit ſemper quidem B. Virginis eximia atq; excellens Prudentia; ſed ea vel maximè inotuit, cum per Angelum Verbi incarnationem in ipſa, atque ex ipſa faciendam intellexit: quo in negotio, quod erat cardo omnium deinceps gerendorum, quæ verè negotia & ſeria dici poſſunt, adeo, ut S. Bernard. S.Bern. ſerm. 2. in pentecoſte: MARIAM appellet *Negotium ſæculorum;* quàm, inquam, prudenti conſilio quantaq; cautela vſa ſit, difficile eſſet non modò dictu, ſed verò & creditu: niſi eam ſciremus fuiſſe, quæ jam Dei Mater deſtinata fuerat, quæq; proinde ſicut cæteris virtutibus, ita ſingulari prudentia eſſet inſignita. Cum enim ingreſſus ad eam Angelus eſſet, maximaq; reverentia, & ſalutationis genere perquam honorifico allocutus fuiſſet, ijs uſus verbis: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres:* quid exiſtimemus feciſſe illam inter hæc cognomina, & laudum decora? an geſtiviſſe lætitia? an corruiſſe trepidatione? an præcipitaſſe reſponſionem? Id fecit MARIA, quo facto prudentius, nihil poſſet excogitari. Nam cum ſe Virginem, inque puellari adhuc ætate conſtitutam, non ignoraret; abſolutiſſimæ (prout eam ætatem, & Virginitatem decebat) partes omnes explevit Prudentiæ. Cum enim inferior portio, ſeu cupiditas ſubdita ipſi eſſet, &

eſſet, & imperio regeret affectiones, quæ primævæ labis expers fuerat; voluit quod Virgini & puellæ congruebat: Imò quod ejus humilitati, & ingenuæ ſimplicitati proprium eſſe videbatur, hoc eſt, aliquantum ſubvereri, atque ad titulos adeo inopinatos nonnihil verecundari, Virginaliq; ſua erubeſcẽtiâ & gratiâ, ea honoris inſignia atque encomia veluti detrectare. Ecquis id Prudẽtiæ dãdũ eſſe neget; actiones ſcilicet ſuas, prout loco, perſonæ, ac tẽpori magis conveniunt, ſic eas moderari? quippe etiam Christus, qui erat Verbum caro factum plenum gratia & veritate, ita ſe habuit in infantia, pueritia, atque adoleſcentia, prout cuique ætati magis aptum erat & congruum; & hoc eſt, quod ait Evangeliſta profeciſſe Chriſtum ſapientiâ & gratiâ: propterea quod is tanquam Sol oriens, majora indies ſapientiæ ſuæ & Sanctitatis edebat ſpecimina: hinc eſt, quòd cum in medio Doctorum eſſet, ætatis ſuæ haberet rationem; erat enim duntaxat duodennis: & audiens interrogabat. Quod adoleſcentem, etſi cæteroquin ſapientiſſimum ita deceret. Vt ſi natalibus ingenuus perſonam in ſcena ruſtici hominis ſuſtineat; ſemotâ vrbanitate mores ruſticanos imitabitur: quoniam perſonæ illi ſunt magis opportuni. Imprudẽtiæ eſt ſi gravitatem viri affectet adoleſcens & ſapientiam inter ſeniores ſe, quaſi dictare velit: Sicut neque ætate grandævum deceret moribus imbecillioris ætatis, ac ſtudijs delectari. Mira igitur in eo Prudentia Virginis fuit; hoc eſt; eam animi ſui affectionem & ſtatum, qui ætati conditioniq; ſuæ aptiſſimus erat, in ea repentina inexpectataq; ſalutatione, &

Lucæ 2.

tione, & alloquio retinuiſſe. Etenim S^to^. Ambroſio teſte; *Trepidare Virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pavere; omnes viri affatus vereri*; ſi non ſuſpicione criminis, aut doli, at decentiâ quâdam ob diſparitatem ſexus, ætatis etiam teneritudinem, atque ob virtutis colorem retinendum, qui ſuffuſio ſangvinis eſt, & inde ſerpens rubor per genas, quem gratia quædam, & inhalans odor pudicitiæ comitatur, & amabilem reddit. Tametſi verò etiam cauſa religionis turbari potuit MARIA, & timere, quòd adeſſet ſibi Angelus civis cæleſtis, divinum quiddam ſecum è cælo devehens, quod mortalitas noſtra ſentiat, & ſapienter revereatur. Quidquid demum ſit; ſive trepidare Virginis fuerit, & ad viri ingreſſum pavere; ſive ex conſortio naturæ ſublimioris, ac differentis quodam horrore ſuccuti, ſemper Prudentiæ Virginis fuit ad eam formam habitumq; animi ſe compoſuiſſe, qui decebat maximè Virginem. Neq; in eo ſolùm Prudentiam ſuam prodidit Virgo: alia edidit argumenta ad conijciendum de ea, quàm ſagax eſſet atque conſiderata, quodq; nihil temere aut præcipitanter ageret. Vbi enim ſola in penetralibus deprehenſa ab Angelo, ſe verecundia, ac pudore Virginali tanquam pallio ſuo, ſe obnupſiſſet; inſtar Rebeccæ, quæ cum in conſpectum Iſaci veniſſet, citò operuit ſe, Geneſ. 24. tùm conſultò perſtitit in ſilentio conſideravitq;: *Qualis hæc eſſet ſalutatio.* Atque hæc eſt quaſi Prudentiæ medulla, in repentinis caſibus, dubijſq; eventibus, ſermonem cohibere, atque interim colligere animum, eumq; vehementer ad cogitãdum intendere; quod factitatum à ſe profitetur

L. 2. in Lucam.

Rebecca

Digitized by Google

fitetur S. Propheta David, sic enim Psalm. 76. ait: *Turbatus sum, & non sum locutus; cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Non fuit hæc MARIÆ Prudentia, multis experimentis, aut vivendi diuturnitate, seu negotiorum varietate comparata; cælitus ei data est; & quâvis humanâ major, quasiq; divina fuit. Nos post longam annorum seriem, postquam multis curis, & negotijs perfuncti sumus; posteaquam ad idem, non modò bis, sed sæpius impegimus; vix hujus Prudentiæ specimen aliquod edimus, quod est; in silentio perpendere quale sit, quod proponitur, quidve magis expediat respōdere: ut idcirco incredibilis quædam animi gravitas, suiq; custodia accuratissima videri debeat esse in MARIA. Ecce enim offerebatur ei aliquid, quod conditioni suæ primâ fronte adversari videbatur, hoc est, concipere & parere; & bene sui compos, suiq; non ignara propositi, animoq; præsenti deliberat & tacet. O Virginem deprædicandam, & cum in omni alia re, tum in hac præcipuè imitandam; ingeritur in ejus sinum Verbum æternum, cor Patris, ille per quem omnia facta sunt: & illa tacita sustinet quoad videat, an voto suo non repugnet. Titulus Matris Dei, corona regni cælestis exhibetur ei, & non admittitur, si quâ ratione pietati obesse possit. Non eripuit mentem inopinata salutatio, non abstulit consilium muneris magnitudo, non præoccupavit deliberationem cupiditas. Probè verissimeque dixit Ecclesiasticus cap. 21. *Quòd in ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum est:* Quod si ita est, profectò sapiens censeri debet MARIA, quæ

Psalm.

Ecclesiasti.

Digitized by Google

factitabat idipſum, quod Eccleſiaſtico teſte ſpecimē eſt ſapientiæ. Dum enim tacens cogitabat qualis eſſet ea ſalutatio, os ſuum ad cor revocabat, & in corde formabat ſibi verba ſenſata; os mergebat in cor, tanquam ſitulam argenteam in puteum aquarum viventium, & quia altum erat cor Virginis, profundeq; cogitabat, dum tardat de fonte haurire reſponſionem, antequam vel ſemel loquatur Virgo, jam altera vice alloquitur eam Angelus. Quàm pulchre prudenterq; Virginitatis ſuæ decorum tuetur prudens Virgo! tacet, & rimatur ſalutationem: & dum tenet ſilentium in alloquio Angelico, egregiè Prudentiam oſtentat ſuam, quam vel ex ſacris literis hauſerat, vel quam ipſi, æque, & longè plus quàm Salomoni, impertierat Deus, & Eccleſiaſtici 32. ſic expreſſa habetur: *Adoleſcens loquere in cauſa tua vix; ſi bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum ſuum, in multo eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens;* tacuit, & deinceps, ut mox dicemus, quæſivit MARIA.

Eccleſiaſt.

§. IV.

Quàm prudenter ſe habuerit B. Virgo in ſermone.

SI MARIÆ ſilentium, eaq; in ſilentio mentis agitatio, quâ ſalutationem Angeli perpendebat, tantam habent à virtute Prudentiæ commendationem; multò plus elucebit judicij gravitas atque maturitas ex ejus elocutione; quæ cum mentis interpres ſit, redolet eam, ex qua naſcitur intelli-

gendi diſcernendiq; peritiam. Audiamus igitur ſapientiſſimam Virginem, auſcultemus Dei Matrem deſtinatam, applicemus aurem ad parietem, quin imo etiam texenti orationem MARIÆ aſſurgamus: neque enim allocutura eſt Cæcilia Amachium, aut Catharina Maximinum; ſed ea, quæ deſpõſata jam eſt Spiritui Sancto, & in cæleſti curia Cæli Regina declarata, ipſa eſt, quæ Archangelo Dei internuncio, in cauſa totius generis humani, ad ſe ablegato, reſponſura eſt. Quibus igitur verbis dicendo infit? audite & obſtupeſcite Prudentiam, admiramini ſagacitatem, ſuſpicite judicij maturitatem. *Quomodo* (inquit illa) *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Videtiſne quàm ſapienter neruoſè, ſuccinctèq; reſponderit Angelo conceptum Virgini, & partum Dei humillimæ puellæ promittenti? enimvero ſi meminiſtis eorum, quæ libro ſecundo capite ſecundo in horum verborũ expoſitione dicta ſunt, quod eâ mente interrogârit MARIA, ad expiſcandum videlicet bonuſne, & à Deo miſſus Angelvs eſſet, an ſuppoſitius aliquis, ac fucatus ad traducendam Virginem vanâ ſui opinione, ad animi elationem, propoſitiq; Sancti violationem: (qui aſtus per opportunè per id tempus, quo expectabatur Meſſias, ſuggeri à Dæmone poterat) cogimur nimirum ſapientiam MARIÆ admirari, quòd adeo ſcitè ac dextrè grandia de ſe prædicanti ſtatim aſſenſum non præbuerit; neque interea loci, cum apertè falſitas non appareret, eam removerit rejeceritq; ſalutationem, volueritq; totum hoc referre ad trutinam examinis ſui, quod ita induſtriè ſapienterq; compoſuit, ut & à ſimpli-

à ſimplicitate modeſtiaq; Virginis non abhorreret, & tamen interea prudentiâ redundaret; quod eſt ſuavitati vim facti, energiamq; non adimere. Ejuſcemodi fuit Chriſti interrogatio, cum dixit: *Oſtendite mihi numiſma cenſus*; & cum obtuliſſent ei denarium, quæſivit ex eis, *Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio?* neque enim ipſe ignorabat, ſed interrogando eliciebat à ſubdolis illis & vafris interrogatoribus reſponſionem, ex qua ipſos refelleret. Sic MARIA cum optimè ſciret, filium Dei non niſi ex Virgine naſciturum, eumque ſibi Virgini promitti intelligeret; cæterum legationem hanc, nondum ſatis haberet perſpectam, propterea quòd Humilitas eam revocabat ab adhibendo fidem tantis de ſe encomijs, atque illuſtriſſimis compellationibus: interrogavit, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*; ut ex qualitate reſponſionis, formaret in alterutram partem, aſſenſum. Neque in eo minor Prudentiæ laus, quòd interrogatio planè rei, & tempori opportuna fuerit, neque enim quærere aut ſciſcitari ex Angelo melius aptiuſq; potuiſſet, ſi vel neſciſſet, Meſſiam ex Virgine naſci oportere, aut illius partum ſibi denunciari non intelligeret. Præterea, quod ſupra jam attigi, admirabilem planè effulſiſſe in hâc interrogatione animi magnitudinem, atq; conſtantiam; quæ Prudentiæ, ſive Cõſilio comes eſſe ſolet, ac debet: dum videlicet MARIA minimè facilem, aut præcipitem ſe eſſe oſtendit; ſed fixo gravitatis ſuæ pede, priuſquam (immenſis licet) annueret oblatis, ea deferentem perconctacta eſt. Vt ſanè non dubitem ita ſe geſſiſſe hîc Angelum in admiratione Prudentiæ, atque

Digitized by Google

Chrſtus in fide Centurionis; divinamq́; in eo commendaſſe bonitatem, quòd tantam Virgini & puellæ impertiſſet in loquendo maturitatem. O verè genuina Chriſti Mater MARIA? cum enim is etiamnū duodennis eſſet; ita appoſitè prudenterq́; loquebatur, ut Evāgeliſta cap. 2. refert, ut in admirationem raperet omnes, qui eum audiebant, & ſtuperent *Super Prudentia, & reſponſis ejus*. Non erat eo multò major MARIA, cùm ſalutata fuit ab Angelo, & ſtupeſcit eum, ob ſingularem in tacendo prudentiam, neque minorem in loquendo conſiderationem, atque cautionem. Hoc eſt, quod multò ante, quaſi prægustare volens ſaporem loquelæ hujus Virgineæ, Spiritus Sanctus per Salomonem Cantic. 2. dicebat: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni; ſonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis*. Sapit vox ſponſæ ſponſo, eo quòd minimè inſulſa ſit, & inſulſa non eſt; quia, *Omnis ſermo ejus, grano ſalis conditus eſt:* Sicuti namque inſipiens oratio, & abſurda viro gravi atq́; conſiderato, vehementer deſipit, & refugit audire; ita quoniam Virginea labia, ob ſermonis prudentiā, mellitiſſima erant; etenim *Favus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua*; ea propter, ſponſus tantopere deſiderabat audire ſponſam loquentem, quia ſapiebat ei videlicet vox ſponſæ, & ſapiebat ob inſtillatam vbique Sapientiam. Cumq́; Cantic. 5. dixiſſet Sponſa: *Guttur Sponſi ſuaviſſimum*: Sponſus par ei referens, ait cap. 7. *Guttur Sponſæ, ſicut vinum optimum:* Mirum enim eſt, quantùm animi palatum afficiat, ad Prudentiæ Regulam, rectæq́; rationis dictamen prolatus ſermo. Magna omnino Prudentiæ pars eſt,

Cantic.

Ad Coloſ. 4.

Cantic. 4.

pars eſt, ſcire proferre ſermonem in tempore: & ſicut pauciſſimi ſunt, & pene nullus, qui nunquam ſermone lapſus ſit; ſic eſt ille planè admirabilis, qui norit in hoc omnium difficillimo negotio, non excedere, non dificere, & quaſi harmoniam omnibus numeris abſolutam concinnare orationem. Quod tamen ipſum humanâ vi, aut arte præſtari non poteſt; ſed neceſſe eſt, ut Angelus tollat forcipe calculum ignitum de altari, quo vel magni Iſaiæ Prophetæ labia emundentur. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.* Liceat mihi hanc Proverbiorum ſententiam cap. 25. relatam, ita interpretari, ut tota cadat in B. Virginem, ſive in ejus loquentis Prudentiam, & ejus gratiâ, dicere dictatam à Spiritu Sancto fuiſſe. At neq; aliquid alienum dicam; auro enim ſapientiam deſignari oſtendit S. Gregorius tom. 2. pag. 109. & pag. 105. & 147. Quòd ſi per aurum ſapientia, per argentum divina eloquia deſcribi author idem ait, quo fit, ut ad ſuaviſſimum ſonum edendum, argenteas fiſtulas, aut tubas adhibeamus, immò argentum æri campano commiſceamus. Quid quod argentea vox abijt in proverbium, quo ſignificetur optima, & gratiſſima earum, quæ auribus accidere poſſint. *Mala* igitur *aurea in lectis argenteis*; hoc eſt idem atque dicere; ſapientiam dictis Virgineis, quæ ob corporis mentiſq; puritatem, atque candorem argentum eſt, & mellitiſſimam edit orationem. Sed cur in lectis potiùs, quàm in papilionibus, phaleris, aut oſtijs, aurea mala inſerta fuêre? Credo eâ de cauſa, eloquium ſapiens in Virgine, quæ inſtar argentei lecti ſit, dici ineſſe: ob eam

Iſaia 6.

Proverb.

S. Greg.

animi

animi quietem, quam in loquendo, citra omnem perturbationem, aut præcipitationem retinebat; ita ut *Flueret sicut ros eloquium, & sicut stillæ super gramina*; non crepitaret instar grandinis super tecta. Fuit enim elocuta ea, quæ dixit Beatissima Virgo, non ex animi impetu, aut æstu quodam loquendi, sed animo bene composito, sedato, atque tranquillo: neque enim prorupit in verba statim, ac audierat Angelum loquentem; sed postquam secretò apud animum suum consultasset, quid & quibus verbis animi sui sensum aperiret; fecitq; quod Ecclesiasticus faciendum monuit, ut prius reducerentur verba ad limam, quàm ad linguam.

Eccl. 28. 9. 29. Verbis tuis facito stateram.

§. V.

Ostenditur, quàm prudenter responderit, Humilitatemq; in tempore exhibuerit MARIA, cum Dei Matrem se declaratam sensit.

VOlumusne jam alteram sermonis ejus cum Angelo habiti partem audire? neque enim facilè ex alio magis patere potest Prudentia Virginis, quàm ex ejus sermocinandi gratia; *Nam qui moderatur labia sua, prudentissimus est*, proverb. 10. Prodit se quisque inter loquendum, & quantâ præditus sit intelligentiâ manifestat; vnde dicebat quispiam sapientum: *Loquere, ut noverim te.* Character mentis est sermo, si Prudentiam Virginis indagare velimus, *Quasi furtivè suscipiat auris nostra, venas susurri*

Proverb.

Iob. 4.

surri ejus. Comperto igitur verace internuncio, (eò quòd idipsum respondisset Angelus, quod ipsa tenebat animo suo infixum, se illæsa videlicet Virginitate parituram, siquidem Messiæ Mater destinata fuisset) etsi hoc illi supra quàm dici possit (præ vili,quē gerebat de seipsa sensu, atque æstimatione) admirabile videbatur; attamen animitus credidit se illam esse destinatam Dei genitricem; atque adeo asseverationi Angelicæ, quâ dixerat: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*; Sic respondit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbū tuum.* Vellem hoc loco scire, quando jam totius negotij summam vtcunque perspectam habemus nimirum, quis animus Virgini fuerit, quid Angelus annunciarit, & rogatus responderit: vellem,inquā, scire, an aliquid magis appositum eo, quod tandem Virgo subjecit afferri potuerit. Equidem ita existimo, quôd si omnium Mundi sapientum senatus ageretur ad deliberandum, quodnam responsum è terra ad cælum referre deberet Angelus, magis accommodatum eo, quod subintulit MARIA reperiri nullum posse. Perpendamus enim quòd invitata ut Dei Mater esset, quam dignitatem innumeræ aliæ prærogativæ consequebātur, illaq; inprimis, quam Angelus promulgarat, quòd benedicta esset inter mulieres; tantò tamen magis seipsam depressit, abjecitq; quantò supra se altius attollebatur, & hoc sanè peropportunum fuit, non solùm quia id apertè Eccl.3.v.20. sacræ literæ monent, dum ajunt: *Quantò major es, in omnibus magis te humilia;* Sed quoniam est hujus rei optima ratio, quæ Virginem prudentem non sanè præ-

nè præterijt. Congruum enim valde eſt, ut oblatis à Deo muneribus, cum dignitatem noſtram facilè ſuperent, immo prorſus indebita ſint; æquum, inquam, eſt; ut ipſo ſuo ſplendore reflectant oculos ad propriæ vilitatis contemplationem; cumq; etiam deceat, ut de dono gratiæ habeantur largitori, optima gratiarum actio eſt, & pene dixerim, beneficij digna retributio, ſi ita donum æſtimetur, ut qui accipit indignum ſe illo profiteatur: placet enim hæc animi gratitudo ei, qui largitus eſt; cum intelligit apud eum, ſe beneficium collocaſſe, qui & magnitudinem ejus æſtimet, & gratum animum oſtendat. Quod quidem ad amuſſim præſtitit Virgo Sapiens, quæ Dei Mater appellata, ut quantùm ab hac excellentia diſtaret, oſtenderet; Ancillam ſe dixit; eaq; indignitatis ſuæ profeſſione effectum eſt, ut muneris delati amplitudo clarius appareret: atque proinde cecidit Verbum in terram bonam, quæ fructum retulit vberrimum gratitudinis, & ſubmiſſionis: ut auſim affirmare, MARIAM per hoc, digniorem effectam, quæ Mater Dei fieret, propterea quòd cum ſolùm electa ad id eſſet, indignam ſe ea electione, & gradu teſtata fuerit. Videamus ad hæc quàm cauta & ſolers ſit MARIA. Superventurus in eam erat Spiritus Sãctus, hoc eſt, de cælo lapſurus in ipſam; ergo in humili reſidet, proſternit ſe ſe, quia ad humilia, & valles confluunt aquæ; exinanit ſe ut repleatur, & vas vacuum offert, nihil omnino ſibi de ſuo retinens, ut tantò capacius exciperet oleum miſericordiæ, quantò eſſet ſeipſa inanior: quare illa offerente ſe inanem & vacuam, Deus infundebat, & replebat,

Luca 8.

4. Reg. 4.

plebat, & ſupereffluebat. Servata eſt optima proportio inter Deum & ipſam; nam dum munificentiſſimè ſe habet, & parat abundantiſſimè elargiri; hæc tantò magis laxat ſinus, ad excipienda Dei dona. Quomodo autem ſe laxavit? quomodo reddidit ampliorem? cum Ancillam ingenuè ſe profeſſa eſt, cum ſibi de ſe nihil reſervavit, cum ſe totam in jus Domini ſui tranſcripſit. O ingenioſam MARIAM ad captãdam Dei liberalitatem! ô Myſticam Ruth! *Quâ expandente palliũ ſuum, & tenente* (Ruth. 3. v. 15.) *menſus eſt ei Booz ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam, quæ portans ingreſſa eſt civitatem.* Nonne ipſa eſt Bethlehem, quam Virgo prægnans introivit, plena ſcilicet frumẽto electorum JESV Chriſto? verùm poſtquam jacuiſſet ad pedes ſui largitoris, ejuſq; pallio fuiſſet operta: hoc eſt, Ancillam ſe dixiſſet, & mox virtute Altiſſimi obumbrata fuiſſet. Perſpicite & aliud Prudentiæ MARIANÆ in his ipſis verbis non leve argumẽtum: *Ecce*, inquit, *Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quid eſt hoc, quod ais MARIA, *Fiat?* numquid non jam voce Angeli promiſſum tibi eſt, fore ut concipias, & parias ſalvâ Virginitate? an non cælitus eum ad te miſſum credis? *Eaq; omnia perficienda, quæ dicta ſunt tibi à Domino?* cur ergo optando dicis, *Fiat!* ſic enim Evangeliſta Lucas expreſſit γένοιτο, & non imperando herili modo, γενηθήτω. cur optas ut fiat, quod divinitus accepiſti futurum? an negare ſeipſum poteſt Deus? Ingenua prorſus, planeq; conſiderata eſt MARIA. tametſi enim is, cui à fide digniſſimo promiſſum aliquid eſt, diffidere de promittentis fide videatur, nec mediocrem

Ruth.

Digitized by Google

crem irrogare injuriam, ſi poſt factam rei ſtipulationem, ſeriamq; pollicitationem, dicat ſpōdenti; *Vtinam fiat:* aut quid ſimile, nam eâ loquendi formâ vocare in dubium videtur alterius conſtantiam, & fidem: attamen quando non eſt reciproca promiſſio, ſed penitus liberalis, & gratuita, atq; de re prorſus ſingulari, & ſupra omne debitum aut meritum, ut etiam nefas ſit rem hujuſmodi poſtulare; tunc ad acceptantis modeſtiam ſpectat dicere illud: *Vtinam fiat mihi ſecundum verbum tuum*; eâ enim loquendi formulâ, & voto, nullum quidem dubium de promittendis fide oſtenditur; cæterùm (quod apprime quadrat) non exigitur promiſſum quaſi jam debitũ, ſed ſuo loco, prudentiſſimeq; inſinuatur indignitas acceptantis, quodq; planè gratis, citraq; meritum ſuum ei offeratur. Eſt verò etiam, quod in his ipſis verbis, eo modo precatorio prolatis, etiam aliquid altius è pectore Virgineo hauriamus. Cum enim MARIA filia eſſet Abrahami, ita ſe geſſit, ut ipſum feciſſe legerat. Cum enim (Geneſ. 17.) Abrahæ promiſſum eſſet ſemen, *In quo benedicendæ eſſent omnes tribus terræ: cecidit in faciem ſuam, & riſit dicens in corde ſuo: putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet? dixitq; ad Deum: vtinam Iſmahel vivat coram te.* Quæ ſanè verba, non protulit Abraham, quaſi hæſitans circa Dei promiſſionem, jam enim cap. 15. relatum fuerat: *Quòd credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam;* vbi de hac ipſa promiſſione Sermo eſt: vnde non vacillavit poſtea in ea fide Abraham; *Riſus enim Abrahæ, exultatio eſt gratulantis, non irriſio diffidentis,* Sanctus inquit Auguſtinus de ci-

Geneſ.

Auguſtinus

de civit. Dei l. 16. cap. 29. attamen ita locutus eſt: *Putaſne centenario naſcetur filius? & vtinam vivat Iſmahel;* ad oſtendendã videlicet indignitatem ſuam, quæ tantam promiſſionem veluti capere non poſſet, & ſat ſuperq; ſibi futurum, ſi vernaculus ſibi ſuperſtes foret. Exultavit quoque Spiritus MARIÆ in ipſa, qui ejus riſus fuit: attamen quia maximam inter meritum ſuum, Deiq; Maternitatem, atque concipiendi rationem puriſſimam, ſentiebat eſſe intercapedinem; optando, tanquam rem indebitam, expetijt evenire ſibi, prout eventurum ſibi, promiſſum ei fuerat. Retinet vbique decorum MARIA, habentque ejus verba profunda myſteria, & ſuperficietenus conſideranda non ſunt. *Ecce,* inquit, *Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Vtinam mihi ita obtingat, uti futurum promiſiſti mihi, quæ indigniſſima, & à tanto Dei in me favore remotiſſima ſum. Eſt & aliud, ut prudentiâ pleniſſimum, ita cõſideratione digniſſimum: ut verè affirmare liceat, miram in paucis verbis latere ſapientiam, & artem; multoq; admirabiliorem videri debere MARIÆ prudentiam in aliquot duntaxat apicibus, abundantiſſimè congeſtam, quàm quod Homeri Ilias in juglande (ſi verum eſt) tota deſcripta fuerit. Videamus igitur non ſolùm quomodo in brevi ſententia decorum ſervârit, ſed etiam ad ſingula legationis capita diſtinctè reſponderit. Decorum tenuit in eo, quòd cum Virginem ætate etiamnum teneram, parcus & modicus ſermo deceret, pauculis illis etiam verbis uſa eſt, & tamen, quod ſummæ fuit ſolertiæ, cum Angelus tria præſtitiſſet; hoc eſt: primò quidem Virginem

Digitized by Google

Virginem perquam honorificè ſalutaſſet, ſecundò Verbi, ex ea incarnandi nuncium attuliſſet; tertiò modum incarnationis aperuiſſet,& quod cõſequens erat, ab ea conſenſum avidè expectaret: vnica reſponſione breviſſimâ omnibus ſatis fecit; hoc ordine: quòd enim benedictam inter mulieres, & gratia plenam me dicas, & quòd Dominus mecum ſit: *Ecce Ancilla Domini*; quod autem verbum de carne mea carnem dignari ſumere añuncias: *Fiat*. ad id, quod ais fore, ut illæſa Virginitate paritura ſim Deum & hominem: *Fiat*, inquam, *Secundum verbum tuum*. Quibus etiam in verbis conſenſus expreſſus eſt. ut nihil in ea reſponſione deſiderari poſſit, quin videri habeat ſapientiſſima: præſertim cum eam, non longè ante præmeditata fuiſſet, ut veriſſimè pronunciatum, & relatum in ſacros codices de Prudentia hujus Virginis pridem fuerit: quòd nimirum *Os ſuum aperiet ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus*; hoc eſt, quod non minûs prudens, quàm gratiâ quadam ſuavitatis, ſeu manſvetudinis condiendus eſſet Virginis ſermo. *Proverb. 31.*

§. VI.

De prudenti B. Virginis omiſſione, & actione.

RErum magnarum præſertim expectabilium, & longè optatiſſimarum prænuncia, & anticipatæ narrationes vehementer ſitim accendere ſolent, ad inquirendum ſciendumq; præfinitũ tempus, ac locum, quo eventuræ ſint; nihilq; prius occurrit,

occurrit, quàm de tempore loco, alijſq; hujuſcemodi quæſtiones inſtituere. Cur igitur ô Virgo Meſſiæ ſtudioſisſima, quando jam noſti non ſolùm quòd concipies, & paries Dei Patris vnigenam, ſed etiam quomodo id futurum ſit, cur non poſtulaſti, quando fiet iſtud? cur non expiſcata es diem adventus Domini? diem illum ſponſalitij, immò connubij, quod Deus cum humana natura, in thalamo vteri tui, ad hoc pridem præparati, initurus erat? cur nõ rogitaſti quod ſignum adventus Domini? Certè diſcipuli filij tui, cum de ſecundo, & iterato adventu audirent eum loquentẽ, ſciſcitabantur ex eo, *Quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui?* Et *ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* Quidni ergo cum didiceris jam eſſe venturum, & quidem ex te naſciturum non rogas, quando venturus ſit, quo die, quâ horâ concipiendus, & poſtmodum naſciturus? cur de loco natali ejus, de modo educationis, alijſq; non poſtulas inſtrui? Sed plus quàm Apoſtoli, eſt Virgo ſapiens, vereq; prudens. Quod res & negotium poſtulabat, hoc percunctata eſt; ab omni deinceps alia quæſtione, quæ minùs ad rem faciebat, abſtinuit. O moderatrix linguæ MARIA! nõ ignorabat illa: *Non eſſe ſuum noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Videtiſne igitur, quó pacto interluceat vbique divina quædam Virginis hujus ſapientia? Et ſi nos, qui ſumus tantilli, qui cæcutimus, & modicâ ad intelligendum vi præditi ſumus, qui ſumus homuli & in ſordibus peccatorũ quotidie volutamur, qui tot pravis affectionibus detrahimur, & inficimur; aliquid de Prudentia Virginis quaſi manu palpamus:

Matthæi 24. 24. v. 3.
Actorum 1.
Actorum 1.

pamus: quid ſi verba Virginis in alius judicij truti-na collocarentur, qui majore ad diſcernendum facultate polleret, & ipſe cum ſapiens eſſet, noſſet ſapientum dicta æquâ lance æſtimare; nonne is etiam multò plura Virgineæ Prudentiæ argumenta detegeret? Cæterùm pro tenuitate noſtrâ, hæc videre nobis viſi ſumus ad odorandam (ut ita dicam) magis Prudentiam Virginis, quàm penitus deguſtandam. At quando puſilli ſumus, & ad illum Prudentiæ MARIANÆ gradum, & verticem pertingere non valemus, & quidquid dicimus, balbutimus magis, quàm aliquid dignum Virginis Prudentia eloquimur: id ſaltem certiſſimâ conjecturâ aſſequi poſſumus, non vulgari Prudentia excelluiſſe illam, quæ nomen Reginæ, & Advocatæ totius generis humani apud Deum ſortita eſt. Si namq; rerum gerendarum Prudentia aliquibus competit; Regibus, iiſq; qui præſunt, maximè neceſſaria eſt: quare qui MARIAM in Reginam adlegit, & Patronam voluit eſſe noſtram; dubium non eſt, quin eam in procuranda re noſtra apprimè ſolertem effecerit. Perſpexit hoc Eccleſia Sancta, ac proinde MARIAM aſcendentem ad cæleſte prætorium, ac tribunal Judicis, ut comunem generis humani cauſam agat, ita alloquitur: *Quò progrederis Virgo prudentiſſima, quaſi aurora valde rutilans.* Neque id ipſum Patres ignorârunt, in quibus Ephrem & Damaſcenus; quorum alter appellat eam principem omnium prudentiſſimam, & ſagaciſſimam; alter, *Theſaurum ſapientiæ, quâ incautam Evæ ſimplicitatem emendavit.* Hoc ratio ipſa docet; cum ipſa ſerpentem callidiſſimum devictura eſſet,

In feſto aſſumpt. antiph. ad magnificat.
Sermõ. de laud. Virg.
orat. 1. de dormit.

& caput ejus calcaneo ſuo depreſſura, quaſi Humilitate ſuperbiam; ut debuerit eſſe valde perſpicax, quæ cum antiquo & veteratorio dracone conflictura fuerat. Verum enim vero quia nonnunquam fit, ut aliquorum quidem prudens ſit ſermo, & ſolers intelligentia; attamen irrationabilis, incompoſitaque actionum ſuarum Oeconomia; perſpiciamus an defuerit ei aliqua boni regiminis pars, ad congruam rerum ſuarum adminiſtrationem. Atque illud primum attingnam, quod in ejus actionibus in primis occurrit: ſola in penetralibus erat, cum ab Angelo ſalutatur. Quid hîc dicam? conſiderate fæminam, conſiderate Virginem & puellam; & videte, quam vivendi teneret diſciplinam; quàm amans ſilentij, fugitans publici, intenta operi, orationis, lectionisq; ſtudioſa. Diſcamus è Virgine Prudentiam, & in rebus noſtris quendam gerendorum tenere canonem. Sunt cuique ætati, ac conditioni quædam magis apta: quid Virgini congruum magis ſilentio, ſedulitate in opere, clauſtro, ſecreto, ac oratione? hæc factitabat Virgo, cum deprehenſa eſt ab Angelo, ut non fuerit captandus locus aut tempus, quo alloquenda eſſet, hærebat aſſiduè in eis ſtudijs, quæ ſuæ conditioni videbat competere; nec alienam à ſua, quod ſemper turpe eſt, agebat perſonam. Quid oberramus, qui B. Virginis ſtudioſi & clientes videri volumus? quid oberramus, dico, ſine cauſa pietatis, aut juſtæ neceſſitatis, non modò per fora, & domos alienas; ſed vel per ipſas proprij domicilij exedras? & hoc adoleſcentioribus minus appoſitum eſt quorum eſt diſcere in ſilentio, & facto exprimere

dictum

dictum sapientis illud Thren. 3. *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit super se.* Profectò si ab adolescentia silentio, lectioni, studioq; non insistamus; disciplinæ MARIANÆ severitatem non imitabimur, cumque aliorum molestia, & tædio vitam degemus. Ecquis etiam MARIÆ, tanquam Matri charior futurus est, & veluti magis dilectus à Rebecca, nonne is, qui instar Jacob habitat in tabernaculis quietus, & simplex? Sed regrediamur ad Virginem ut ab ea exempla vivendi discamus; cumq; illá, sicut in tempore delitescere ita cum res exigit, in publicum prodire. Neque enim illud etiam suâ prudentiâ, & discretione vacat, quòd cum ex Angelo didicisset Elisabetham jam ætate grandævam vterum gestare, & partui appropinquare, confestim eam sibi invisendam censuerit, & quâ ratione posset, molestiâ partus levandam. Quód si hoc ei in mentem venisset, quæ experientiâ didicisset incommoda gravidarum, vni charitati magis, quàm industriæ & Prudentiæ adscriberemus. Atqui etiam absque experimento acutè hoc pervidit, secutaq; est dictamen; quod ei sua solertia suppeditabat: invisendam videlicet esse cognatam, omniq; ope, & solatio fovēdam: quod bene vertit consilium secundante Deo, quæ prudenter & piè fuerant cogitata, dum prophetizat Elizabeth, gaudio & Sanctitate delibutus est infans Joannes, Dei gloria exaltata, & deprædicata à Virgine, & demum toto trimestri recreata parturiens. Placet mihi quidem charitas Virginis nostræ, impensaq; indigenti benevolentia; sed nescio quo pacto, hæc MA-

RIÆ ſagacitas ad perſpiciendum, quod experientiâ ſcire non poterat, atque ad exequendum promptitudo, quod maturè deliberârat, habeat aliquid præſertim in adoleſcentula, quod vehementer animum conſiderantis paſcat. Sed quid miremur iſtud? non enim dubium eſſe poteſt, quin deſcenderit in eam donum Conſilij, in quam ſupervenit Spiritus Sanctus. Ex illo fuit, quod planè providorum eſt ut MARIA, quod refert Lucas cap. 2. iſtar apis argumentoſæ *Conſervârit omnia verba hæc*; id eſt, quæcunque geſta, ac dicta de filio ſuo, contuleritq; ea, tanquam ſapiens conſiliatrix in corde ſuo. Mundum planè animal MARIA, quæ & ruminabat, & ungulam findebat; id eſt, audita & viſa recogitabat, perpendebat, & quæ poſteritati mandanda eſſent diſcernebat. Et unde nobis aliàs eſſent, quæ de Chriſti Infantia ſcitu digniſſima perſcripta ſunt ab authoribus, niſi provida in futurum MARIA facta fuiſſet nobis, *Tan-*
Proverb. 2. *quam Navis inſtitoris de longè portans panem?* Laudamus Sapientiam Clementis primi, & inter primos, qui ad Eccleſiæ clavum ſederunt, propterea quod is ſeptem Vrbis regiones totidem tabellionibus diſtribuit, ſingulas ſingulis aſſignans, ut paſſiones Martyrum, reſq; ab eis geſtas diligentiſſimè conquiſitas literis mandarent; & meritò commendamus eam viri Sanctiſſimi induſtriam, qua factum eſt, ut præclariſſimo cæteroquin theſauro, hoc eſt, memoria nobilium geſtorum non careremus. At vnde nobis etiam hiſtoria Chriſti naſcentis? vnde Conceptionis ejus in vtero? vnde Magorum ad incunabula infantis adventus? cæteraque recordatione digniſſima? niſi ex

niſi ex ſacrario pectoris Virginei deprompſiſſent calami velociter ſcribētis? Quis ſuggeſſit hoc MARIÆ ne rerum earum memoriam, quarum recordatio adeo nobis eſt jucunda, tempore ipſo ſineret intercidere, ſed ea figeret in corde ſuo tradenda deinceps poſteritati? quis, inquam, hoc tam ſalubre conſiliū MARIÆ ſubminiſtravit? Si non quædam animi omnia proſpicientis maturitas, quâ tanto ante providit ea omnia Eccleſiæ perquam vtilia, chariſſimaq; futura? Taceo quâ dexteritate in cōvivio illo apud Canam Galilææ, & vinum deeſſe dixerit, & miniſtros commonefecit, ut quidquid ſibi à filio præciperetur, hoc facerent. & fuit ſanè cauta, beneq; vigil MARIA: ex illo quippe filij ſui reſponſo: *Quid mihi & tibi eſt mulier, nondum venit hora mea*; non illud conjecit, quod præſeferre videbatur; hoc eſt, vinum procurare ad nos nihil ſpectat, viderint illi qui nos invitârunt; non hoc, inquam, ex ijs verbis conjecit; aut ſpem abjecit impetrandi, quod petierat; ſed confidens animo, & diſcernens quid vellet ſibi illud; *Nondum venit hora mea:* hoc eſt, propediem facturus ſum, quod petis; cum videlicet major vini inopia extiterit: quod ipſa ſagaciter prævidens, dixit Miniſtris; *Quodcunque dixerit vobis, hoc facite.* Quàm igitur parum præceps MARIA! quàm lento incedit pede in rebus gerundis? Totam Chriſti reſponſionem bene perpendit; & ubi vidit non reijci omnino poſtulationem ſuam, ſed tantùm differri, ibi anchoram ſpei fixit, & pietatis opus inchoatum, feliciter omnia moderante Prudentia, ad finem perduxit. Quis nobis det aliquando videre totam MA-

RIANÆ domus Oeconomiam, actionumq; omnium juſtiſſimum ordinem? contemplari illud templum Domini, quod eſt mirabile in æquitate? Hæc eſt, *Mulier illa fortis, quæ conſideravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit.* Multò profectò magis, quã Regina Saba, obſtupeſceremus attendentes quàm ſcitè eleganterq; contexeret omnia; quomodo nihil omitteret neceſſarium; omniaque provideret. Hujus rei gratia dixiſſe Dionyſium Areopagitam autumo, quòd ſi fide edoctus non fuiſſet, unum eſſe cæli terræq; Dominum, MARIAM ſe Dei loco habiturum fuiſſe. tanta quippe erat oris in ea dignitas, & actionum omnium incredibilis rectitudo.

Epiſt. Dionyſij areop. meminit Adrianus papa in 1. Epiſt. ad Carolum c. 6.

§. VII.

De magna ſecuritate ſub præſidio Virginis Prudentiſſimæ.

QVis nolit ſub ſignis tantæ Matris, ac Reginæ mereri, quæ vere caſtrorum eſt acies ordinata? quòd ſi beata eſt illa civitas dicenda, in qua ſapientes regnant; aut qui regnant Philoſophantur; feliciſſimos appello omnes B. Virginis cliẽtes, & cætus Parthenicos, quiq; ſub præſidio adeo ſapientis moderatricis degitis. Hæc eſt nimirum illa, de qua cantic. 7. dictum eſt à Sponſo: *Naſus tuus ſicut turris, quæ eſt in Libano.* Quid enim per naſum Sponſæ, niſi diſcretio? cumq; inſtar turris, & quidẽ in monte ſitæ dicatur eſſe; innuitur prudentiã Virginis fuiſſe maximam, quaque non ſolùm quæ ante pedes, ſed quæ longè poſita, tanquam ex edito loco proſpi-

S. Gregorius lib. 31. moral. in Iob. cap. 30.

proſpiceret; atque magiſterio rationis perſpecta digereret. quare illud fixum ratumq; habeamus, nunquam Præſidi noſtræ, ſi veri fuerimus ejus cultores, rationem aut modum defuturum, quo nobis optimè proſpiciat, rebuſque noſtris afflictiſſimis, etiam ſupra quàm ſperare poſſimus ſubveniat; quæ quidē non tam divinando, beneq; de Matre Dei ſperando dicimus, quàm experiendo. Prudens eſt, & non ignorat, quâ via meliùs iratum nobis Deum valeat conciliare, habemuſq; hujus rei in Rege Joſia exemplum, & prognoſticon 4. Reg. 22. nam cum is religioſiſſimus vir, iram Dei civitati imminere ſentiret; eſſetq; in anguſtijs, præteritis Prophetis alijs, Holdam Prophetidem conſuluit: ex eaq; cognovit ſe quidem à ſupplicijs, quæ cæteros manebant, immunem futurum. Ergo in maximis præſentiſſimiſque periculis arcendis, confugiendum eſt ad MARIAM: ipſa enim eſt, quam meritiſſimò Andreas Hieroſolymitanus in ſermone de Añunciatione nominat Dioptram perſpectivam, quæ aſtrolabij capars eſt, qua qui artem perſpectivam callent, ſpeculantur eminus rerum magnitudinem, diſtantiam, ſublimitatem, & intervalla mirabilique certitudine metiuntur. Dioptra igitur perſpectiva eſt MARIA, quòd etiam longè proſpiciens nihil omnino eam prætereat eorum, quæ circa ſuos clientes gerenda ſunt. Et quoniam ſummæ ejus Prudentiæ par in Virgine aſſociata eſt charitas, quod Prudentiâ aſſequitur, id benevolētiſſima Charitate perficit: illa, *Quæ cum feſtinatione abijt in montana, & viſitavit Eliſabeth,* quod enim faciendum ſapientiſſimè providit, id ſtudioſe,

4. Regum.

4. Regum.

Andreas Hieroſolym.

dioſè, & incitato magis benefaciendi ſtudio, quàm corporis greſſu peregit. Habent aliqui prudentiæ ſatis, ſed pietatis ad alios parum. Adeſt quibuſdam benefaciendi ſtudium, ſed carent prudentia, qua diſpicere valeant quid alteri deſit, aut ab eo deſideretur. MARIA cum alacritate juvandi alios, Prudentiam nacta eſt ſingularem. Vtrumque igitur complexa; hoc eſt, Charitatem cum ſolertia, ita aſſociavit, & tanquam gemmam pallæ inſervit, ut vinculum nobilius, melioremq́; duarum inter ſe virtutum conjunctionem deſiderare non poſſimus. Hæc videlicet eſt illa myſtica Ruth, quam S. Bonaventura, & Venerab. Beda, Hieronymo ipſo atteſtante, interpretantur videntem, & feſtinantem: quæ enim eſt hæc Ruth videns, & feſtinās alia quam MARIA? quæ ut cognovit laborantem ex vicino partu Eliſabetham, actutum (ut ipſemet Evangeliſta ait) *Cum feſtinatione* evolavit ad montana ad opem ferendam. Quis igitur de te, ô MARIA, diffidat? quæ tantam in nomine profers ſpei noſtræ illecebram. Vt enim vides miſeriam, feſtinas ad miſericordiam; & non potes non videre, quæ audis *Multocula* ab Epiphanio, & videntem omnia vides: hoc indicat ea, quam cōfeſtim tuliſti Eliſabethæ opem: hoc ſuadet miſeratio tua erga convivas, quamprimum eos deſtitui vino ſentire potuiſti: hæc ſunt duo illa vbera tua, quæ tantopere commendat ſponſus, dicitque quod ſint; *Tanquam duo hinnuli capreæ gemelli*, propterea quod capreæ & acutè vident, & celeres ſunt Cant. 4. ab his lactabimur, & non deficiemus, inq; Prudentia tua & Charitate conquieſcemus.

In ſpeculo B. Mariæ c. 4. in interpretatione nominum Hebraicorum.

In Orat. de laudibus B. Virginis.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.
De Sanctitate Beatæ MARIÆ.

§. 1. *Vtrum horum ſit potius in MARIA, an quod Sancta, an vero quod Dei Mater exiſtat?*
§. 2. *De varia Sanctitatis ſignificatione.*
§. 3. *De primo Sanctitatis genere ex Dei fruitione, quòd ſingulariter in B. Virgine id reperiatur.*
§. 4. *De altero Sanctitatis genere, quod hominibus etiam in hac vita degentibus obvenit, quàm excelluerit in eo MARIA.*
§. 5. *Continuatio de genere eodem Sanctitatis quod poſitum eſt in receſſu non modo ab originali peccato, ſed etiam à fomite, & peccatis actu proprio commiſſis.*
§. 6. *Proponitur modus quo B. Virgo à proximo peccati originalis debito erepta fuerit, & nihilominus propriſſimè redempta.*
§. 7. *Quòd B. Virgo non ſolum à peccato naturæ, ac fomite, omniq; alio delicto libera fuerit, ſed etiam à peccãdi periculo præ omnibus, quàm remotiſſima.*
§. 8. *De magnitudine Sanctitatis ſeu gratiæ, qua B. Virginis anima cumulatiſſime exornatur.*
§. 9. *Quòd B. Virgo etiam ea Sanctitate, quæ per analogiam dicitur Sanctiſſima ſit.*

Prooemium.

OPorteret quidem me, ante templũ hoc, imò Sancta Sanctorum (quæ etiam ſoli Sacerdoti ſummo, & hoc duntaxat ſemel in año ingredi *S. Paulus ad hebræos cap. 9. vi. 7.*

ingredi licebat) provolutum adorare, nec usquequaque audere adyta Sanctitatis penetrare; sed in silentio Gratiæ arcem, Sanctitatisq; monumentum (sic B. Virginem appellat Thaumaturgus) religiosissimè venerari. Sed quando abs te, ô Virgo Sacratissima, facta mihi copia est aliquid dicendi de admirabili tua Maternitate, & Virginitate, nec non de profundissima Humilitate, accerrimaq; Prudentia; dabis etiam veniam ut de Sanctitate tua aliquid balbutiam, quoniam non solent esse ingrata Matribus infantium crepundia, sed magis ijs placent conamina labij impediti, & soni vocis indigestæ.

§. I.

Vtrum horum sit potius in MARIA, an quòd Sancta, an verò quòd Dei Mater existat?

CVm Dei Genitricis nomen, quod MARIÆ collatum est, adeo sublime sit & augustum, ut excellentiam ejus non dico oratione, sed ne cogitatione quidem ipsa, vel ipsimet Angeli assequi valeant: videri cuipiam fortasse meritò possit; nihil etiam in Virgine reperiri melius posse, quàm quod Dei Matris appellationem sortita sit. Neque verò refragari prima fronte huic sententiæ, quam rei ipsius commendat authoritas, auferit quis. Attamen si controversiam hanc ad ipsiusmet Christi trutinam, arbitriumq; referre velimus; reperiemus nō planè sic esse, nec id esse in B. Virgine optimū, quod præfertur

Digitized by Google

præfertur, eò quòd in ea aliquid multo melius ac desiderabilius sit. Video cohibitam admirationem propterea quòd Christi testimoniũ ad hoc adstruendum, ostendẽdũq; præsto esse dixerim; nec id proferre recuso. Quam igitur summus arbiter ac Magister hac de re protulit sententiam? aut quid dignitati Matris vnquam præhabuit? Audite, & intelligite. Agebat palam Christus de regno Dei, confluebatq; ad eum innumera hominum multitudo, quia *Diffusa erat gratia in labijs ejus, qui speciosus est præ filijs hominum:* Verbo solo compellebat dæmones è corporibus excedere, imperabat ventis & mari, pauculis panibus & pisciculis plura hominum millia saturabat, ægros sanitati, mortuos vitæ reddebat: inter hæc igitur egregia sanè facinora, cum horum mulier quædam spectatrix esset, & sapientiæ admiratrix; vocem cohibere vltra non valuit, & exclamans dixit: *Beatus venter, qui te portavit, & vbera, quæ suxisti:* Si Christus huic orationi subscripsit, si hoc nomine beatam felicemque Matrem prædicavit, si huic laudationi nihil præhabuit, quòd disquiramus vltra, nihil habemus: definita res est, & fortunatissimum inter ea, quæ B. Virgini concessa sunt, hoc vnum est, quòd Deum & hominem genuerit. Atqui verò non acquievit ejus fœminæ commendationi Christus; sed dixit: *Quin imò beati, qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud:* Quo apertissimè ostendit; Maternitati etiam Dei ipsius præoptandam esse Sãctitatem, quâ demum felices esse possimus. Quid ergo? præstantior est Sanctitas ipsa Maternitate? non ajo, at Christus præhabendam duxit, cum dixit:

Psalm. 44.

Luc. 11.

 quini-

Quin immò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Non præhabuit Maternitati Sanctitatem ut præſtantiorem, ſed ut beatiorem, optabilioremque; non enim mulier illa dixerat: præſtans venter, qui te portavit; ſed beatus. at beatitudo vera, & melior ab obſequio Dei, ſeu legis divinæ cuſtodia, pendet magis, quàm ex ipſa filij Dei generatione, quæ ſola non beat; nec dubium multos ſecundùm carnem Chriſti progenitores, reapſe infeliciſſimos eſſe. hoc autem beatum facit, hoc eſt, parêre divinis mandatis; & hoc vtique magis optandum eſt, etſi præſtantius non ſit. Atque hâc poſitâ inter magis optabile, ſeu felicius, & id quod præſtantius eſt differentiâ, quæſtioni ſatisfactum eſt. dicendum quippe eſt; quòd Maternitas quidem venerabilior excellentiorq; at Sanctitas felicior optabiliorq; ſit. ea de cauſa S. Auguſtinus libro de S. Virginitate dixit: *Auguſtinus tom. 6. c. 3.* *Beatior eſt MARIA percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti;* quod tanti viri oraculum immeritò cenſuit Michael Ghiſlerius 7. explic. cap. 1. in Cantica, dùm ait Maternitatem eſſe præſtantiorem; neque enim Auguſtinus id aliquando inficiaretur, ſi Maternitas cum pietate Virginis, ſeu obedientia conferatur in genere entis (ut cum Schola loquar) & non moris: qua ratione utique argenti maſſa præſtantior eſt altero tanto pane cibario; attamen optatior eſt panis eſurienti, quàm multa vis auri. Porrò etſi gratia ſeu Sanctitas naturæ divinæ participatio eſt; Maternitas tamen gignendo divinam perſonã attingit, & propinquior eſt Deo, quòd Mater ſit, quàm quòd Sancta; & manifeſtum eſt, præſtan-

Digitized by Google

præstantius esse, quòd MARIA naturalis Dei Mater sit, quam quòd filia adoptiva, seu Mater Spiritualis, quod est illi cum pluribus commune. Salazar quidem cap. 40. §. 3. suæ defensionis pro immaculata Conceptione, contendere videtur; digniorem esse MARIAM ex eo quòd Christum mente, quàm corpore genuerit, sed omnino hæc disceptatio versatur in ambiguitate vocum, ac significationũ: quid enim? nonne is excellentior digniorq; est, cui major debetur honor ac veneratio? quis hoc neget? Atqui Dei Matri MARIÆ, ob eam singillatim causam, quòd Dei Mater existat, majus debetur obsequium, quàm cuicunque Sanctorum; ajo, etiamsi Sanctitate vitæ inferior Sanctis esset MARIA, attamen ob Matris Dei dignitatem ac nomen, longe majus, quàm cæteris obsequium deferendũ esset. cum enim apud Theologos tot sint genera cultus, seu venerationis, quot sunt excellentiæ ac dignitatis species: ut etiam videre est apud S. Thomam, 2. 2. q. 103. a. 3. reperiaturq; triplex excellentiæ genus, hoc est, divinum, humanum, ac inter utrumque hoc, medium quoddam, quod in Sanctitate & gloria Sanctorum positum est, & debetur ei cultus is, quem verbo Græco Duliam vocant; est nihilominus; cùm Christi Humanitas (ob id, quòd Verbo vnita sit) tum Virgo MARIA (quod Mater filij Dei existat) singulariter colenda propterea quòd eo nomine præstet alijs Sanctis, ut dici possit Domina, & Regina nostra: cui excellentiæ, hoc est, tam Christi Humanitati, quàm MARIÆ Maternitati, debetur hyperdulia, major videlicet veneratio, quàm ea sit, quæ Dulia appellatur: Ob hanc

S. Thomas

Vide Bellar. de SS. beatitudine c. 12.

Digitized by Google

hanc cauſam Principibus viris, quòd Dei vices gerãt (quantumvis malis ac diſcolis) ob eam excellentiã, honorem deferimus, etiam quàm probis, ſed privatis hominibus, majorem. Retinendum igitur eſt animo diſcrimen bonorum, quorum etſi alia ſunt appetibiliora, ſunt tamen minùs excellentia; quale eſt mulierem eſſe Sanctam duntaxat, quàm ſolùm Dei Matrem eſſe: quâ de cauſa ſicut dixit Chriſtus, *Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*; ita protulit illud: *Bonum ei erat, ſi natus non fuiſſet homo ille*; cum tamen ſecluſâ appetendi conſvetudine, & more, præſtantius omnino ſit etiam inter ærumnas vivere, quàm penitus vitâ caſſum eſſe. De hac igitur Sanctitate, quæ in collatione cum dignitate Matris Dei, Chriſto Judice, appetibilior eſt; quanta fuerit in Dei genitrice MARIA, prout poterimus, & ipſa dederit, aggrediamur dicere.

Matth. 26. v. 24. Vide Maldonatũ, ibi.

§. II.

De varia Sanctitatis ſignificatione.

VT ei, quod ad calcem paragraphi ſuperioris propoſuimus, planè & abſque ambiguitate faciamus ſatis, multiplicem hujus vocabuli, quod eſt *Sanctitas*, diſtinguamus ſignificationem; non enim vna eſt vocis hujus notio. Ea tamen mihi inter plures, ævo præſertim Chriſtiano, præcipua videtur eſſe in uſurpatione ejus vocis ſignificatio, quâ beneficiorum, quæ ſupra naturam ſunt, copiam volumus indicare eſſe in eis, quos ab ea voce, *Sanctos* appella-

appellamus. Tametſi enim omnes, qui Chriſti Sacramentis ſunt initiati, atque in ejus fide, per ſui devotionem perſeverant, & obſequio; Sancti cenſeri poſſint & debeant; immò ita paſſim compellentur ab Apoſtolo, ut 1. Corinth. 6. Sancti de hoc Mundo judicabunt; & ad Epheſ. 5. ſicut decet Sanctos, atq; ea de cauſa David Rex, quòd addictus eſſet Deo per fidem in eum atque legis ceremonias, Sanctum ſe vocat: *Cuſtodi*, inquit Pſalm. 35. *animam meam, quoniam Sanctus ſum:* quo pacto, & ſimili ratione, quæ ad vſum Sacrificij ſpectant, cum ad Deum referantur, Sacra & Sancta dicuntur: cum hæc, inquam, ita ſint, nihilominus Sancti nuncupatio hodie in naturam intelligentem ſic præcipuè cadit, ut qui Sanctus nominatur, non quemcũque perfectionis Chriſtianæ gradum, ſed valde excellentem attigiſſe cenſeatur. Quòd ſi verò aliquis non vulgari modo Sanctus dicatur, ſed qui vocabulum iſtud & cognomen ſibi fecerit proprium; tum neceſſe eſt eum non habere ſibi duntaxat dona gratiæ communicata, ſed ipſum eſſe gratiarum omnium, & divinorum chariſmatum auctorem, atque adeo ipſius Sanctitatis fontem: & hic eſt Deus ſummus, optimus, maximus; cui una voce, & unanimi melodia, ſine ceſſatione, concinunt Angeli *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus noſter:* quapropter eundem Eccleſia ſolũ Sanctum appellat, qua ratione Chriſtus Deum ſolum Patem, & Dominum ſolum eſſe dixit. *Matthæi 23.* Chriſtiani ergo dicuntur Sancti, tanquam qui ſelecti ſint è profana gentilium turba, atque ad Dei veri cultum obſequiumq; deſtinati: quòd ſi qui inter hos ſingulariter

riter præſtant in ea religione, ob quam Chriſtiani cenſentur, & propiùs ad Deum, divinaq; accedunt, ſingulariter quoque,& antonomaſtìcè dicũtur Sancti; quales inprimis ij ſunt, qui non ſolùm divinâ affluunt gratiâ, & Dei donis abundant, ſed etiam ab illo ſtatu excidendi in nullo verſantur periculo, cum jam felicitatem aſſecuti ſint, Deiq; aſpectu, & familiaritate perfruantur: & verò cum Sanctos paſſim nominamus, hos vtique deſignamus, eorundemq; tanquam Dei amicorũ, Eccleſia adhuc in terris conſtituta, preces quotidie aſſidueq; implorat. Quare ſi eos, in quos Sanctitatis nomen cadit, enumerare velimus, erunt omnes hi: Deus inprimis, *à quo omnis Sanctitas in cælis & terris nominatur;* tum deinde Beatorum Spiritus ob illam, quam habent cum Deo, qui Sanctiſſimus eſt, indirimibilem Societatem; tertiò heroici quidam animi multùm ſupra cõmunem Chriſtianorum vitam & mores eminentes, quiq; nõ vulgariter poſthabitis Mundi oblectamentis, totos ſe ſe in obſequium Dei impendunt; quartò quicunque fidem Chriſti amplexi, ejuſq; Sacramentis initiati Chriſto per charitatem adhærent, & hoc nomine, Sanctus Paulus ſe, & ipſos Epheſios Sanctos appellat c. 3. & 5. quintò ſuo quodam jure vendicant ſibi hoc nomen Sacerdotes, eaq; permulta, quæ ad ſacrificium offerendum deſerviunt; atque tandem etiam Sacramenta, eò quòd ſint canales quidam latentes, & ductus occulti, per quos devehitur Sanctitas in animas hominum.

§. III. De

§. III.

De primo Sanctitatis genere, ex Dei fruitione, quod singulariter in B. Virgine id reperiatur.

SI qui ex eorũ numero, qui beatitate perfruuntur, intimaq; cum Deo amicitia, atque familiaritate dignati ab illo sunt, meritò dicendi sunt Sancti: sive enim Sanctitas firmitatem quandam stabilitatemq; dicat, sive dignam omni veneratione reverentiaq; excellentiam: quis eo Sanctior sacratiorue sit, quàm qui proximè ad Deum, & divina accessit? nam si is calidissimus censendus est, qui vicinior est flammæ; & lucentissimus, qui soli & lumini magis appropinquat; illam profectò Sanctissimam dicere habemus, quâ nullus hominum, aut Angelorum Deitatis fines penitiùs introivit: Illa tenacissimè Deo adhæret, deq; Majestate Trinitatis majorem præ omnibus religionem sibi, Sanctimoniamq; conciliat. Quòd si septem illi Spiritus, *Apocali. 4.* qui adstant ante Deum, propterea quòd veluti intimi consiliarij, & domestici Dei sint, religioso honore ac cultu prosequendi sunt tanto, quantum uni illorum Tob. 12. exhibitum fuisse legimus: nam ubi *Tobiae* primùm Raphaël dixisset: *Ego sum Raphael Angelus unus de septem, qui adstamus ante Dominum*; hoc audito; Tobias vterque, eorumq; conjuges Anna & Sara, quodam horrore perculsi, trementesq; prociderunt super terram in faciem suam: quid dignũ pro cultu MARIÆ deferendo censebimus, quæ non ut

administra adstat, sed ut Regina considet in throno? quæ quantò reliquis melior, & meritis au&ctior, tantò etiam profundiùs gloriæ fontem scrutatur; propiusq; ei jungitur, quò potius sortita est jus ad plenissimam cum Deo familiaritatem? Omnes quidē in cælo, Deo se largissimè communicante, ut beatitudine, ita Sanctitate perfruuntur; etenim ubi di-
Psalm. &ctum esset in psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, mox additum est: *Sanctificavit tabernaculum suum altissimus*, Et, *Deus in medio ejus non commovebitur*: ut ipsa beatitudo sit firmamentum Beatorum, seu stabile fundamentum, & verbo Sanctitas ipsa: verùm cæteri quidem sunt in patria, & domi suæ, ut filij familias; vel ut domestici Dei, vel ut amici sponsi; at MARIA omnes in uno fasce amoris titulos, & tenerrimæ consvetudinis jura, sola possidet, quæ Mater, & Sponsa, & Soror, & filia est. Ex qua cum Deo & summo Rege necessitudine, nonne velimus eam MARIÆ Sanctitatem, verendamq; Sanctimoniam asserere, quæ captum intelligentiamq; nostram longè excedat? quid dico nostram? Angelicam satiùs dixerim, nec sine causa id assero. Cum enim Archangelus Gabriel hoc ipsum Virgini annunciaret, quòd filius Dei, ex ipsa gignendus esset,
Lucæ 1. sic dixit: *Ideoq; quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*. Quid enim est hoc, quod ait *Sanctū*? quale est hoc *Sanctum*? hominē credo in hypostasi Verbi subsistentem, ob illam cum Deo conjunctionem, Sanctum judicavit esse appellandum, quod non reperiret vocabulum aliud, quo melius explicaret, quid homini (ex eo quod Deo hypostaticè junctus esset)

esset) proveniret; hoc est, quædam inexplicabilis Sanctitas, ut proinde is homo sic Deificatus *Sanctum* singulariter ac indefinitè fuerit appellandus. At si non quidem pari, simili certè ratione, *Sanctum* quoddam dicere debemus MARIAM, propterea quòd ab ipsa Sanctitate, seu divina Majestate, magis quàm ab igne ferrum candens, præq; omnibus hominum, & Angelicis Spiritibus, intimiùs absorbeatur: habemusq; ad hujus rei asseverationem duplex è sacris literis, valdeq; in hanc rem appositum argumentum. Si enim rubus ardens incombustus præludiū quoddam fuit, & typus B. Virginis non solùm absque Virginitatis violatione concipientis Deum, sed etiam fruentis Deo in corpore glorioso, quod post Christi corpus primum fuit, quod non destruitur à gloria (alioquin scriptū est, *Non videbit me homo, & vivet*,) cum locus is, in quo hujus rei & gloriæ paradigma exhibitum fuit, terra Sancta dictus sit, adeo ut vel Sanctissimo Moysi indictum fuerit, *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas terra Sancta est.* Si præterea non sine fundamento & Sanctorum authoritate, MARIA dicitur scala Jacob: illa videlicet (Genes. 28.) quæ stabat quidem super terram, sed cacumen ejus tangebat cælum, & Dominus innixus erat scalæ: eoque viso præmonstrata fuit B. Virgo, quòd ita Deo jungeretur in cælo, ut tamen in illo amoris, æstu, cælestiq; beatitudine, nō dimittat amorem curamq; nostri, quod est terram tangere: Sanè etiam de hac umbra, & simulachro felicitatis MARIANÆ, seu de loco, in quo hæc ostensa sunt Jacobo, dictum fuit: *Terribilis est locus iste*;

Exodi 3.
Exodi 33. v. 20.
Exodi 3.

is ſcilicet, in quo, vel imago MARIÆ fruentis Deo poſita eſt, omni veneratione dignus eſt, proq; eadē ſui reverentia, & Sanctitate horribilis: quòd ſi, inquam, ipſa gloriæ MARIANÆ ducta lineamenta, & umbræ, ita ſunt venerabilia & Sancta; quid adorationis & cultus non debeamus ipſi gloriæ & viritati? quàm Sancta debet eſſe MARIA, cujus veſtigia tantam ſpirare poſſunt Sanctitatem? Verùm superſedeamus jam de tanta Sanctitate loqui, quia, ut bene monet S. Auguſtinus, *Totum, ut eſt, dicere impoſſibile eſt omni humanæ linguæ:* Immò neque Angelicæ conceſſum eſt. Cum enim ipſa Divinitatis interiora præ omnibus Beatis penitius ingrediatur, nemo ſecreta, quæ nō novit, retegere poteſt: quare altiſſimo, quo poſſumus ſilentio inenarrabilem hanc MARIÆ Sanctimoniam veneremur.

Initio libri de aſſumptione Virg.

§. IV.

De altero Sanctitatis genere, quod hominibus etiam in hac vita degentibus obvenit, quâm excelluerit in eo MARIA.

CVm MARIÆ Sanctitatem, quæ advenit ei ex eo, quòd Deo omnis Sanctitatis fonte ſingulari ratione perfruatur, eiq; conjunctiſſima ſit, nequaquam ſatis rimari valeamus; tentemus ſi alterum Sanctitatis genus paulò clariùs poſſimus intueri, videamuſq; quantùm præ cæteris Sanctorum, vitæ innocentiâ, & divinæ gratiæ donis, virtuti-

virtutibusq; abundet: quemadmodũ enim si Christus, quâ homo est; gratiâ, cæterisq; animæ ornamẽtis careat, nihilominus ob Verbi hypostasin, cui humana Christi natura insita est, Sanctus est; at insuper ob gratiam, quâ anima ipsius tanquam oleo delibuta est, veluti duplicatò Sanctitatis compos effectus est: ita MARIA præter eam, quæ illi à strictissima cũ Deo clarè viso necessitudine atq; consortio communicatur, Sanctitatem; ab animi sui præterea integritate, & cælestibus charismatibus Sanctissima est. Et quidem de hoc vix opus esset aliquid dicere, si docendi instruendiq; velut ignaros, & non magis laudandæ Virginis gratiâ hæc diceremus; quis enim illud ad Virginem nostram proprijssimè spectare non novit, quod Proverb. 30. in laude mulieris fortis positum est: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*; & illud pariter è Canticorũ Cantico, cap. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octuaginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus; una est columba mea, perfecta mea, una est Matri suæ, electa genitrici suæ?* Neque enim hæc, quæ tam præcellens est, & Matrem habet, hoc est Ecclesiam, præq; omnibus magis est dilecta, potest esse alia, quàm ipsa Dei genitrix MARIA. Verum enim vero, ut id retineatur cujus in hoc opere satago, hoc est, ea quæ spectant ad Virginis excellentiam, sic distribuantur ut perplexitas evitetur, & recti ordinis perturbatio; cumque versemur in hoc, ut de illa Virginis Sanctitate Verba faciamus, quam Christianæ justitiæ virtus præbet, ejusq; duæ sint partes, videlicet *Recedere à malo, & facere bonum*: de priore prius agamus; nam

Proverb.

Cantic.

Digitized by Google

3. p. q. 81. in eo etiam Sanctitas ſita eſt, cùm (S. Thoma teſte) puritas ſeu Sanctimonia per receſſum à contrario augeatur: quare videamus jam, quàm fuerit B. Virgo ab omni nævo, & inquinamento aliena. Ecquis hominum, aut etiam Angelorum ita diſſitus à malo ſeu peccato aliquando fuit, ſicut MARIA, præter eum vnicum tamen, qui ſic homo eſt, ut non deſinat eſſe verus Deus filius Virginis Chriſtus JESVS? Receſſit illa ſanè perquam longinque ab errore, quæ inolito naturæ vitio, hoc eſt peccato, quod cuique ex Adami poſteris hæreditate obvenit, ut *Nemo mundus ſit à* *Iob. 25.* *ſorde, neque infans, cujus eſt vita diei unius ſuper terram,* ſingulari Dei beneficio erepta eſt, ne inficeretur à limo, & vectigal omnibus hominibus, qui ex Adamo propagantur impoſitum, ipſa ſola, & vnica non perſolvit. Equidem non admitto in animum tantæ ſuſpicionem labis in ea, quæ Mater Chriſti deſtinata fuerat, ut fuerit aliquādo exoſa Deo, & veluti tranſſcripta in jus illius, qui eſt caput ſuper omnes filios ſuperbiæ. Abſit hæc ab animo meo cogitatio: Sanctificavit enim tabernaculū ſuum altiſſimus. Quòd ſi namque Deo hujus rei facultatem concedimus, voluntatem certè adimere non debemus, ut voluerit nempe illam abſque peccato concipi, ex qua concipiendus erat ipſe; ut proinde *Decuerit ſanè illam* *Apud Salazar cap. 24 ¶ 10.* (verba S. Anſelmi ſunt,) *ea puritate nitere, qua ſub Deo major non poſſit intelligi.* Et quidni etiam eam, quam præter omnium hominum conditionem voluit eſſe Virginem & Matrem; dicamus voluiſſe ex Adamo concipi, & non infici? præſtantius enim eſt naſci ex ea, quæ peccati nullius unquam rea fuit, quàm ex

Matre,

Matre, quæ virum cognoverit; quod si in hâc quidem parte, naturæ legem servari noluit Deus, habemus profectò idque majori jure dicere, impeditam quoque veteris Adæ contagionem, ne futuram Dei Matrem vitiaret. Est igitur MARIA terra Secerdotalis, & immunis à gravi illo jugo super filios Adam; illa est, quæ serpentis caput contrivit; nam quæ rima patentior, per quam Sathanas se in animas insinuat, quàm peccatum Originis? hoc caput ipsa cōtrivit, quæ communi hominum vitio caruit. Nec alienum ab hoc duco, si dicamus voluisse Deum ostēdere in eo (quàm scilicet remota ab hac corruptela Mater sua fuerit) quòd non ante ejus salutantis vocem; effectum sit ut anima Joannis adhuc in vtero existentis emacularetur ab hac sorde; idq; tum demum in opus redactum, cum primum MARIA Dei Mater facta fuisset; ut videlicet in ejus præsentia (quæ quòd Mater esset futura, huic turpitudini non fuerat obnoxia) vel ad modicum tempus consistere id peccati genus non potuerit. Verùm sit hoc ingeniosè excogitatum; verone simile est, (ut hinc gradum faciamus) nihilo plus destinatæ Matri Dei fuisse concessum, quàm indultum Joanni? Immò verò ajunt, longè amplius; nam MARIA quidem statim, ac concepta fuit, educta è cœno est, in quo semestri hæsit Joannes: verùm quanta hæc est MARIÆ prærogativa præ Joanne? Si immensa prope dignitatis intercapedo, inter Dominam & servum, inter Matrem filij, ejusq; prodromum perpendatur. Cum enim in hoc, hujus stet summa beneficij, quòd antequam nati fuerint renati; in eo solùm (horum judicio)

Gen. 47.

S. Greg. l. 3. moral. c. 4. Origenes in cap. 1. Lucæ S. Bernard. serm. de prodigijs S. Ioã. Bap. S. Am. t. 1. de Isac & anima.

Digitized by Google

judicio) anteſtat MARIA, quòd Paulò citiùs erepta; ut non ſanè magnum appareat Dominæ & ſervi, in hac quidem prærogativa intervallum: Enimverò quis unum alteri magnopere prælatum dicat, cum par vtrique honos delatus fuerit, tametſi uni citius, quam alteri? Vt ſi princeps adeunti ad ſe occurrat in ipſo limine; alteri verò non planè circa veſtibulum, ſed ei paulò jam in penitiora recepto præſtò ſit, non magnum inter vtrumq; hoſpitum, diſcrimen cenſebimus, & quod conſequens eſt, alterum præ altero parum dignitate ſupereminere. Dicamus libere, quemadmodum primus Adamus è terra formatus eſt, antequam Deus eam maledicto feriret; ita ſecũdum, qui eſt Chriſtus è Virgine (quæ etiam hoc nomine benedicta inter mulieres erat, quod abſque naturæ peccato fuiſſet) fuiſſe genitum. Et vero referunt Presbyteri Achaiæ, quod ſicut de terra imaculata factus eſt primus homo, ita neceſſe fuerat, ut de immaculata Virgine Chriſtus naſceretur, & veriſimile eſt eos ſic ab Andrea Apoſtolo edoctos fuiſſe. Cæterùm hac quidem in re, ut mea fert opinio, inprimis haberi debet Concilij Tridentini in hanc partem inclinatus aſſenſus: cum enim Sancta ſynodus peccatum originis è ſcripturarum teſtimonijs, quæ vniverſos, nemine prorſus excepto, complecti videbantur, aſſerviſſet; è veſtigio huic definitioni cautelam adhibuit hanc; *Non eſſe nimirum ſuæ intentionis, comprehendere in eo decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem MARIAM Dei genitricem:* Quod ſanè magnæ authoritatis elogium plurimi faciendum ſtatuo propterea quod cum judicio

Vide Abdiæ Babylon. hiſtor. l. 4. & Salazar de immacula. conceptione c. 38. n. 3.

Seſſo: quinta.

dicio

dicio Eccleſiæ omnes in luto peccati originalis dere-liċti fuerint, ne qua ſuſpicio de B. Virgine ſubrepe-ret, quaſi idem de illa Eccleſiæ ſenſus eſſet, cōtinuò eam cæteris omnibus à ſe non coñumerari pronun-ciarit. *Ergo per vnum quidem hominem peccatum in hūc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaverunt, ad Roman. 5.* & tamen vnam MARIAM Paulino illo pro-nunciato contineri Concilium aſſerere noluit, & ca-vit ne qua de mente Cōcilij cuipiam oboriretur co-gitatio, quaſi ſentirent Patres idipſum de Matre Dei, quod de omnibus S. Paulus affirmârat. Nec præte-reundum eſt, quòd non ſolùm ſuâ ſententiâ primæ-væ labi videri affinem noluerit Cōcilium, ſed etiam *Immaculatam* appellarit vel tunc cum de peccato o-riginis agebatur. Quid quòd Sanċtorum nonnulli, quorum animo ſubvênit hâc de re cogitare, B. Vir-ginem ab hoc peccato apertè exemerunt? atque in ijs eminet S. Ildefonſus, qui mille abhinc annis vixit, & tacito quodam ſenſu Eccleſia probat pietatem ita ſentientium (quod eſt argumentum Ildefonſi) dum Dei genitricis Conceptionem feſto die colit, & ad celebrandum invitat, dicens: *Cōceptionem hodiernam ſolenniter celebremus.* Cumq; in hanc ſententiam ple-rique omnes Doċtores, ac Religiones incumbant, hodieq; hic de B. Virginis conceptione ſenſus incre-buerit; meritò P. Soarez, Gab. Vaſquez, Ægidius Auguſtinianus & alij ajunt: Hanc ſententiam habe-re omnia præparata ut ſummæ ſedis judicio decerni definiriq; poſſit. Quis de mente Ambroſij ſentire a-liud poſſit, cum de Virgine dixerit, quod *Operata ſit*

Ad Rom.

Ildefonſus lib. de Virginitate & parturitione Mariæ.

Apud Salazar c. 43.

ſalutem, & conceperit redemptorem univerſorum? quid enim ſaluti cum morbo? quid vitæ cum morte commune poteſt eſſe? Sed conſulamus, ſeu potius, ut monet Chriſtus, ſcrutemur ſcripturas, videamuſque an non in ijs aliquod hujus veritatis indicium reperire poſſimus. Tango eandem chordam, quam nuper tetigi, ſed alium ſenſum, quaſi ſonum edo. Serpenti dictum eſt: *Et tu inſidiaberis calcaneo ipſius*; cujus? nonne mulieris, de qua dictum fuerat fore, ut ipſa contereret caput ſerpentis? atqui vero cum primùm progredimur calcaneum ſolo figimus; quare initium inceſſus noſtri veſtigium eſt calcis: quod ſi qui primùm concepti ſunt, primum in hoc mundo greſſum ſignant, & hic calce pedis fit, quaſi calcaneo inſidiatus eſt, qui Conceptionem MARIÆ inficere voluit. Sed irritus ejus conatus fuit, quoniam ſcriptum eſt, *Quod ipſa conteret caput tuum.* Neque hoc ſolum; ſed ad firmandam interpretationem hanc; legimus illud etiam; *Quod adjuvabit eam Deus manè diluculo*; nam quo pacto adjuvit Deus MARIAM? nonne ſuſtinendo, ne more aliorum hominum corrueret? & hujus adjutorij placuit Spiritui Sancto præmittere in Rege Aſvero, & conjuge ejus Eſther pulcherrimum appoſitumq; paradigma. Cum enim adventans Regina ad thronum Regis deprecatura pro populo ſuo, & timore perculſa ob Regis majeſtatem, inter manus ancillarum collaberetur; exiljt Rex feſtinus de ſolio ſuo, labentemq; ſuſtinuit in ulnis ſuis, atque inſuper eidem dixit: *Ego ſum frater tuus, noli metuere, non enim pro te ſed pro omnibus, hæc lex conſtituta eſt.* Quo in facto quid aliud poſſumus intelli-

[Margin notes: *Epiſt. 41. ad Sabinum.* — *Gen. 3.* — *Pſalm. 54.* — *Eſther c. 15.*]

intelligere, quam reipsâ præostensum, quod à Davide postea fuit verbo prænunciatũ videlicet, quod Deus adjuturus esset MARIAM manè diluculo? quibus in verbis etiam latet mysterium: non enim B. Virgo solummodo manè, ut Joannes & Hieremias, sed planè diluculò erepta est à peccato, seu vitio naturæ, atque propaginis nostræ, in eo quod *Prævenit adjutor fortis in opportunitatibus, & sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* elusit expectationem Sathanæ, cum *Prestolaretur ortum surgẽtis auroræ*, uti Jobi 3. capite dicitur: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Neque dissimulandum est, quod in ea narratione de Rege Asvero dicatur: *Quòd Deus converterit Spiritum Regis in mansuetudinem;* hoc est, eâ benevolentiâ delinitus fuit erga Estherem, ut singularissimâ prærogativâ illam ornaret, in eo quod à lege cæteroquin in omnes latâ, asseruit immunem, sed eam, quam præ omnibus dilexerat, & in cujus capite diadema regni sui posuerat; quod etiam apertè professus est, cum diceret; *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Quid enim est, *Non pro te, sed pro omnibus*, quâm quod vnâ Dei Matre MARIA exceptâ, *Nemo mundus à sorde neq; infãs cujus vita vnius diei super terram?* quare non occinãt nobis veterem cantilenam, & inculcent itentidem illud: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccaverunt;* quia hæc lex pro omnibus, sed non pro MARIA posita est, sicut omnis terra Ægypti vectigalis erat Pharaoni, at terra sacerdotalis immunis fuit à tributo.

§. V.

Continuatio de eodem genere Sanctitatis, quod positum est in recessu non solùm ab originali peccato, sed etiam à fomite, & peccatis actu proprio commissis.

PRiusquàm ad alteram hanc MARIANÆ Sanctitatis partem gradum faciamus explicandam; satisfaciẽdum est nobis quæstioni, quæ de Virginis redemptione fieri posset: Cupimus enim ita purissimæ Conceptionis videri studiosi, ut non solùm ejus simus assertores, sed etiam quoad instituti nostri ratio patitur, jacere fundamenta, quibus innixus quis valeat omnem ab animo dubitationem, ac scrupulum extricare. Cum igitur cõfessione omnium constet; meritis Christi MARIAM fuisse redemptam: si primâ etiam, & coævâ nobis peccati labe caruit, à qua fuit ipsa captivitate liberata? Nam quod merito cruciatuũ filij sui erepta fuerit à communi ruina, fatetur ipsa, dum ait; *Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*; & asserunt Patres; S. Ambrosius, *Nec mirum*, inquit, *Si Dominus redempturus Mundum, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum hauriret ex pignore*; & S. Bernardinus serm. de assumpt. ait: *Plus pro Virgine redimenda is venit, quàm pro omni alia creatura*. Et si secus sentiamus, nonne Christi coronæ præcipuam gemmam exscalpinus? neque

Lucæ 1.
Ambrosius.
S. Bernard.
Vide Vasq. tom. 2. in 3. p. d. lib. c. 2.

neque hîc hærendum censeo, quia veritas hæc in medio posita est, nec ulli, qui sanum sapiat videri potest obscura. Verùm quæstio texitur ex quæstione: cum enim utique prius fuerit Maria, quàm in humana natura satisfacere Christus potuerit, aut aliquid pro quocunque velle mereri; quî potuit homo Christus Jesus pro redimenda à peccatis Matre sua, sese impendere; cum Mater priùs libera fuerit, quàm ulla extarent Christi merita? Si dicas, in præscientia Dei fuisse merita, eoq; ex penu anticipatò solutum precium, ut etiam pro emundādis Patribus factum fuisse passim docent Theologi: regeritur dubitatio; nam quo pacto prævisa Christi opera habere rationē meriti potuerunt, seu precij, ac litri, quod à Christo exhiberi censeretur, si ad meritum offerentis preciū voluntas ejus postulatur? & interea prius exempta asseritur Maria, quàm pro ejus manumissione offerre sua merita Christus posset? An dimissum jam ab ergastulis censeri potest quis ab ijs liberasse, qui post indultam libertatem, cæpit velle precium offerre? Quin ajo fieri id posse. Nam etsi voluntas liberandi efficere jam non possit, quod transactum est, jamq; emissus sit, qui tenebatur, aut teneri debuerat; attamen liberasse nihilominus censebitur, si habito respectu ad ejus futura merita & opera, Rex abeundi potestatem fecit; & Redemptor (cujus videlicet meritorum eâ in re habita fuit ratio à Rege, ita ut si ea futura non fuissent, nemo manumitteretur) pro facto gratias agat Regi, & ratum habeat. Verùm hâc etiam missâ quæstione dispiciamus, quâ via ex communi incendio, ac cōflagratione eduxerit Deus

MARIAM, ita ut is callis fuerit omnibus alijs inacceſſus, & impeditus. Admiſsâ & acceptâ graviſſimorũ Theologorum ſententiâ, quæque videtur apertè S. Auguſtini, atque Concilij Tridentini mens aſſerentis Adamum eam gratiam, quam non pro ſe ſolùm, ſed etiam cum alijs communicandã acceperat, cùm ſibi, tum alijs perdidiſſe; atq; adeo quód peccatum naturæ, ſeu originis noſtræ aliud non ſit, quam jactura gratiæ, ſeu nos naſci ſpoliatos titulo, & jure hæreditatis adeundæ in cælo: Cum inquam, ita ſe habeat; effectum per Adami lapſum eſt, ut omnes, qui ex illo ducimus originem naſcamur orbi gratia, quod eſt peccato originis eſſe infectum, & redolere radicem, ex qua propagati ſumus: porrò hæc criminis hujus, ſeu nuditatis noſtræ in nos tradux, idcirco in vitio eſt, quôd Deus cum Adamo parente noſtro pactum inierit, eidemque præceptum impoſuerit, hanc ſibi & poſteris optimam poſſeſſionem conſervandi: prævaricatus eſt is, & ita ſe, atque nos unà peſſundedit; factumque eſt ut culpâ Adami omnis poſteritas careat munere, quo debuerat cohoneſtari, eo videlicet ipſo, quod in protoplaſte deliquerit. Atque jam hinc conijce, quod ſi quis aut ab eo pacto cum Adamo inito exceptus fuiſſet, aut non comprehenſus in eo, propterea quod vel antequam id fædus feriretur, decretum de illo fuiſſet ut conderetur, ita ut deinceps ab ea lege cenſeretur immunis, vel tempore decreti nondum erat ejus creatio ſtatuta, ſed poſtea: cum Adamus hominis hujus (quiſquis is eſſet) haberi non poſſet caput legale, ſeu morale ac politicum, ſeu influens actu peccatum originis, hic etiam

Tractatu 44. in Ioannem ſeſſ. 5.

etiam ab omni culpæ noxa (cui tantùm Adæ poſteri ex eoque eâ lege propagati obnoxij ſunt) naſceretur extorris, & liber ab ea ſorde, & naturæ inquinamento: neque modò à labe, (ſiquidem ita conditus eſſet) ſed verò etiam ne ad eam, quàm proximè contrahendam obſtrictus foret. Atque hæc eſt peregregia, planeq; ſelecta ex millibus, Dei Mater MARIA. Quæ ut tanto Sanctior eſſet remotiſſimè diſtenta fuit à culpa: beneficio quippe Dei omnia prævidentis, factũ eſt, ne ipſa fieret rea: (quòd vix turpitudo minor ſit ipſo ſuſpendio, reum eſſe ſuſpẽdij) quam tamen, (ut pote ductâ ex Adamo propagine) ream eſſe oportebat, & non eſſe ſingularem: neque idcirco non debet videri redempta, quòd perfectiſſimè fuerit liberata.

§. VI.

Proponitur magis apertè modus quo B. Virgo à proximo peccati originalis debito erepta fuerit & nihilominus propriiſſimè redempta.

QVoniam ad magnam Dei genitricis gloriã ſpectare video, ſi non ſolũ affirmemus eam primævæ illi labi cõtrahendæ proximè obnoxiã nõ fuiſſe, ſed ſi idipſum quod aſſerimus oſtendamus: volo rem hãc magis apertè proponere. Atq; inprimis ut certum ſtatuo id veluti æs alienũ, quod naſcendo contrahimus, & hoc jugum, quod omnibus ex Adam oriundis impoſitum eſt, ſuapte naturâ propa-

B. Virginẽ non habuiſſe proximũ debitũ culpæ originalis plures docent P. Salaz. in de-

fenſione pro immaculata cõcept. c. 3. P. Grando l. de concept. Virg. Io. Lezana in lib. apologetico pro immaculata concept. Ludovicus de ponte l. 7. in Cantica exhort. 20. §. 3. n. 5. Io. de lugo d. 3. Salas proba: indicat t. 2. in 1. 2. q. 81. Val. t. 2. d. 6. DD. complutenſes.

propagini noſtræ inditum non eſſe, ſed eſſe mulctã, quâ Deus genus humanum ſapienter plectendum censuit: Ita ut vel nullum, aut aliud ſupplicij genus inferre potuerit. Quare etiam ob hanc ſuam legislationem non interdixit ſibi, quin decernere aliquando poſſet, ut aliquis hac lege non teneretur, & quantumvis ab Adamo ortum duceret, immunis tamen eſſet à debito. Cœterum hæc à lege exceptio fieri bifariam potuit, hoc eſt vel ex mero arbitrio, abſolutoq; imperio; vel voluntate ad hoc ſtatuendum ab alicujus meritis allecta: Si priore modo id eſt liberaliter quis eripiatur à noxa, nec remotam multoq; minus proximam haberet ad contrahendã maculam, neceſſitudinem. Quod ſi verò Deus ſubducendo aliquem à pœna legis, ſeu legi non ſubdendo, non agat deſpoticè, ſed inductus cujuſpiam meritis, quiſquis hoc pacto eximeretur, haberet quidem aliquam ad peccatum affinitatem, ſed longe diſſitam. Hoc jacto fundamento, quod nullius excutere videtur diſſenſus poſſe, ſuperſtruo & ajo: Quod ſicut in decreto illo, & rationis ſigno, quo ſtatuit Deus condere hominem vnum, inireq; cnm eo pactum de tranſuſione gratiæ in poſteros, (ſiquidem juſtitiam coleret) ejuſdemq; tam ſibi, quàm poſteris amiſſione, ſi à rectitudine deficeret: ſtatutum de Chriſto non fuit, ut communior, veriorq; fert ſententia; Sed in altero primum rationis ſigno, poſtquam videlicet prævisum Adæ peccatum fuiſſet: Ita etiam in molimine, ſeu deſignatione primi hominis MARIAM menti Dei obverſatam non fuiſſe, ſed demũ cum Chriſto ipſam decretam cæteroquin, perinde

Ferdinand. Salazar l. de concept. Virg. c. 24.

perinde atque Christus; non futuram, quod ipsum quam B. Virgini honorificum sit, ejusque gloriam exaggeret, quis non videat? In primis namq; idem habet cum Christo ortus sui consortium, & causam, Tum deinde hoc pacto accedit propiùs ad formam, naturamq; mediatricis, quandoquidem destinata & creata ob id est, ut foret Mater Mediatoris, quod nō potest non esse Virgini gloriosissimum, dum sic appropinquat Christo. Immò propter hoc ipsum venerabilior est Ecclesiæ cùm triumphanti in Cœlis, tùm peregrinanti in terris, dum ea suspicitur veluti mediatori compacta, & reipsa propter nos, & nostrā salutem condita. Ecquis enim infitias eat; chariorem esse amicum illum, qui peregre ideo advênit, ut laboranti opem ferret, quàm si casu aliquo, aut alia de causa eò delatus præsto fuisset? Et nisi hoc dicamus, hoc est decreto post prævisum Adæ lapsum, Mediatore, destinatam unà Mediatoris Matrem, additamq; numero hominum fuisse; non video quâ ratione vel ab ipsa peccati originalis labe, in opinione eorum, qui ob solam humani generis restaurationem Christum destinatum fuisse sentiunt, eripi MARIA possit. Fac enim illam in serie posterorū Adæ comprehensam tunc quādo Adam peccavit: si hoc demus, proximum, ut cæteri, infectionis debitum contraxit: Quid autem est, post initum cum Adamo pactum, eo peccante peccasse, quidve capitis delictum infert aliud quàm ubi primum quis ex eo cōceptus foret, reipsa culpam contraheret? Vt quid enim decretum illud ratum, fixumq; quoad reliquos posteros fuerit, vnâ exceptâ MARIA! Cur vel sub

conditione exciperetur, (ut doctiſſimis quibuſdam recentioribus viſum eſt) aut quæ cauſa exemptionis aut conditionis inſerendæ pacto de fœmina quapiã, ſi quam in Matrē eligeret Deus; cum nec dum præviſus eſſet Chriſtus, cujus vnius gratiâ libertas à communi noxa concedenda fuerat? Id enim eſſet confundere ſigna rationis, quæ ad liquidiſſimam veritatem ex Dei conſilijs hauriendam, reperta, excogitataq; fuere, & ſi rectè philoſophari velimus oportet ea eſſe ſejuncta, ut perſpicuè liqueat, quid ex uno quoque ſequatur. Hoc igitur quoque ſubſtrato, facilis eſt demonſtratio B. Virginem à periculo communis infectionis longe diſſitam fuiſſe: Cum enim peccāte Adamo, in nulla (è triplici temporis varietate) exſtiterit parte, quòd decretum de ea condenda, nullum exſtaret; Peccatum Adam, MARIÆ peccatum non erat; ſed eorum duntaxat, qui Dei ſtatuto deſcenſuri ex Adam prævidebantur, eó quod nō poſſet MARIÆ voluntas, voluntati Adami tanquam capitis videri colligata, vnaq; cum illa: quemadmodum (ut à proportione ſimilitudinis ducam argumentum) ſi quis ex Adamo, antequam laberetur progenitus fuiſſet, is immunis à culpa & debito exſtitiſſet, prout de filijs, qui antequam Pater læſæ majeſtate reus fieret, progeniti ſunt, docent paſſim Doctores, eos à pœnis jure ſtatutis liberos eſſe, quòd prius fuerint, quàm à Patre admiſſum eſſet delictū. At vero cum cœteri à Deo decreti, & præviſi forent ex Adamo propagandi, Adamo peccante peccarunt & ipſi, inferebatq; hoc eorum peccatum debitum quoddam ut quàm primùm extra ſuas cauſas eſſent, actutum

Apud Sanchez. lib. 2. in de cal. c. 27. n. 14.

actutum inquinarentur, seu Dei gratiâ extorres nascerentur. Hinc tamen cave deducas: MARIAM meritis Christi redemptam non fuisse. Præviso quippe Adæ peccato, ut de Christo, ita de B. Virgine condenda, statutum est, etsi nō pari lege; Nam de Christo ut de Virgine nasceretur sanctum: de MARIA ut viâ communi cōciperetur, sive ut stirpi ac genealogiæ Adami insereretur adeoq; vi decreti prioris, & pacti, ut videlicet qui ex Adamo propagantur, inficiantur, obnoxia erat infectioni: sicut reipsa ij, qui precibus Sanctorum à Deo per Christi merita obtenti sunt, alioquin omnino non futuri (ut Jacobo evenisse sentit S. Thomas) cum primùm de ijs decretum conditum est, ut ex Adamo originem suam ducerent, consequens fuit ut in eo peccato esse censerentur sicut de filijs, post patratum à Patre læsæ majestatis crimen, enatis, quòd pœnas à jure statutas incurrant, in confesso est apud omnes. Hanc consecutionem, atq; contagionem stitit Deus ob Christi merita, ne in ejus Matrem emanaret, adeoque redempta per Christum fuit MARIA. Exemplo pœne domestico rem hanc declaro: Lex jeiunij lata est in omnes vno, supra vicesimum, anno majores; ita ut quicunque tempore legislationis eam ætatem attigerat legi subfuerit. Cœteri eam legem non sensere, quia lex eos non comprehendit. Quòd si jam aliquis in ipso temporis articulo, quo maturuit ut sit oneri legis ferendo par, ideoq; obstringendus, si is, inquam eximatur à lege, is nunquā legi subditus fuit, tametsi ejusdem cum cœteris conditionis sit, debueritq; legi subijci Hujusmodi debitum vi natalium suorum, &

1.p.q.23.&.8.

Thomas Sanchez. l. c.

 pacti

Digitized by Google

pacti habuit MARIA; at ſaltem remotum quippe tempore legislationis,& lapſus Adam à Deo proſpecti, nõ dum futura prævidebatur,& cum facto de ea decreto præviſa fuit, jamq; proximum delicti illius debitũ cõtrahere deberet,pariter exẽpta eſt ob Chriſti merita à lege,quæ luem inferebat, juxta illud Eſther 14.cap. *Nõ enim pro te,ſed pro omnibus hæc lex cõſtituta eſt.* quo fit ut non ſolũ à debito proximo cōmunis infectionis MARIAM vendicemus ſed eam ipſam, quam naſcendo contraxit, remotam licet cum peccato naturæ affinitatem, nobili nomine MARIÆ obtigiſſe aſſeramus: ſicut enim adijſſe vitæ periculum ex cauſa, hoc eſt pro Rege, & Patria dedecori eſſe nõ ſolet; Ita pro ſalute totius generis humani Deigenitricem adventando aliquid eſſe periclitatam,quid dedeceat? Porro quod de remoto debito dicimus, novum non eſt,ſed pridem receptũ, & uſu frequens. Etenim ſi è duobus in pari conflictu, & lucta alter quidem cadat, ſtet verò alter, quis hunc diſcernit ab eo qui cecidit? nonne gratia Chriſti & Dei? quare ſi non habet ille victor ſui, unde plectatur,habet tamẽ vnde fieri potuerit reus, & plecti, naturam videlicet peccati. In quam ſenteutiam S. Auguſtinus dixit: *Nullum eſt peccatum quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit Rector, à quo factus eſt homo.* Et ut in hoc genere aliquid etiam magis appoſitum, nec tamen diſſimile afferam: quàm multi ſunt ita à natura comparati, ut propter malignitatem temperamenti graviſſimè delinquerent,niſi Dei manus,ne prolabantur eos ſuſtineret. Cumq; non ita cadant, ut inferni pœnas promereantur, liberantur igitur à ſupplicio

Eſther

L. 50. hom. 23. ſ. 10.

Digitized by Google

suppiicio æterno, sed prius ab ejus reatu, seu debito quod est lethale peccatum, & proximum damnationis debitum: quod in fine vitæ persolvitur, sicut initio vivendi proximum peccati originalis debitum ab ijs, qui in Adam peccavere. Atq; ex his non modo cōstat, quàm dissitè B. Virgo semota fuerit à peccato & nihihilominus proprijssimè redempta: Sed vero etiam ex hoc facto, & modo liquet: quemadmodum Deus suavitatem cum potentia comiscendo, gloriam suam, & divitias bonitatis ostenderit, cum hæc duo admirabiliter consociarit; hoc est, ut ne meritis Christi deesset præstantissima Sanctorum omnium, & tamen quam longissimè abesset à ruina & ruinæ periculo, propter quod etiam juxta regulā, S. Augustini 2. Confess. c. 7. obstrictior est Deo MARIA. Augustinus Hæserunt ergo in fœdissimo labis avitæ luto Prophetæ, Apostoli, Virgines, cæteriq; Sanctorum, hæc sola velut è mari nubecula exurgens, & quasi vestigium hominis, & flos totius generis humani, quæque pluviæ voluntariæ, id est Christi augurium ferebat, enatat è salsis maris aquis, nulla velut aspergine vitij alicujus attacta. Quàm apposite dixit eadem de se: Ego quasi fluvij dyorix! Eccl. 24. v. 41. solent homines agricolæ ad irrigandam terram deducere à fluvio aquæ ductum, qui dicitur diorix; & hic est Beatissima Virgo, quæ ab origine eâdem, cum cæteris aquis profluens, fecit diverticulum, hoc est segregavit se se à peccatoribus. Hæc est Columba, quæ emissa ex arca morticinum non tangit; quæ se sustinet, ne pedem in fæculento coinquinet. Nec sanè mirum est, si quæ in radice vitiata non fuit, amaros fructus non

Digitized by Google

tulerit, dolorum in partu, & reſoluti in terram corporis: quòd enim mortem, cæteraſq; ærumnas ſubjerit; non ut peccati pœnas ſuſtinuit, ſed ut patiendo eſſet filio ſimilior. Ergo in Sacratiſſima, omniq; veneratione digniſſima Virgine nec vulneris cicatrix fuit. Cicatricem dixerim illud peccati originalis veſtigium, rebellem concupiſcentiam, domeſticam ſeditionem, pruritum vlceris. Verbo omnium confeſſione, fomes ſaltem liber, & exertus, in MARIA non fuit; nihil à lege diſcrepans in corpore Virgineo, animaq; puriſſima unquam extitit. O Sanctitas, quæ tantùm abes à prophano & immundo? quis præter te, & filium (ô MARIA) non dico crimine, aut nævo, ſed etiam ipſo ad ſcelus invitamento deſtitutus fuit? Neutiquam adeo Sancta, reverendaque eſſet Domina noſtra, niſi ipſa à cætu omnium hominum ſublimior, ſolaq; præſideret; quam proinde etiam omnes ſuſpiciunt; etenim viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam; & ſolitariam conſiderantes præ admiratione dicũt: quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora cõſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol? Quæ ſunt porrò hæ filiæ, atque Reginæ, niſi Cõgregatio fidelium, ſeu Eccleſia? de qua quod prophetando dixit Salomon, expreſſit implevitq; vaticiniũ Sacroſanctum Oecumenicum Tridenti habitũ Concilium cum ſeſſ. 6. can. 23. dixit Eccleſiã ſentire, peccata omnia etiam venialia in tota vita à B. Virgine fuiſſe evitata, quod ipſum eſt, quod de ea Cantic. 4. protulit ſponſus: tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

Cantic. 6.

§. VII.

§. VII.

Quòd B. Virgo non solùm à peccato naturæ, ac fomite, omniq; alio delicto libera fuerit, sed etiam à peccandi periculo præ omnibus, quàm remotissima.

CVm igitur ne minima quidem erroris labes hæserit unquam MARIÆ, ne illa quidem, quæ in omnes pertransijt, attamen eo etiam aliquid amplius reperio, quod ad Virginis Sāctimoniam facit, & ad ostendendam maximam inter eam, omnemq; peccati sordem intercapedinem; non est hoc sum̄um innocentiæ genus, maximumue à peccato dissidium, quòd originis nostræ vitio, ipsaq; etiam vitiorum vomica fomite, inquam, ex corruptione primæva exorto caruerit: Quamvis enim nō vulgare hoc beneficium fuerit, simile quiddam tamen Angeli, primique parentes ante lapsum sortiti sunt à Deo gratiæ, justitiæque donum; hoc est, ut à prima sui origine non solùm essent justi, sed etiam ne ad malum à repugnante rationi appetitu, proritarentur, quod asserit S. Augustinus, 12. de Civit. cap. 9 *Deus*, inquit, *Angelos in bona voluntate, id est, cum casto amore, quo illi adhæserunt, creavit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam*: Quod ipsum de protoplastis constat non solùm ex Angelico Doctore, 1. p. q. 95. a. 1. sed etiam eodem Augustino 14. de civit. vbi cap. 10. ait: *Quàm felices erant primi homines, &*

Augustinus *S. Thomas*

nes, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis. At verò MARIA amplius præ illis nomen hæreditavit, quæ non ſolùm extorris à labe fuit, quando concepta eſt, & irritamenta malorum non ſenſit, pravas affectiones, ſed ijs gratiæ muneribus, diviniſque auxilijs à Deo cumulata fuit, ut non tantùm immunis eſſet à macula, & illecebra vitiorum, ſed etiam præ cæteris omnibus à periculo incidendi remotior; eoq; nomine Sanctiſſima fuit; quòd maximo intervallo ab ipſa (ut ita dicam) profanitate diſtarit. Id quod vel maximè affirmare poſſemus, ſi Okami, Gabrielis, & Almaini ſententiæ aggregare noſtram vellemus, aſſerentium B. Virginem ipſius expertem delinquendi facultatis fuiſſe; non quod eâ duntaxat neceſſitate præpediretur, quam ajunt Conſequentis, quâ neceſſe eſt non peccare eum, quem Deus præſcit non eſſe peccaturum; ſed planè Antecedentis, ob quam minimè libera eſſet ad peccati noxam admittendam. Attamẽ hoc non vſquequaque exploratum eſt, quod Beatorum videatur id eſſe proprium, & hominis, qui divinæ eſſet inſitus hypoſtaſi, videlicet Chriſti; habemus tamen ad Virginem noſtram ab omni culpa & nævo quàm remotiſſimè abſtinendam, ſingularem Maternitatis Dei prærogativam, ob quam nõ modò omnem ſenſus, ſeu appetitus commotionem divinæ legi contrariam, ſed quandatenus etiam facultatem ipſam excluſit, idque potiore jure quàm Angeli, qui ſervarunt ſuum principatum; etſi inferiore, quàm Chriſtus. Ego enim ita ratiocinor, ſtatuoque ſat latum inter Dei genitricem, & alios, ſive ex An-

Apud Vaſq. d. 120. c. 1.

Digitized by Google

ex Angelis, sive ex hominibus, in amicitia Dei firmatos, discrimen; quòd hi quidem delinquere, aut labi nō potuerint, sed propterea duntaxat, quòd sustineret eos dextera Altissimi, etiam in præcipiti stantes, & velut in vmbra mortis, quo Dei proposito, ac benevolentiâ erga eos perseverante, neutiquā eripi ab ejus præsidio potuêre, & impelli in ruinam, atque idcirco istud, quod est non posse peccare, ijs, qui sic affecti fuerant à Dei beneficio, afferebat necessitatem ejus generis, quæ Consequens est operi, quòd nimirum necessarium sit agere eum, qui agit, & sedere eum, qui sedet, & ambulantem ambulare, quod ipsum tamen, ut manifestum est, facultatem non aufert transferendi se se ab actione ad quietem, à cubitu vel ambulatione ad alium corporis situm, relictâ priore operatione. At verò plusculum aliquid MARIÆ cōcedamus necesse est; hoc est, ea quidem de causa non potuisse peccare, quòd ea gratiæ auxilia ei quovis tempore præparata, præq; definita forent, quorum sicuti certus & assiduus erat usus, ita fuga delicti minimè dubia: At verò etiam, quia dignitas Matris, suo quodam jure deposcebat ea sibi auxilia, ut integerrima permaneret, quæ compellatione Matris Dei dignanda fuerat. Neque verò hoc parvi potest æstimari, aut exigua inter ipsam, & peccati sordem intercapedo censeri: cæteris quippe Sanctorum illa gratiæ virtutisq; charismata minus cōgrua fuerant, aut clarius dixerim, non ita domestica, & domi nata; at in MARIA (ut ita dicā) abyssus abyssum invocat in voce catarrhactarum tuarum, hoc est, cum cæli catarrhactæ apertæ desu- *Psalm. 41.*

etiam ut ea, quæ Mater erat, ne permitteretur ullo peccati nævo infici, quas tamen non physica, aut ex naturæ lege necessitas Deo incumbebat; sed moralis id quædam postulabat æquitas; Cumq; hæc Maternitas electæ Virgini inesset, ideo auxilia divina (quæ ut gratis offerebantur, ita libertatem non adimebant) dicimus quasi domi nata, ac domestica: non dissimiliter loquitur S. Augustinus, dum ait: *Ne quisquam plorans, se exaudiri posse desperet: commemorata est necessitas quædam exaudiendi nos Deo; quoniā ipse est Dominus noster.* Quàm igitur à peccati labe, ac inquinamento remota, dissitaque fuerit B. Virgo manifestum est: quando arcendi ab ea omnem maculam, & quidquid contaminare poterat Matrem, muneris esse sui ipsemet ejus filius, ut pientissimus in Matrem, ita omnipotens arbitrabatur. O verè igitur Sancta, maximeq; venerabilis Dei Mater MARIA!

T. 5. lib. de ovibus.

§. VIII.

De magnitudine Sanctitatis, seu gratiæ, quâ B Virginis anima cumulatissimè exornatur.

Non est B. Virginis puritas ejus sortis, cujus solent esse novalia antequam cōserantur; nam etsi illa sentibus lolijsque extirpatis niteant; attamen ut mali germinis semente carent, sic à bonæ frugis sobole deserta sunt. Non est, inquam, MARIÆ Sanctitas, quasi puellaris quædam innocentia, aut doli duntaxat expers simplicitas: nam præter-

Digitized by Google

quam quòd ſine vepre peccatorum eſt, ampliſſimis etiam eſt gratiæ donis virtutibuſq; cumulata, ut mihi quidem veriſimile ſit eam, quæ Dei Mater deſtinata erat, cùm primùm dono cæleſtis gratiæ imbuta fuit, ex ea plus recepiſſe, quàm fuerit conſummata Angelorum, vel hominum juſtitia, ac Sanctimonia. Quo aſſerimus hoc auctore? Equidem falli me non puto, ſi dixero, ipſo Spiritu Sancto me dicere hoc authore; quippe ſic per Davidem elocutus eſt: *Diligit Dominus portas Sion,* (intellige ingreſſum, & MARIÆ ex hoc Mundo egreſſum,) *Diligit,* inquam, *has portas ſuper omnia tabernacula Iacob.* Et cõſonat, quòd fundamenta civitatis ejus, in qua Deus factus eſt homo dicantur in montibus altis; hoc eſt, quamvis Sancti valde eminentes ſint, atque inſtar montium ob faſtigium Sanctitatis, ibi tamen fundamenta jacit Virgo & Mater, ubi ipſi virtutis cacumen extulerũt. Dicamus aliquid in hoc genere expreſſius, quodque à mente ſacrarum litterarum, minus diſſentire videri poſſit: nonne Canticorum 6. catenâ Græcorum (quàm Theodoretus confecit) interprete, de B. Virgine dicuntur illa: vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt Matris ſuæ, electa genitrici ſuæ, quòd Cherubin, & Sepharin puritate vincat? Neq; enim alia poteſt eſſe, quàm MARIA, illa quæ eſt vna Matris ſuæ, & electa genitrici ſuæ, quippe ſingulariſſima Eccleſiæ Matris filia: hoc eſt præ cæteris omnibus, etiam Reginis, concubinis, adoleſcentulis, (ut ibidem dicitur) inſignioribus gratiæ donis dotata. Cumq; gratiam (quæ divina quædam res eſt) aſſectentur virtutes cùm illæ, quas infuſas ajunt per ſe, cu-

Vaſquez. t. 2. in 3, p. d. 119. n. 5. Soarius ibidẽ diſp. 4. 51.

Cantic.

Bellarm. t. 4. l. 4. c. 15.

ſe, cujuſmodi ſunt, quæ humanâ comparari induſtria non poſſunt, tùm quæ per accidens, & uſu aliàs conquiruntur; ſintq; hæ ipſius juſtitiæ, noviq; hominis, ſeu cæleſtis ſpeciei ac formæ veluti pediſſequæ, ac comitatus gratiæ debitus, ut domus ſcilicet interior, quàm inſtructiſſima ſit: qualẽ arbitremur in Virgine hac fuiſſe mundum, ac cæleſtium donorum ſupellectilem? Si Regina Saba. 3. Reg. 10. *Videns domum, quam ſibi exædificaverat Salomon, & cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & ordinis miniſtrantium, veſteſq; eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in Domo Domini, non habebat ultra ſpiritum:* Quid ageret anima Chriſtiana, ſi mentis ejus oculus explicaretur ad inſpiciendam veri Salomonis Domum, quæ eſt hæc ipſa Virgo MARIA? *Etenim ſapientia ædificavit eam ſibi domum, & Sanctificavit tabernaculum ſuum Deus*) quid ageret, ſi perluſtraret interiorem illam pulchritudinem, virtutumq; excellẽtiam ac venuſtatem? nonne ſtupore attonita, admirandaque hæreret? Sed abſit à me ut coner explicare ſplendorem, majeſtatumùe ejus formæ, quæ ex incredibili omnium virtutum comptu, & ornatu in anima ejus exiſtit. Nonne ſponſus ipſe, quo tamẽ nemo meliùs poterat explicare, eam narrationem ſupprimit, & tanquam ſacrum quoddam, Sanctumq; non revelat, ſed reverenter obtegit ſilentio? Cum enim Sponſæ venuſtatem deſcripſiſſet ex ijs, quæ in ipſa patent, laudaſſetq; ab oculis, à capillis, à dentibus, à labijs, à genis, à collo; adjecit iteratò illud: *Abſque eo, quod intrinſecus latet:* Quaſi dicat, illud ſacrarium, illud Sanctum Sanctorum, illa nimis au- *Cantic. 4.*

 guſta

Digitized by Google

guſta adyta nõ pando; non reſero hominibus mortalibus (quibuſcum mihi modò de te eſt ſermo, & Sponſa) inæſtimabiles tuas margaritas. Hoc ſolum cum S. Athanaſio dicere poſſumus, *Spiritum Sanctum deſcendiſſe in Dei genitricem, cum omnibus ſuis donis eſſentialibus*. Et ſi in eam tantâ vbertate initio depluit, quomodo exiſtimamus multiplicaſſe talenta ſua, & ſuperlucratam ſemper in duplum, idq́; quovis amoris a ctu? amabat autem aſſiduè; ipſa enim eſt, *Quæ de nocte ſurrexit, deditq́; prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*; illa eſt, *Quæ guſtavit, & vidit, quia bona eſt negotiatio ipſius, & non extinguetur in nocte lucerna ejus*; ut neceſſe ſit immenſam prope divinæ Virginis gratiam fuiſſe, ſi tempus, quo vixit, quod ſanè diuturnum fuit; ſi divini amoris æſtum, ardoremq́; animo revoluamus. Cum enim amoris actibus repetitis, ſeipſâ indies auctior fiat charitas, in eumq́; gradum aſſurgat, in quo eſt amor, quo diligitur Deus: dubium eſſe non poteſt, quin Virgo, cui nihil portio animi inferior repugnabat, reſtinguebatúe amoris illius incendium, quo flagrabat; dubium, inquam, non eſt, quin dilectio charitatis habitum exæquaret, hoc eſt, tanto ferretur in Deum amore, quanta fuerat ipſa facultas amandi, quæ eſt ipſa charitas; atq́; tandem ex hac perpetua ad cumulum duplicatâ acceſſione, ingens gratiæ cumulus, & inexplicabilis ab humano intellectu, conflatus fuerit: adeo, ut non levis notæ author ſenſerit, quòd ſi ex omni Eccleſia, quique opes ſuas, quæ animi ſunt, in vnum conferrent, attamen futurum, ut ea, theſauros, & copiam gratiæ MARIANÆ non exæquarent; quod etſi alteri non pla-

S. Athanaſius ſermone de SS. Deipara.

Proverb. 2.

Suarius t. 2. in 3. p. diſp. 18. ſect. 4.

Digitized by Google

non planè probetur, authoritas tamen S. Bernardi, *Vasq. d. 119.*
nuper §. 5. initio allata, & quæ paulò ante ex psalmo, & canticis producta fuêre, & ratiocinatio jam nunc explicata huic sententiæ mulùm patrocinātur. Accedit & illud, quod magis etiam venerādam reddit Dei Matrem, hoc est ei non pari modo collatum primum gratiæ gradum fuisse, quo cæteris hominibus, sed quo ipsis protoplastis & Angelis, quibus (ut ita dicam) congenita gratia fuit, non postea beneficio Sacramentorum sive ritus religiosi, aut fidei parentum exhibita: atque adeo non aliquando fuit MARIA, & absq; justitia fuit, quod in eo etiam singulare est præ omnibus ex Adam & Eva oriundis, & idcirco par Angelis incedit, propterea quòd non solū ei datum est, ut esset Sancta quamprimū esse cæpit, sed ut Sanctitatis compos ac particeps fieret fide ipsius intercedente, atque dilectione, quâ etiam primum gloriæ gradum indipisci mereretur. Sed quid dico MARIAM hominum conditionem excessisse? Angelos etiam longo post se intervallo reliquit; tametsi enim parem renascendi, ut ita dicam, cum Angelis sortita sit legem, ac conditionem, in modo par quidem fuit, quòd Angeli etiam, ac protoplastæ voluntate suâ & arbitrio, seu liberè ad gratiam reddiderint se (Deo agente) habiles recipiendam; attamen cum MARIÆ fides ac dilectio robustior alacriorque fuerit, (nam de illa singillatim dictum est: *Adjuvabit eam Deus manè diluculo,*) plus illis sanctificata fuit; atque ad hoc, acceptum gratiæ donum non solùm non amisit, sed cùm non acceperit statim viæ terminum, ut Angeli, Sanctificationē suam incre-

incredibiliter auxit, ut ſuſpicere ad eam, præ ejus celſitudine, minimè valeamus. Nolo hæc, quæ de cumulo meritorum B. Virginis, Sanctitatiſque ejus magnitudine diſſero, ea veluti condonari, atque ob eam, quâ erga tantam Dei genitricem obnixè ferimur benevolentiam, vltrò concedi mihi, hunc à nomine aſſenſum efflagito; ſuffragium humanitatis hujus non poſtulo, ſed judicium exigo, & ſententiã, quam ratio extorqueat, non favor eliciat, hoc contendo. quid igitur eſt? An non MARIAM inter filiũ & nos mediatricem eſſe profitemur? Sic à Baſilio Seleuciæ Epiſcopo, ſic ab Anſelmo, appellata eſt. an non etiam eandem Dei Matrem, omniumq; hominum ac Angelorum Reginam aſſerimus? quid horum vocari poteſt in dubium? atqui profectò ſingula hæc nomina Matris Dei, Reginæ Mundi, ac Mediatricis quandam cœleſtium donorum immenſitatem ſibi vendicant. Vt enim de Maternitate nihil dicam; Regia dignitas ſanè excellentiam ſupra omnes poſtulat, & opum affluentiam, qua ſupereminat omnibus; omnibus inquam non modo ſejunctim ſingulis, ſed conjunctis; quoniam non ſolùm ſingulorum, ſed omnium præſes eſt atque Regina. De Mediatricis munere, quid dicam? illud profectò in eam demum cadit, quæ non ijs ſit deſtituta donis, quæ eroganda per eam ſunt: atqui S. Bernardo teſte, *Omnia vult habere nos Deus per MARIAM*; ipſaq; eſt ſub capite Chriſto, Collum Eccleſiæ, per quod omnis eſca, & nutrimentum in omnes corporis myſtici partes ad vitam roburq; membrorum traijcienda ſunt. quis igitur non videat ea, quæ ſparſim

In Sermone de incarn. de excell. Virg. cap. 9.

Sermone de natiuitate B. Virg.

ſparſim ſingulis diſtribuuntur, omnia affatim, & cumulatiſſimè in una Dei genitrice conſervari? prorſus ut fieri aſſolet in aquæ ductu, cum enim ex varijs fontibus collectæ fuerint aquæ in pylam, ſeu amplā voraginem, ex ea per canales diſpenſantur: & ipſa eſt MARIA; quæ Eccleſiaſtici 24. ait de ſe. *Ego quaſi aquæ ductus exivi ex paradyſo;* videlicet ad irrigandam omnem terram. Tantò igitur majori eſt à nobis veneratione, ſtudioquè MARIA colenda, quantò prior eſt gradu meritorum, & quantò eam ab intellectu noſtro remotiorem altioremq; ſentimus, tantò Sanctiorem cognoſcimus. Illam quidem veluti ſolem oppoſita manu ſuſpicimus, ſed non videmus; fulgorem quendam quaſi per rimas furtim haurimus, ſed aciem mentis in eam majeſtatem intendere non valemus. Quando igitur non poſſumus ſolvere ſignaculum libri hujus, ſic opertum, obſignatumqne; Sacroſanctum iſtud myſterium derelinquamus: Arca eſt, & retegi Bethſamitarum manibus non niſi periculo capitis poteſt, alijſq; oculis, hoc eſt, Sāctioribus, hoc divini amoris ſcrinium reſervatur. *1. Reg. c. 6.*

§. IX.

Quòd B. Virgo etiam eâ Sanctitate, quæ per analogiam dicitur, Sanctiſſima ſit.

NOn intermittam vel illud Sanctitatis genus commendare in Dei Matre MARIA, quod ab ipſo Deo in ſacris literis per Moyſen celebra-

Leuitici 10 tum eſt: vt enim profani plures erant ſpecies & modi; ex cōtactu videlicet earum rerum, quæ per eam legem immundæ cenſebantur; ita non deerant ritus Sanctificationis, quibus elueretur macula, & qui pollutus fuerat redderetur Sanctitati. Neque hoc ſolùm accidebat hominibus ſed rebus ipſis, quæ vita ſenſuq; carebant; cujuſmodi fuerant vaſa, veſtes & alia, quæ vel immunda, aut Sancta habebātur. Nec deeſt in lege Gratiæ hujus generis Sanctitas, quæ tamen priore illâ tantò eſt excellentior, quantò Sanctitatis fonti eſt iſta vicinior, quæ tamen ſola ſatis non ſit ut animam hâc duntaxat Sanctitate præditi Deo reddat acceptam. Quòd ſi igitur ipſa altaris vaſa, quòd ad ſacrificium Corporis & Sangvinis Domini deſtinata ſint, Sancta habētur, propterea quòd ex eorum contactu Sanctimoniam quandam referre cenſeantur, eaq; de cauſa in veneratione ſunt; ſi divinorum myſteriorum miniſtri exempti à vulgaribus idcirco ſunt, & inter ſacros Sanctoſq; recenſentur, & ſuus ijs honor à cæteris habetur, ut ſatis conſtat: quid ei quæſo Sanctitatis non adhæſit de Corpore Domini, de illo inquam, quod Archangelus Gabriel vſus antonomaſia Sanctum appellavit? ei, inquam, è cujus ſangvine coaluit, in cujus vtero geſtatum eſt, quod ipſa enixa fuit, quod vberibus admovit, quod pectori ſuo adpreſſit, quod lactavit, & aſſiduè in vlnis geſtans contrectavit? Nam ſi etiam res inanimes, eâ de cauſa, quòd Chriſtum in aliena ſpecie intra ſe contineant, à nobis reverentiā quandam, venerationemq; expoſcunt; quid ei non debebimus, aut quem Sanctitatis gradum non attigit illa,

illa, quæ Mater Sancti est? Quid dicam? Ecclesiæ instituto, & pio Sanctoq; populi Christiani ritu, habentur in veneratione ea omnia, quæ Sanctorum corporibus etiam vita vacantibus admota aliquando fuêre; ipsoque eorum attactu, exempta ab prophanis vsibus piè creduntur, interq; religiosa coñumerantur. Nonne ipsa vnguium segmenta, aut vestium laciniæ, & frustula, eo ipso, quòd Sancti hominis fuerint ipsa quoque Sancta preciosaq; habentur? nec verò etiam im̃eritò; cum Sanctorum corpora fuerint Spiritus Sancti organa, & Sanctissimarum actionum, quas in eis ediderunt, instrumenta; & reipsa sunt charorum pignora, & sacræ exuviæ olim in cælos recipiẽdæ, futuræq; cum anima gloriæ comparticipes, per quas etiam, ut olim per sudaria à corpore S. Pauli relata, non raro multa præsertim sanitatis beneficia, humano generi Deus elargitur. *Actorum 19* Si igitur habent ea omnia quandam in sese Sanctitatem, eaque de causa deferendus est ijs honor & cultus: facile erit dijudicare, quàm sacra, vereq; Sancta sit Dei genitrix, quam etiam meritissimò, & sine intermissione Ecclesia, singulariterq; *Sanctam Dei genitricem* appellat; ipsa enim est, quæ à S. Chrysostomo dicta est Christifera, templum animatum, ferculum Salomonis; imò de eadem Epiphanius l. 3. her. c. 29. quod Deus voluerit: *Ipsam esse Sanctificationem;* & Andreas Cretensis homilia de Assumpt. *Quòd unguenti Sanctificationis suavi odore, totam perfuderit naturam.* Ecquidni habeamus MARIAM eo etiam nomine Sanctissimam, quòd ubi primùm nata, hoc est trimula, ne quâ humanâ consvetudine prophana red-

S. Chrisost. in liturgia

Andreas Cretensis.

Digitized by Google

deretur, recondita fuerit in templo Salomonis, & ſecreta à vulgo, hominumq́; conſortio; ibidemque pluribus annis converſata ſit in obſequio Dei, aſſiduaq́; precatione, vnde S. Amb. l. 2. in Lucam ſola in penetralibus ne quo degeneri depravaretur affatu. Atque adeo; teſte Germano Patriarcha, Georgio, & Cedreno; cibum de manu Angeli acceperit? Neceſſe profectò eſt miram verendamque omni ex parte Sãctitatem inhalâſſe: adeoq́; ſemotam à prophano, ut (quod refert Galatinus l. 7. de arcanis) ſi quid illicitum viſura, audituraúe eſſet, confeſtim oculi ac aures ad omne, quod eſſet abſurdum clauderentur. Addamus jam his omnibus ſanè magnis excellentibuſq́; ad Sanctitatis commendationem præſidijs, illa quæ ſupra recenſuimus, ut quòd non ſolùm beata ſit, ſed altiùs (utpote clariore intellectus ſui oculo,) rimetur profunda Dei, & ſecreta Triados ſacratiſſimæ contemplando penitiùs ingrediatur; accedat ad hæc gratiæ, donorumq́; cæleſtium pene quædam immenſitas, quâ longè omnes cæleſtis aulæ cives ſuperexcellit; & faciamus jam nunc periculum, ſi humano noſtro, imbecilliq́; intellectu percipere valeamus, quàm Sancta venerandaq́; ſit Maria. Quod quia neque capere poſſumus, & multò minus edicere valemus: proſternimur ad pedes tuos ô Maria, teque verè, ſingulariterque Sanctam, omniq́; veneratione digniſſimam confitemur; rogamuſque te, ut cum advenerit ira Agni, & tempus mortuorum judicare, & reddere mercedem Sanctis ſuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen ejus puſillis & magnis, & exterminandi eos, qui corruperunt ter-

Apud Vaſq. d. 125. n. 125.

Digitized by Google

gunt terram; aperiatur nobis templum Dei in cælis, & videatur arca teſtamenti ejus in templo ejus, quæ ipſa es, ô MARIA: ſed nunc quidem adhuc prophanis, & immundis occultatur nobis ſub velo cælorum Sanctitas tua; quæ tamẽ per te, ut ſperamus, detegetur, ut videâre Arca teſtamenti in templo gloriæ filij tui, Amen. *Apocalipſis 11.*

CAPVT IV.

De virtute Religionis, ſeu Pietatis.

§. 1. Quid ſit Religionis virtus, & quàm fuerit excellens in B. Virgine.

§. 2. Magnitudo cultus, quem Virgo Mater Chriſti exhibuit, oſtenditur ex pluribus alijs argumentis.

§. 3. Quàm Religioſa fuerit B. Virgo, ex actionibus ejus pijſſimis oſtenditur.

§. 4. Adohrtatio ad obſequium Dei, exemplo B. Virginis, & afferuntur nonnulla alia de Religioſitate ejusdem.

Proœmium.

SI verum eſt, Chriſtianorum ſingulos eſſe Templa Spiritus Sancti, propterea quòd per Baptiſmum, cæteraq; Sacramenta, ac fidem Deo ſint initiati, ejuſq; cultui ſingulariter mancipati; quantò de Virgine Dei genitrice verius iſtud eſt, quando non neſcimus in eam ſuperveniſſe Spiritum Sanctũ, imò, ut dicebamns cum Athanaſio; deſcendiſſe in eam cum omnibus donis ſuis, atq; ex ea *Sanctum* car

 nem aſ-

Digitized by Google

nem aſſumpſiſſe factum hominem? Quòd ſi etiam vſpiam, in templo quidem certè vigere debet Religionis virtus, & opus; dubio quoque vacat Religionem ſedem ſuam potiſſimùm collocaſſe in MARIA, utpote in templo omnium maximè auguſto, ad exhibendum Deo per ſacros ritus, cæræmonias, ac preces obſequium, & cultum, quem ipſius exigit excellentia. Et verò quod vni è ſeptem Angelis, Apocalypſis 21. capite, eveniſſe ait S. Joannes, ut cum civitatem arundine aureâ, per ſtadia duodecim millia dimenſus eſſet, repererit quòd longitudo, & altitudo, & latitudo ejus æqualia eſſent; idipſum dimetienti civitatem hanc, beatiſſimam, inquam, Virginem MARIAM, & vrbem Sion, *In qua, qui fecit eam factus eſt homo*; prorſus accidere videtur: numquid enim civitatis hujus quaſi duodecim millia ſtadia ſunt, duodecim MARIÆ inſignes animi virtutes ac dotes? quarum prima eſt Illuſtriſſimum per omnes Eccleſias vitæ exemplum: ſecunda ejus erga genus humanum benevolentia, ac patrocinium, maximeque erga ſibi devotos, ut MARIÆ cultum oſtenderimus eſſe divinæ prædeſtinationis argumētum; Tertia & quarta, in unâ, eâdemq; fæmina Virginitas ac Maternitas; quinta, Humilitas; ſexta, Prudentia; ſeptima, Sanctitas; octava, in qua nunc ſumus, Religio; nona, Patientia; decima, Fides; vndecima, Spes; duodecima, Charitas. Hæc igitur duodecim ſtadia dimetientes, reperîmus Civitatis hujus longitudinem, & latitudinē eſſe æqualia, propterea quòd virtutes omnes in ſummo gradu conſiſtunt, neque eſt aliquid mancum, aut mutilum in MARIA: quare ſi jam

Pſalm. 85.

si jam ejus Prudentiam, aut Virginitatem, vel Sanctitatem credimus esse admirabilem, non minorem arbitremur esse Religionis virtutem.

§. I.

Quid sit Religionis virtus, & quàm fuerit excellens in Beata Virgine.

RELIGIO dignitate Virtus proxima Theologicis; est voluntatis quoddam pondus, seu inclinatio, sive animus bene affectus, & pronus ad cultum Deo deferendum, eumq; omni obsequio ac reverentia prosequẽdum, ob æstimationem ejus excellentiæ, quæ in Deo est, & propter quam omni veneratione dignissimus est. Hic igitur figamus pedem, & insistamus. Nam si Religio ad Dei venerationem prolectatur ab æstimatione divinæ Majestatis; oportebit profectò in eâ Religionis virtutem esse excellentissimam, in qua maximè viguit Fides, rerumq; divinarum cognitio: at quis Verbi divini personam, & quantus suus esset filius, magis exploratum habuit, quàm Mater ejus MARIA? quâ igitur erga ipsum reverentia, quibus animi voluntatisque suæ inflexionibus, qua religione & cultu prosecutã fuisse filium suum existimemus? Verissimum istud est, crescere nimirum tantò magis venerationem, quantò notior est illius, qui colendus est excellentia, vilentq; semper ij, & apud omnes jacent, quorum perspecta Virtus non est; & vbi innotuerint, quò magis,

magis, eò etiam plus honoris, illis defertur. Atque hinc factum arbitror (neque enim abſq; myſterio fuit, etenim ita fieri præceperat Deus Moyſi Exodi
Ad Hebr. 9. 25.) ut vnus Cherub ex latere uno, & alter ex altero latere arcæ procedentes quaſi admirabundi obverterent vultus ad ſeſe contuentes Propitiatoriũ, quod arcam tegebat: quid enim eſt hoc? neque enim inſipienter ita factum, aut præceptum eſt. Cherub, ut ſacræ linguæ periti volunt, multitudinem ſcientiæ ſignificat, meritò igitur ſcientiâ plenus Angelus demiſſo in arcam vultu adorantis ſimilitudinem exprimit. Cum enim Hebræi nihil Sanctius, vel augu-
Ad Hebr. 9. ſtius habuerint Arcâ, ita, ut vel ſummo Sacerdoti ingredienti ſemel in anno in Sãcta Sanctorum, proſpectare eam nefas eſſet; eaque de cauſa Levitici 16. v. 12. ita ſcriptum legimus: *Aſſumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, ultra velum intrabit in ſancta, ut poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur*. Cum, inquam, apud Hebræos Arca res eſſet ſanctiſſima; decuit planè, ut ab ijs coleretur, qui pleni eſſent ſcientia, hoc eſt, à Cherubinis: nam Sanctiſſima quæque apud eos ſolùm eſſe poſſunt in veneratione, qui eorum excellentiam norunt, ac Sanctitatem. Dicamus itaq; nebulam obtegentem Arcam, ſive Chriſti Humanitatem, fuiſſe quidem ſtabulum, obſcurumq; præſepe, at Cherub vnum fuiſſe MARIAM, & Cherub alterum Joſephum, cum ſoli eſſent conſcij, & hinc atque inde circa præſepe, ubi poſitus fuerat JESVS, accidiſſe in genua venerabundos, ta-

Digitized by Google

citosq; latentem Deitatem considerasse. Non vidêre præ nebulâ pauperiei, humilitatis, & crucis Arcam hanc Sacerdotes, & Judæorum plerique, & idcircò non solùm non æstimârunt, sed etiam contemptui habuêre: at qui (non obstante eâ caligine) perspicere potuerunt, ut Christiani; quò perspicaciùs viderunt, eò reverentiùs coluêre: quis verò præ MARIA divinum numen, & præsentiam sensit, quæ adorabat eum, quem genuit; eum, in quo divinitatem habitare corporaliter, experimento ipso didicerat? Coloss. 2. v. 9.
Mixtus admirationi Sacer horror in animo MARIÆ versabatur, cùm per uteri sui sacraria Deus ipse carne quidem indutus, ipse tamen, *In quo, & per quem condita sunt sæcula,* in hunc Mundum intrâsset; præsertim cum ipsa fuerit prima, quæ vidit, quæ manibus tractavit, & ante cujus pedes prima omnium provoluta est. Nullam mihi credite reperiri abyssum posse sic inexhaustam, infinitæq; profunditatis, ad quam veneratio MARIÆ accedere non potuerit. Accendebat porrò ejus adorandi studium, invitabatq; ad maximam sui demissionem, subjectionem, promptissimamq; servitutem, cogitata in filio suo Charitas, quæ ipsum è cælo in terras adduxerat. Tum obversabatur animo MARIÆ Dei justitia, misericordia, sapientia, quæ affatim in Christo tralucebant: perpendebat rationem, & modum, quo concipi & nasci ex ea voluerit; multaq; alia, quæ nobis venire in mentem non possunt, mente agitabat, & reipsâ videbat excellentissimum Dei opus, & Sanctum illud prorsus admirabile; ob quæ explicari non potest, quantùm Virgo Sanctissima ad officia pietatis, reli-
 gionisq;
Digitized by Google

incredibiliter auxit, ut suspicere ad eam, præ ejus celsitudine, minimè valeamus. Nolo hæc, quæ de cumulo meritorum B. Virginis, Sanctitatisque ejus magnitudine differo, ea veluti condonari, atque ob eam, quâ erga tantam Dei genitricem obnixè ferimur benevolentiam, vltrò concedi mihi, hunc à nomine assensum efflagito; suffragium humanitatis hujus non postulo, sed judicium exigo, & sententiã, quam ratio extorqueat, non favor eliciat, hoc contendo. quid igitur est? An non Mariam inter filiũ & nos mediatricem esse profitemur? Sic à Basilio Seleuciæ Episcopo, sic ab Anselmo, appellata est. an non etiam eandem Dei Matrem, omniumq; hominum ac Angelorum Reginam asserimus? quid horum vocari potest in dubium? atqui profectò singula hæc nomina Matris Dei, Reginæ Mundi, ac Mediatricis quandam cælestium donorum immensitatem sibi vendicant. Vt enim de Maternitate nihil dicam; Regia dignitas sanè excellentiam supra omnes postulat, & opum affluentiam, qua supermineat omnibus; omnibus inquam non modo sejunctim singulis, sed conjunctis; quoniam non solùm singulorum, sed omnium præses est atque Regina. De Mediatricis munere, quid dicam? illud profectò in eam demum cadit, quæ non ijs sit destituta donis, quæ eroganda per eam sunt: atqui S. Bernardo teste, *Omnia vult habere nos Deus per Mariam*; ipsaq; est sub capite Christo, Collum Ecclesiæ, per quod omnis esca, & nutrimentum in omnes corporis mystici partes ad vitam roburq; membrorum traijcienda sunt. quis igitur non videat ea, quæ sparsim

In Sermone de incarn. de excell. Virg. cap. 9.

Sermone de nativitate B. Virg.

ſparſim ſingulis diſtribuuntur, omnia affatim, & cumulatiſſime in una Dei genitrice conſervari? prorſus ut fieri aſſolet in aquæ ductu, cum enim ex varijs fontibus collectæ fuerint aquæ in pylam, ſeu amplã voraginem, ex ea per canales diſpenſantur: & ipſa eſt MARIA; quæ Eccleſiaſtici 24. ait de ſe. *Ego quaſi aquæ ductus exivi ex paradyſo;* videlicet ad irrigandam omnem terram. Tantò igitur majori eſt à nobis veneratione, ſtudioqué MARIA colenda, quantò prior eſt gradu meritorum, & quantò eam ab intellectu noſtro remotiorem altioremq; ſentimus, tantò Sanctiorem cognoſcimus. Illam quidem veluti ſolem oppoſita manu ſuſpicimus, ſed non videmus; fulgorem quendam quaſi per rimas furtim haurimus, ſed aciem mentis in eam majeſtatem intendere non valemus. Quando igitur non poſſumus ſolvere ſignaculum libri hujus, ſic opertum, obſignatumqne; Sacroſanctum iſtud myſterium derelinquamus: Arca eſt, & retegi Bethſamitarum manibus non niſi periculo capitis poteſt, alijſq; oculis, hoc eſt, Sãctioribus, hoc divini amoris ſcrinium reſervatur. *1. Reg. 6. 6.*

§. IX.

Quòd B. Virgo etiam eâ Sanctitate, quæ per analogiam dicitur, Sanctiſſima ſit.

NOn intermittam vel illud Sanctitatis genus commendare in Dei Matre MARIA, quod ab ipſo Deo in ſacris literis per Moyſen celebra-

Leuitici 10 tum eſt: vt enim profani plures erant ſpecies & modi; ex cõtactu videlicet earum rerum, quæ per eam legem immundæ cenſebantur; ita non deerant ritus Sanctificationis, quibus elueretur macula, & qui pollutus fuerat redderetur Sanctitati. Neque hoc ſolùm accidebat hominibus ſed rebus ipſis, quæ vita ſenſuq; carebant; cujuſmodi fuerant vaſa, veſtes & alia, quæ vel immunda, aut Sancta habebãtur. Nec deeſt in lege Gratiæ hujus generis Sanctitas, quæ tamen priore illâ tantò eſt excellentior, quantò Sanctitatis fonti eſt iſta vicinior, quæ tamen ſola ſatis non ſit ut animam hâc duntaxat Sanctitate præditi Deo reddat acceptam. Quòd ſi igitur ipſa altaris vaſa, quòd ad ſacrificium Corporis & Sangvinis Domini deſtinata ſint, Sancta habẽtur, propterea quòd ex eorum contactu Sanctimoniam quandam referre cenſeantur, eaq; de cauſa in veneratione ſunt; ſi divinorum myſteriorum miniſtri exempti à vulgaribus idcirco ſunt, & inter ſacros Sanctoſq; recenſentur, & ſuus ijs honor à cæteris habetur, ut ſatis conſtat: quid ei quæſo Sanctitatis non adhæſit de Corpore Domini, de illo inquam, quod Archangelus Gabriel vſus antonomaſia Sanctum appellavit? ei, inquam, è cujus ſangvine coaluit, in cujus vtero geſtatum eſt, quod ipſa enixa fuit, quod vberibus admovit, quod pectori ſuo adpreſſit, quod lactavit, & aſſiduè in vlnis geſtans contrectavit? Nam ſi etiam res inanimes, eâ de cauſa, quòd Chriſtum in aliena ſpecie intra ſe contineant, à nobis reverentiã quandam, venerationemq; expoſcunt; quid ei non debebimus, aut quem Sanctitatis gradum non attigit illa,

Digitized by Google

illa, quæ Mater Sancti est? Quid dicam? Ecclesiæ instituto, & pio Sanctoq; populi Christiani ritu, habentur in veneratione ea omnia, quæ Sanctorum corporibus etiam vita vacantibus admota aliquando fuêre; ipsoque eorum attactu, exempta ab prophanis vsibus piè creduntur, interq; religiosa conumerantur. Nonne ipsa vnguium segmenta, aut vestium laciniæ, & frustula, eo ipso, quòd Sancti hominis fuerint ipsa quoque Sancta preciosaq; habentur? nec verò etiam immeritò; cum Sanctorum corpora fuerint Spiritus Sancti organa, & Sanctissimarum actionum, quas in eis ediderunt, instrumenta; & reipsa sunt charorum pignora, & sacræ exuviæ olim in cælos recipiēdæ, futuræq; cum anima gloriæ comparticipes, per quas etiam, ut olim per sudaria à corpore S. Pauli relata, non rarò multa præsertim sanitatis beneficia, humano generi Deus elargitur. Si igitur habent ea omnia quandam in sese Sanctitatem, eaque de causa deferendus est ijs honor & cultus: facile erit dijudicare, quàm sacra, vereq; Sancta sit Dei genitrix, quam etiam meritissimò, & sine intermissione Ecclesia, singulariterq; *Sanctam Dei genitricem* appellat; ipsa enim est, quæ à S. Chrysostomo dicta est Christifera, templum animatum, ferculum Salomonis; imò de eadem Epiphanius l. 3. her. c. 29. quod Deus voluerit: *Ipsam esse Sanctificationem;* & Andreas Cretensis homilia de Assumpt. *Quòd unguenti Sanctificationis suavi odore, totam perfuderit naturam.* Ecquidni habeamus MARIAM eo etiam nomine Sanctissimam, quòd ubi primùm nata, hoc est trimula, ne quâ humanâ consvetudine prophana redderetur,

Actorum 19

S. Chrisostom. in liturgia

Andreas Cretensis.

Digitized by Google

deretur, recondita fuerit in templo Salomonis, & ſecreta à vulgo, hominumq; conſortio; ibidemque pluribus annis converſata ſit in obſequio Dei, aſſiduaq; precatione, vnde S. Amb. l. 2. in Lucam ſola in penetralibus ne quo degeneri depravaretur affatu. Atque adeo; teſte Germano Patriarcha, Georgio, & Cedreno; cibum de manu Angeli acceperit? Neceſſe profectò eſt miram verendamque omni ex parte Sãctitatem inhalâſſe: adeoq; ſemotam à prophano, ut (quod refert Galatinus l. 7. de arcanis) ſi quid illicitum viſura, audituraúe eſſet, confeſtim oculi ac aures ad omne, quod eſſet abſurdum clauderentur. Addamus jam his omnibus ſanè magnis excellentibuſq; ad Sanctitatis commendationem præſidijs, illa quæ ſupra recenſuimus, ut quòd non ſolùm beata ſit, ſed altiùs (utpote clariore intellectus ſui oculo,) rimetur profunda Dei, & ſecreta Triados ſacratiſſimæ contemplando penitiùs ingrediatur; accedat ad hæc gratiæ, donorumq; cæleſtium pene quædam immenſitas, quâ longè omnes cæleſtis aulæ cives ſuperexcellit; & faciamus jam nunc periculum, ſi humano noſtro, imbecilliq; intellectu percipere valeamus, quàm Sancta venerandaq; ſit MARIA. Quod quia neque capere poſſumus, & multò minus edicere valemus: proſternimur ad pedes tuos ô MARIA, teque verè, ſingulariterque Sanctam, omniq; veneratione digniſſimam confitemur; rogamuſque te, ut cum advenerit ira Agni, & tempus mortuorum judicare, & reddere mercedem Sanctis ſuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen ejus puſillis & magnis, & exterminandi eos, qui corruperunt ter-

Apud Vaſq. d. 125. n. 125.

gunt terram; aperiatur nobis templum Dei in cælis, & videatur arca testamenti ejus in templo ejus, quæ ipsa es, ô MARIA: sed nunc quidem adhuc prophanis, & immundis occultatur nobis sub velo cælorum Sanctitas tua; quæ tamē per te, ut speramus, detegetur, ut videâre Arca testamenti in templo gloriæ filij tui, Amen.

Apocalipsis 11.

CAPVT IV.

De virtute Religionis, seu Pietatis.

§. 1. Quid sit Religionis virtus, & quàm fuerit excellens in B. Virgine.

§. 2. Magnitudo cultus, quem Virgo Mater Christi exhibuit, ostenditur ex pluribus alijs argumentis.

§. 3. Quàm Religiosa fuerit B. Virgo, ex actionibus ejus pijssimis ostenditur.

§. 4. Adohrtatio ad obsequium Dei, exemplo B. Virginis, & afferuntur nonnulla alia de Religiositate ejusdem.

Procemium.

SI verum est, Christianorum singulos esse Templa Spiritus Sancti, propterea quòd per Baptismum, cæteraq; Sacramenta, ac fidem Deo sint initiati, ejusq; cultui singulariter mancipati; quantò de Virgine Dei genitrice verius istud est, quando non nescimus in eam supervenisse Spiritum Sanctū, imò, ut dicebamns cum Athanasio; descendisse in eam cum omnibus donis suis, atq; ex ea *Sanctum* car

Digitized by Google

nem aſſumpſiſſe factum hominem? Quòd ſi etiam vſpiam, in templo quidem certè vigere debet Religionis virtus, & opus; dubio quoque vacat Religionem ſedem ſuam potiſſimùm collocaſſe in MARIA, utpote in templo omnium maximè auguſto, ad exhibendum Deo per ſacros ritus, ceræmonias, ac preces obſequium, & cultum, quem ipſius exigit excellentia. Et verò quod vni è ſeptem Angelis, Apocalypſis 21. capite, eveniſſe ait S. Joannes, ut cum civitatem arundine aureâ, per ſtadia duodecim millia dimenſus eſſet, repererit quòd longitudo, & altitudo, & latitudo ejus æqualia eſſent; idipſum dimetienti civitatem hanc, beatiſſimam, inquam, Virginem MARIAM, & vrbem Sion, *In qua, qui fecit eam factus eſt homo*; prorſus accidere videtur: numquid enim civitatis hujus quaſi duodecim millia ſtadia ſunt, duodecim MARIÆ inſignes animi virtutes ac dotes? quarum prima eſt Illuſtriſſimum per omnes Eccleſias vitæ exemplum: ſecunda ejus erga genus humanum benevolentia, ac patrocinium, maximeque erga ſibi devotos, ut MARIÆ cultum oſtenderimus eſſe divinæ prædeſtinationis argumẽtum; Tertia & quarta, in unâ, eâdemq; fœmina Virginitas ac Maternitas; quinta, Humilitas; ſexta, Prudentia; ſeptima, Sanctitas; octava, in qua nunc ſumus, Religio; nona, Patientia; decima, Fides; vndecima, Spes; duodecima, Charitas. Hæc igitur duodecim ſtadia dimetientes, reperimus Civitatis hujus longitudinem, & latitudinẽ eſſe æqualia, propterea quòd virtutes omnes in ſummo gradu conſiſtunt, neque eſt aliquid mancum, aut mutilum in MARIA: quare ſi jam

Pſalm. 85.

si jam ejus Prudentiam, aut Virginitatem, vel Sanctitatem credimus esse admirabilem, non minorem arbitremur esse Religionis virtutem.

§. I.

Quid sit Religionis virtus, & quàm fuerit excellens in Beata Virgine.

RELIGIO dignitate Virtus proxima Theologicis; est voluntatis quoddam pondus, seu inclinatio, sive animus bene affectus, & pronus ad cultum Deo deferendum, eumq; omni obsequio ac reverentia prosequēdum, ob æstimationem ejus excellentiæ, quæ in Deo est, & propter quam omni veneratione dignissimus est. Hic igitur figamus pedem, & insistamus. Nam si Religio ad Dei venerationem prolectatur ab æstimatione divinæ Majestatis; oportebit profectò in eâ Religionis virtutem esse excellentissimam, in qua maximè viguit Fides, rerumq; divinarum cognitio: at quis Verbi divini personam, & quantus suus esset filius, magis exploratum habuit, quàm Mater ejus MARIA? quâ igitur erga ipsum reverentia, quibus animi voluntatisque suæ inflexionibus, qua religione & cultu prosecutā fuisse filium suum existimemus? Verissimum istud est, crescere nimirum tantò magis venerationem, quantò notior est illius, qui colendus est excellentia, vilentq; semper ij, & apud omnes jacent, quorum perspecta Virtus non est; & vbi innotuerint, quò magis,

citoſq; latentem Deitatem conſideraſſe. Non vidêre præ nebulâ pauperiei, humilitatis, & crucis Arcam hanc Sacerdotes, & Judæorum plerique, & idcirco non ſolùm non æſtimârunt, ſed etiam contemptui habuêre: at qui (non obſtante eâ caligine) perſpicere potuerunt, ut Chriſtiani; quò perſpicaciùs viderunt, eò reverentiùs coluêre: quis verò præ MARIA divinum numen, & præſentiam ſenſit, quæ adorabat eum, quem genuit; eum, in quo divinitatem habitare corporaliter, experimento ipſo didicerat? Coloſſ. 2. v. 9. Mixtus admirationi Sacer horror in animo MARIÆ verſabatur, cùm per uteri ſui ſacraria Deus ipſe carne quidem indutus, ipſe tamen, *In quo, & per quem condita ſunt ſæcula,* in hunc Mundum intrâſſet; præſertim cum ipſa fuerit prima, quæ vidit, quæ manibus tractavit, & ante cujus pedes prima omnium provoluta eſt. Nullam mihi credite reperiri abyſſum poſſe ſic inexhauſtam, infinitæq; profunditatis, ad quam veneratio MARIÆ accedere non potuerit. Accendebat porrò ejus adorandi ſtudium, invitabatq; ad maximam ſui demiſſionem, ſubjectionem, promptiſſimamq; ſervitutem, cogitata in filio ſuo Charitas, quæ ipſum è cælo in terras adduxerat. Tum obverſabatur animo MARIÆ Dei juſtitia, miſericordia, ſapientia, quæ affatim in Chriſto tralucebant: perpendebat rationem, & modum, quo concipi & naſci ex ea voluerit; multaq; alia, quæ nobis venire in mentem non poſſunt, mente agitabat, & reipſa videbat excellentiſſimum Dei opus, & Sanctum illud prorſus admirabile; ob quæ explicari non poteſt, quantùm Virgo Sanctiſſima ad officia pietatis, reli-

gioniſq; opera, cæteroquin à ſemetipſa incitatiſſima reverita & venerata fuerit filium ſuum, quàm impenſè ei ſervierit; quo ſtudio, quâ ſollicitudine, ſe in Ancillam ſuis obſequijs devoverit, addixeritque: nihilq; ambigo, tantum fuiſſe MARIÆ obſequendi ſtudium, ut ad id teſtandum, ſi qua ratione fieri oportuiſſet, libentiſſimè vitam in Chriſti honorem, non modò ut Martyres per mortem, ſed etiam per ipſam ſuimet deſtructionem, & animæ corporiſque abolitionem impendiſſet. Etenim ſi perſonarum Illuſtriſſimarum, ut Reginæ Placidiæ adverſus S. Germanum, & Auguſtæ Imperatoris Maximi conjugis, adverſus S. Martinum, tanta extitere ſummæ venerationis argumenta; ut illa quidem ligneam patinulam à S. Germano cum pane hordeaceo ad ſe tranſmiſſam veſtierit auro, & panem diligentiſſimè cuſtodierit; hæc verò manibus ſuis, non ſolùm cibum parârit, ſed ipſa miniſtrârit, atq; ad pedes Martini procumbens doctrinam ejus avidè hauſerit; quis non dicam explicare, ſed vel cogitare ſatis poterit MARIÆ erga filium ſuum (quem Sanctum Sanctorum eſſe optimè ſciebat) ſedulitatem, venerationem, cultũ, adorationem? Excedit omnium à quovis genere hominum delatam Chriſto reverentiam MARIÆ reverentia; non ſic illum Magi, non paſtores, non Simeon, non Centurio, non Hæmorrhoiſſa, aut ullus alius plus coluit Chriſtum, aut ſtudioſiùs eâ, qua nemo meliùs dignitatem, excellentiamque Chriſti perſpexit, hoc eſt, MARIA. Neque difficile fuerit aſſentiri, ſi iſtud animis penitus noſtris infigamus, dignitatem nempe perſonæ efficere, ut vel maximè

Baronius ad annũ Chriſti 435. & annũ circiter 383.

maximè deferatur ei ab eo, qui illam novit, & quò quis plus novit, ipsum etiam esse reverentiorem. hinc factum non omnino insipienter suspicemur, ut Angeli, de quibus à Christo dictum fuerat, quòd videant faciem Patris sui, qui est in Cælis, dicantur ab Ecclesia laudare Majestatem, & Dominationes adorare, & Potestates tremere. Atque hinc etiam est, quòd timor Domini Sanctus psalm. 18. singulariter dicatur permanere in sæculum sæculi: propterea quòd filialis illa reverentia hominum justorum erga Deum, tantùm abest ut per claram Dei visionem exstinguēda sit, sed verò etiam multò magis ex præsenti Dei vultu augenda, ad quod declarandum ipsi Seraphini apud Isaiam cap. 6. dicũtur velare faciem Domini binis alis, quasi sufferre non valeant majestatem vultus ejus. Si ergo damus, assentimurque nullum de Christi dignitate ac excellentia magis instructum fuisse, quàm MARIAM: eidem quoque venerationis, obsequiorumq; religiosorum erga Christum, palmam concedamus. Matthæi 18.

§. II.

Magnitudo cultus, quem Virgo Mater Christo exhibuit, ostenditur ex pluribus alijs argumentis.

SI ad alienæ cognitionem excellentiæ, accedat amor personæ illius, quam scimus esse eminentem; tantò magis sumus erga illam obsequentes,

Digitized by Google

tes, propter ea quòd inexplicabili quâdam noſtrimet devotione afficiamur erga eos, quos amamus, & vnà novimus eſſe virtute præcipuos; amor æſtimari facit ea, quæ magnopere æſtimabilia non ſunt (ut quidem experimento patentiſſimum eſt.) Quid ſi igitur animo amantis obverſetur vera, ac genuina dilecti excellentia, nonne ex ipſo amore prope in immenſum gliſcit colendi ſtudium, ac reverentia? Detrahe amanti opinionem de virtute, aut opinioni adime amorem; atque ex alteriûs ſubtractione frigeſcet cultus erga perſonam, atque obſequiū. Neutrum ſanè defuit MARIÆ, quâ ut nemo magis illud Sacroſanctum, quod in ea atq; ex ea natum eſt, clariùs cognovit; ita nulla ejuſdem amantior, quàm quæ Mater erat: cumq; ea duo in vnum MARIÆ cor confluxerint; quantam ex ejus pectore evocârint venerationem, quamque venerabundam conſtituerint, explicare nemo poteſt ſatis. Et decuit ut quæ Deum, & hominem prima in carne coluit, etiam venerationis magnitudine omnibus anteſtaret; cum eſſet exemplar futura reliquorum qui deinceps Deo nato honorē fuerant exhibituri. Neque ſolùm præſtantiâ actus ipſius, ſeu Religionis præſtitit MARIA, ſed cultus & venerationis aſſiduitate; cum ejus aſſiduam, & quotidianam exercendæ nacta ſit opportunitatem, ut quoad vixit, credam illam Religionis exercitio, & uſu, ipſos æmulatam fuiſſe Seraphinos. Nam etſi illi in templo gloriæ Dei, ſine intermiſſione clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth*; attamen etiam Virgini Sanctæ, perpetua adorādi Domini ſui adfuit, & præſens occaſio, cum vivum

Digitized by Google

vivum facta esset tabernaculum continens Arcam, id est, Humanitatem, quam utero suo gestavit primùm, & deinde ipsis triginta annis, in eodem cum Christo contubernio vixit, assiduaq; ejus consvetudine usa est; ergo quotidie ferebat in oculis reverendam Angelis faciem, ex cujus præsentiâ, perpetuoque aspectu, & Virginis ipsius ad religiosos actus propensione, qua sui devotione se Christi servitio mancipârit, ancillamq; professa sit, quis edicat? Solent quidem homines per assiduam vitæ consvetudinem, familiaritatemq; vicissim sibi vilescere, propterea quòd vsu quotidiano (nam quique nostros patimur manes) innotescunt quædam, vel propriæ naturæ, vel morum vitia, quæ sicut eum, qui ijs laborat nonnihil defædant, ita minùs amabilem, & venerabilem reddunt: cujus rei gratiâ, hoc est tuendæ dignitatis; absunt à publico viri principes, & nonnulli etiam, ut apud Japones in more dicitur esse, Reges interposito velo respondent populi quæstionibus. At in puero JESV, vel jam viro effecto, nihil omnino vitiosum erat, aut visebatur; cum referat Lucas, *Quòd crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo:* quòd si plenus, in nullo igitur deficiebat: cumq; in dies magis ac magis suæ Deitatis quoddam specimen exhiberet, juxta increměta ætatis; tantum abest ut veneratio MARIÆ, per vitæ consvetudinem imminuta sit, ut pene etiam creverit in immensum. Sed & hoc habent præ reliquis hominum fæminæ, ut ad Dei cultum, pietatisq; exercitium, sint à natura magis incitatæ; & inde est illud Augustini (apud Dei Matrem) de fæmi-

Augustinus t. 10. serm. de Sanctis sermone 18.

fæminis elogium: *Interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo ſexu:* Quòd ſi hoc habent plerumq; fæminæ boni, dubium non eſt, quin ea fuerit ad pietatem Religionemq; propenſiſſima, quam conſtat ore Angelico inter mulieres eſſe benedictam: non quòd in natura, gratiæ veluti quædam ſemina jaciamus, valeatq; aliquid, citra gratiam, ad opus, quod humanas vires excedit, ipſa corporis temperies; ſed quòd ingenia quædam, & naturæ incitamenta minùs Dei donis repugnent, ut faciliùs à divino Spiritu impellantur. Vt enim in corpore ſphærico vis nulla ſit, quâ ſe ſe impellere, incitareúe ad motum poſſit; non tamen adeſt ei figuræ renitentia quædam, quò minùs moveri facillimè poſſit. Cum igitur (ut redeamus ad lineam,) duo illa, hoc eſt notitia dignitatis, amorq; inſignis erga perſonam, quæ digniſſima erat, coinciderint in B. Virginem hoc eſt fæminam, quæ ab ipſo etiam ſuo ſexu, ſic comparata eſſet, ut aſpirante Deo, facillimè afficeretur actionibus religioſis; conijciamus jam, ſi poſſumus, ad quam abyſſum demerſerit ſe ſe MARIÆ veneratio exhibita filio & Deo. Adde naturæ huic alteram, hoc eſt in pietatis ſtudijs, religioſiſſimiſq; actionibus educationem: verſata quippe fuit MARIA à triennio ætatis ad decimum quintum annum, ut paſſim creditur, in Salomonis templo. Jam naturæ, & conſuetudini, quaſi oleum camino, adijce dona gratiæ, & multiplicia Spiritus Sācti chariſmata, eaq; inprimis, quæ dicuntur donum Sancti timoris & pietatis, & demum Virginem hanc nullis cōcupiſcentiæ ſtimulis agitatam; Atq; ſic affectam, beneq; inſtructam, ſtatuamus illam in

lam in

iam in Sanctuario sub aspectu Sancti, quod est Christus, quiq; non in alienâ specie, ut nobis accidit, sed in propriâ spectabilis erat, & è cujus ore divina majestas, & Sanctitas resplendebat: poterimusne ad illud profundum, ad quod se se demittebat MARIA, vel cogitando pervenire? De palmite dicebat Christus: *Quòd si non manserit in vite, mittetur foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent & Ardet.* cur non dixit; ardebit? prout dixerat, colligent, arescet, mittent: sed ad exprimendam pene momentaneam palmitis conflagrationem, ubi fuerit injectus in flammam, appositè dixit: *Et ardet*; ita, ut absque mora ulla, palmes aridus, quàm primùm in igne est, tàm citò ignis fit. Atqui etiam MARIA, cum quòd fœmina à pietate minimè aliena erat, tùm quòd Spiritu Sancto plena, & præterea præcipua in amando, inque filij sui excellentia internoscenda: hinc sanè fiebat ut reverentissimè haberet se se erga Christum, nec ulli Sanctorum in Dei cultu esset secunda. Non cessit illa Jacobo fratri Domini, qui à deo diu constanterq; innixus genibus perstabat, ut callum, qui duritie Camelli pellem imitaretur, obduxerit; non Magdalenæ; aut ulli Eremicolarum; vel ipsi eorum coriphæo Paulo, qui tercenties die unâ submittebat se in genua: Verisimile quippe est MARIAM, quæ scientiâ infusâ vtebatur, nunquam ab oratione ob ullam actionem, vel ipsum somnum fuisse impeditam, juxta id: *Ego dormio, & cor meum vigilat*: ut Ambrosius & Carthusianus interpretantur. Quod si etiam recogitare libeat vilissimum, quem habebat de se animi sensum, cum intelligeret se quo-

Lectione 6. in off. Romano 1. Maij.

S. Ambrosius l. 2. de Virginibus.

se quoque productam è nihilo, totamq; se pendere à Deo, sine quo nihil omnino posset; tantò magis crescebat opinio excellentiæ divinitatis filij sui, quãtò se magis dissitam ab illa natura sentiebat; nam quò viliorem quis esse se sentit, eò magis digniori se defert; premendum istud est, diligentiq; consideratione perpendendum; nam si damus (quod negare nullo pacto possumus) B. Virginem in cogitatu suo planè humilem fuisse, infraq; omnes se se abjecisse; facile erit conijcere, quâ veneratione prosecuta sit sum̃um illa, quæ se postremam animitus statuebat.

§. III.

Quàm Religiosa fuerit B. Virgo; ex actionibus ejus pijssimis ostenditur.

SEd age videamus jam, quàm fuerit S. MARIA rebus Religionis, studioq; divini cultus addicta; & facile perspicere hoc possumus ex eo; Nam cũ ad Religionẽ spectet festorũ dierũ, & rituũ Ecclesiasticorum esse perquam studiosum, tum precum usus, votorum, atque oblationum. Referente Luca habemus, quòd octava die circumciderit puerum, quodq; *Postquam impleti essent dies purgationis ejus, secundùm legem Moysi, tulerint illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, & ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini:* Quâ in narratione non sanè obiter pertranseundum est, quòd S. Lucas adeo studiosè inculcat de Reli-

Luca 2.

Digitized by Google

Religiositate B. Virginis; nam cum dixisset, quæ jam recitata sunt; ad finem ejus narrationis adjecit in hæc verba: *Et ut perfecerunt omnia*: quo significat sedulitatem, exquisitamq; diligentiam in obeundis omnibus cærimonijs, ac ritibus nihil omnino ab ea fuisse prætermissum. Neque hoc solum in allegatis verbis videre est, sed etiam quòd Virgo Sanctissima religiosissimaq; non solùm præstiterit omnia, quæ lex præcipiebat, sed etiam idcirco fecisse, quòd lex de festis & cærimonijs ita sanciret, ita, ut non modò actu Religiosa fuerit, & sacra, sed ipsum animi propositum pium ac Sanctum, sive ex amore divini cultus fuisse profectum. De precibus & jejunijs quid dicam? Archangelus eam in divina lege meditantem invenit, & nota sunt illa S. Ambrosij (de Virginibus lib. 2.) de hac Virgine verba facietis: *Quid exequar, inquit, ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam; alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse? illic nulla intermissa tempora, hic congeminati jejunio dies.* Equidem de Virgine hac multò magis dici posse puto illud, quod de S. Martino scriptum est, scilicet, invictum ab oratione Spiritum non relaxabat. Existimemus fuisse MARIÆ pectus instar thuribuli, ex quo *Ascendebat oratio sicut incensum in conspectu Domini.* Cum enim præter Deum nihil amaret, quod non propter ipsum amaret; ibi semper erat cogitatione, inque ara cordis ejus fiebant *Obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Alebat hunc ignem contemptus Mundi, ac jejunia, quæ humorem omnem exsiccabant, ut esse ignis perpetuus posset. Cumq; aliena valde esset à Mundi

Ambrosius

In off. de festo.

1. ad Timoth. 2.

Digitized by Google

illecebris ac negotijs; sic agebat in terris, ut inter homines versans, veluti viveret in solitudine, solius orationis pabulo victitans; hæc enim est, de qua multò ante quàm esset; à Salomone Cantic. 3. prædictum fuit: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, thuris, & universi pulveris pigmentarij?* Rectissimè assurrexit Virgo in cælestia, absque ulla mentis evagatione, quam plerumq; patimur ob indomitas animi affectiones, virtutisq; inopiam, & ideo dicitur Virgo, sicut virgula recta, nulla videlicet sui inflexione ad ima & terrena deflectens; propterea quòd *Ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij* constaret, hoc est, omni virtutum genere prædita foret, virtus quippe est, quæ munit orationem, ne detorqueatur mens ad vanas mundanas, seu etiam animales cogitationes. Nonne legimus de B. Aloysio nostro, sic animo collecto in rerum divinarum cõtemplatione hæsisse, ut aliquot mensium animi distractio, quam tempore meditationis passus fuisset, tam diuturna non fuerit, ut spacium quo semel Angelica salutatio recitari solet, exæquare posset? Sed verò etiam de eodem accepimus; omni genere virtutum, præsertim ea, quæ in carne domandâ versatur fuisse conspicuum. Precabatur igitur MARIA, cum esset mulier religiosissima; quodq; præclarum in ea erat, sic ferebatur in Deum, ut nihil ad alia reflecteretur: eratq; idcirco grata ejus precatio, non solum quòd è succensis aromatibus ferveret, sed quod non interrupta esset atq; irreflexa, ut virgula fumi inhalans odorem suavitatis in cælestes domos, & aromatizans

Cantic.

Lib. 2. Vitæ cap. 11.

tizans

Digitized by Google

tizans in plateis cæleſtis Hieruſalem. Non ſanè immeritò B. Virgo altare thymiamatis dicta eſt, cum adoleatur in ara cordis ejus *Incenſus in odorem ſuaviſſimum Domino.* Ecquis nobis concedat, adaperiatq; oculos, ut videre poſſimus inhalantem Virginis Spiritum ad ſublimia? quas ibi videre eſſet pias animi affectiones! quæ deſideria æſtuantia! quas animi ecſtaſes in cæleſtibus! nec cuiquam venire in mentem aliud de pietate Virginis poteſt, cum Regina Confeſſorum ſit, hoc eſt, Sanctorum omnium pietatem, & dedita rebus divinis ſtudia, ſtudio ſuo longè ſuperâritus. Et mihi quidem etiam dubitare fas non eſt, precibus addidiſſe vota, hoc eſt, donaria in uſum templi, & Sacerdotum: Si enim reperta eſt vidua, quæ duo minuta totam ſubſtantiam ſuam miſit in gazophylacium; quid non ſuſpicemur feciſſe Virginem illam, quæ tantum pro honore Dei æmulabatur? & quando Patrum unanimi conſenſu conſtat, in prima ætate illibatum Virginitatis ſuæ florem obtuliſſe Deo; an eam, quæ in tanti theſauri elargitione, ſic liberalis fuit, parcam fuiſſe in alijs ſuſpicemur? Se dedit, & ſua retinuit? Aſcendit quotannis ad templum, ad quod minimè tenebatur, ut ex lege Exodi 23. exaratâ videre eſt, ait enim: *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo ſuo*, & vacuam adveniſſe credamus? Teneamus hoc de MARIA, quod non minus, quàm vidua, id eſt plus omnibus, Chriſti teſtimonio, ſupererogarit in cultum Dei, & ſacrorum; illa, *Quæ ſuperegreſſa eſt univerſas.* Quòd ſi igitur, ex quo religio Chriſtiana propagari cæpit, fuêre viri principes, & matronæ

Eccleſ. 24.

Exodi 37. & 25.

Marci 12.

Exodi 23.

pientiſſimæ, quæ plurimas opes effuderunt in alimoniam canentium laudes Deo, ad pauperum egeſtatem levandam, ad templa Deo dicata exornanda, hos ſumptu quo potuit, ſed immenſo honoris divini Zelo, ſuperavit MARIA. Certè patrimoniũ ſuum cum eſſet unica, & hæres, trifariam diviſiſſe accepimus, ita, ut partem vnam Sacerdotibus & templo addixerit, alteram pauperibus erogârit, tertiam ad vitam ducendã ſibi reliquam fecerit, quam tamẽ diſtributionem ſolum, ut veriſimilem aſſerimus. Atqui verò etiam omni cenſu terreno majus aliquid obtulit Deo MARIA, ſive hoſtiam precij im̃enſi Deo im̃olavit: & quidem ſacrificium præcipuus eſt Religionis actus, qui ipſe, prout fieri potuit, MARIÆ non defuit. Sacrificium porrò obtulit, non hircorũ, aut vitulorum, ſed eo modo, quo ipſi licebat, id eſt, filium ſuum, in atteſtationem ſupremi dominij, quo pollet Deus in res omnes; ipſa obtulit litavitq; corpus & ſangvinem filij ſui in odorem ſuaviſſimũ Domino. Quis Abel, aut Sacerdos alius adſtitit aliquãdo coram Deo cum tali hoſtia, ſicut præſto fuit Prophetiſſa noſtra MARIA? aut de cujus manibus gratior potuit eſſe victima, quàm de altari cordis MARIANI? obtulit primo quidem in templo filiũ ſuum Deo, cum quaſi purificanda, quadrageſimo à partu die acceſſit illuc; qua verò ſe veneratione proſtraverit ibi, quâve pietate, animiq; ſui ſenſu primogenitum illum ſuum, cujus cauſa omnia ſibi primogenita vendicarat Deus, reddiderit ei, à quo ipſum receperat, quis quæſo edicat? Obtulit poſtmodum eundem extra templum & civitatem, in monte Calvariæ: nam

Damaſcen. l. 4. de fide orthodoxa cap. 15.

Exodi 13.

Digitized by Google

riæ; nam etsi intimis animi sensibus discruciaretur, ob filij sui mortem; attamen, cum eam esse Dei voluntatem sciret, ut filius suus *Fieret pro nobis peccatum* seu hostia pro peccato, non solùm in id genus holocausti assensa est, sed verò etiam pendente in cruce filio, interq; gravissimos cruciatus animam agente, Zelo honoris Dei inflam̃ata, ex animo simile quidpiam dixerit: *Suscipe Sancte Pater hostiam, quam tibi offero, pro peccatis totius Mundi, in gloriam, & laudem nominis tui, ad utilitatem quoque nostram, & nominatim meorum clientulorum, atq; totius Ecclesiæ Sanctæ tuæ.* Sic adoravit in Monte MARIA, & Religio ejus major esse non potuit. Audiámus S. Antoninum 4. p. th. tit. 15. c. 4. § 8. hac de re ita proloquentem: *Stabat*, inquit, *juxta crucem verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa, ita tamen divinæ voluntati conformis, ut* (Anselmus ait) *Si oportuisset, ipsa filium in cruce posuisset, atque obtulisset; neque enim minoris fuit obedientiæ, quàm Abraham*; verum cum id ipsi mandatum non fuerit, obtulit nihilominus eo pacto ac ratione, qua cum Sacerdotibus populus offert; cum enim assisteret cruci, tanquam altari, immolabat cum filio suo, ejusdem filij corpus & sangvinem. Neque aberraturum me esse confido, si hoc ipsum Proverb. 9. prædictum fuisse de MARIA dixero, cum constet eam nomine sapientiæ indigitari, hoc est, quæ de sapientia dicuntur, transferri ab Ecclesia ad Deiparã, ut de illa etiam dicta fuisse intelligantur. Atqui de sapiẽtia ibidem dicitur, quod *immolarit victimas suas*: intellige tu, quòd MARIA sacrificiũ corporis & sangvinis filij sui obtulerit; quod reipsa sacrificiũ quodam-

2. Cor. 5.

S. Antonin.

Proverb. 9.

Digitized by Google

dammodo multiplex eſt, ſeu victimæ multæ, quoniam, ut ait S. Leo ſerm. 8. de paſſ. Dñi. omnes differentiæ hoſtiarum, una Euchariſtiæ oblatione continentur. Immolavit ergo Sapientia victimas ſuas, ut vel hoc nomine Epiphanius Virginem hanc appellare potuerit in hæc verba: *Virginem*, inquit ille, *appello velut Sacerdotem pariter, & altare quæ quidem menſam ferens, dedit nobis cæleſtem panem Chriſtum in remiſſionem peccatorum.* Et quam diu poſtea vixit in terris, aut modo regnat in cælis, non deſiſtit aliquando ab immolatione filij, quia non deſinit mortem offerre, & Patrem per merita communis filij interpellare. Cedat profecto MARIÆ oportet Abraham, licet is ſupra vnum montium offerre paratus fuerit filium ſuum; & tanto major eſt MARIÆ Religio, atque erga Deum reverentia, quanto magis Virginis filius Chriſtus JESVS, Iſaaco; corpus vmbræ, lumen tenebris; veritas figuræ anteſtat.

S. Leo

T. 2. ſerm. de laudibus B. Virg.

§. IV.

Adhortatio ad obſequium Dei, exemplo B. Virginis; & afferuntur nonnulla alia de Religioſitate ejuſdem.

CVm Beatiſſima Virgo eum ipſum vnicum filium ſuum, quem ſic diligebat, & in oculis ferebat lubens ob Dei honorem, in mortem acerbiſſimam, atque ignominioſiſſimam tradiderit; diſcamus ejus exemplo ita Deum venerari, ut

ad ejus

Digitized by Google

ad ejus obsequium parati simus dimittere amores nostros, delitias nostras, totumque, quod in amoribus esse potest, divino servitio & cultui mancipare. Fecêre jam quidem quotquot Religiosi sunt, cum res omnes, quas habere poterant, sive ad vitæ usum, sive ad honores & gloriam spectarent, & quod caput est se ipsos, arbitriumq; omne Dei obsequio in Religione addixerunt: Imitãtur illos quandatenus Mariani sodales, cum nomina sua dant B. Virginis sodalitio: Si tamen adhuc superest aliquid nobis de nobis; si qua tenet animum nostrum cupiditas, & tanquam firmissimo vinculo eum sibi devinxit, atq; ita res ferat, ut in obsequium Christi dimittendum sit, quod tunc accidit vel maximè, cum canonum nostrorum seu regularum nutus, aut imperium accedit; abijciamus id quamprimum, imponamusq; Isaacum nostrum super altare, & fiat thymiama in odorem suavissimum Domino: si deserendus sit amicus, si socius, si ludus & otium: Sacrificemus ea Domino, exemplo MARIÆ. An potest cuiquam aliquid esse charius, quàm Christus fuerit Matri suæ? obtulit illa tamen, & imitatorem te quærit, si tu velis illam habere Patronam. Ad vos jam me converto, quotquot estis, & liberos suscepistis: esto sint illi unici, charissimi, & desideratissimi, domus columina, posteritatis spes, solatia senectutis: attamen nolite, obsecro, adeo diffidere ab exemplo hoc Virginis, arcereq; à Dei obsequio, ad quod nonnunquam aspirant filij vestri; cum videatis eam, cujus vos esse cupitis clientes; ita Zelo honoris Dei arsisse, ut suum, esset ipsa actura in crucem filium, si prout A-

brahamo

Digitized by Google

brahamo fuerat, ita ſibi fuiſſet à Deo imperatum: Macti animo, audete, & tanti vos habere facinoris, cum Dei Matre Societatem gaudete. Multa adhuc mihi de Religione Virginis dicenda eſſent: quam enim pietatis pectus illud Sanctimoniam non ſpirabat, quod ſingulariter erat Deo concipiendo geſtandoque dedicatum! nihil omnino illa omiſit, quod quoquo modo ad Dei cultum Religionemq; referri poſſit. Ipſa Sacerdotibus alijſque, qui ad altaris templive munia deſtinati erant, plurimum deferebat. Si enim Catharina Senenſis adeo ſtudioſa Religionis fuit, ut figeret oſcula, ubi ſciebat conſtitiſſe Sacerdotes; dubio procul MARIA omni genere officij dicatas Deo perſonas proſequebatur: quin nullus ambigo eos, qui Sacerdotio inſigniti ſunt, adeoque facultate pollent illud ipſum corpus, quod ipſa de Spiritu Sancto concepit, eâdem faciente virtute, verbis labiorum ſuorum, ſub panis & vini ſpeciebus, præſens in altari conſtituendi; eos, inquam, in honore eſſe apud Dei genitricem. Quis igitur oratione complectatur, quâ Sanctum Zachariam reverentiâ coluerit? quâ Joannem Baptiſtam? alioſque, quos ab Aarone propagatos fuiſſe ſciebat? erat enim MARIA eo Spiritu afflata, quo Chriſtus plenus erat, in quo à Sapientibus perſpectum illud eſt, quòd cum vitam ſcribarum, Phariſæorumq; (in quibus erant Sacerdotes non pauci) redargueret, ita reprehenderit mores eorum pravos, ut tamen venerandum Sacerdotis nomen, exprobrando non attingeret; neque dixerit: *Væ vobis Sacerdotes*; ſicut dixit: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, ſepulchra dealbata, pleni rapina,*

S. Catharina. Surius t. 2. 29. Aprilis in vita S. Catharinæ.

Bellarminus.

ni rapina, & immunditia, Matth. 23. v. 27. Quare etiam mihi quidem perquam certum eſt; Sãctam Dei genitricem ob illam, quâ fertur ad divina propenſionem, novæ legis Sacerdotibus bene velle, & tanquam filij ſui miniſtros, optare ut apud omnes in honore ſint, ac veneratione. Nullum dicendi finem inveniam, ſi proſequi oratione voluero, quæ MARIÆ Religionem comẽdant. Illa Baptiſmi Sacramentum de manibus Chriſti ſuſcepit; illa cum Apoſtolis, reliquiſque diſcipulis erat perſeverans in oratione; & proinde Confirmationis Sacramentum, quoad ejus effectum, abſque alijs ſignis externis, in die Pentecoſtes obtinuit; illa præibat omnibus primæ illius Eccleſiæ hominibus exemplo, & quotidie intra ſe recipiebat Chriſtum ſuum, ad notum tabernaculum ſub panis ſpeciebus; illa tanquam apis argumentoſa, & fidelis diſpenſatrix, præ reverentia *Conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*, ut affirmat Lucas, memoriæ prodens, quod ea, quæ narrat, è ſacrario pectoris Mariani, hauſerit, illa inquam reliquias de inſtrumẽtis quibus excarnificatus filius ejus fuerat, & quidquid habere potuit, ſervavit diligẽtiſſime, vnde enim clavos, unde ſpinas haberemus, niſi ipſa religioſiſſimè cuſtodiviſſet. Et hoc Religionis opus fuit, quòd præputium filij ſui aſſervârit; quin legere eſt apud Metaphraſten eodem Cæſare Baronio referente; aquam & ſangvinem, quæ ex latere Chriſti perfoſſo emanarant, ab eadem religioſiſſima Virgine, quoad licuit, fuiſſe collecta. Et quamvis amor MARIÆ erga filium ſuum, ad vehementiſſimum animi cruciatum ſatis eſſe poterat, at-

Vide S. Brigitta revelationum l. 6. c. 112. & Barõ. ad annum Chriſti 34. n. 132.

 tamen

tamen Religio acuebat dolorem, & acerrimè is deſæviebat, cum videret illud Sanctiſſimum, maximeque venerabile Chriſti corpus indigniſſimè tractari, ac pollutis manibus contingi. Mater erat illius, qui dixit: *Zelus domus tuæ comedit me.* Quòd ſi Chriſtus adeo acerbè tulit, templum illud Deo dicatûm nundinationibus coinquinari; quis dolor MARIÆ pectus inſedit, cum Sanctum videret dari canibus, & Sacratiſſimam filij ſui carnem, opera Spiritus Sancti elaboratam, & in qua habitat plenitudo divinitatis, videret conſpui, faciem percuti, & venrãdum illum vultum ſannis, & purulentis phlegmatibus violari? nonne ad tam horrendum ſpectaculum commovebantur viſcera ejus, & prophanari auguſtum illud ſacrarium indigniſſimè ferebat? Etenim ſi Mathathias Machab. 1. cap. 2. v. 24 cum acceſſiſſet Judæus in omnium oculis ſacrificare idolis ſuper aram in civitate Modin, ut vidit, doluit, & contremuerunt renes ejus: quis angor, & intimus dolor diſcruciabat animam Virginis, cum Sanctum adeo ſacrilegè, & impiè haberi palam cerneret? Neque tunc ſolùm, aut primùm ſacrilegia in Chriſtum admiſſa MARIAM affligebant: in reliqua, & ſuperiore vita verſavit animo ſemper Chriſti cruciatus, ab uſque ipſa ejus infantia. Non eſt illa quidem modò doloris ullius capax; attamen quia honoris Dei ſemper eſt ſtudioſiſſima, ægerrimè fert Sacerdotes non ea, quâ decet reverentiâ, divina obire miniſteria; atque idcirco quantùm amat fovetq; altaris miniſtros Sacerdotes, quòd obſequio ejus deſtinati ſint, quem maximè honorari cupit; tantundem averſatur ſacrilegos, impios,

Machab.

pios, irreligioſosq́; non Sacerdotes modo, ſed eos omnes, qui rei divinæ irreverentur interſunt. Obſecro igitur omnes, ut ſi credimus Virginem Dei Matrem æmulari pro honore filij ſui, rerumq́; ſacrarum perquam eſſe ſtudioſam, ob eam, quam in ſummo gradu nacta eſt, Religionis virtutem; ne offendamus oculos ejus, caveamus ne ſacra per aliquam irreverentiam temeremus: Sancti omnes Chriſtiani ſumus, ſuper quos invocatum eſt nomen Domini, qui Sacramentis initiati, qui templa ſumus Spiritus Sancti, & deferre nobis ipſis debemus. Quòd ſi corpus myſticum Chriſti, quod ſumus nos, in veneratione nobis eſſe debet; quantò magis verum Chriſti corpus? ergo qui participes ſimus illîus, nihil omnino loquamur, aut faciamus, quod tali eſca paſtos dedeceat; recogitemus eſſe carnem illius Matris, quæ religioſiſſimè eam tractavit; & ſi ſecus agamus quod abſit, hoc non lateat nos, (qui Zelus Matris eſt & filij) eos graviſſimè offenſum iri nobis; *Nam ſi quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*, 1. Corinth. 3. Et ſi utrumque habemus iratum, quem habebimus deprecatorem? nonne anchoram ſpei noſtræ, & refugium in opportunitatibus poſuimus, elegimuſque MARIAM? *1. Cor. 3.*

CAPVT V.

De animi Fortitudine, ſeu Patientia, qua B. Virgo maximos dolores ſuſtinuit.

§. 1. *Cum tanta ſit acerbitas doloris, quãtus eſt amor, MARIÆ dolorem de filio ſuo longe maximum fuiſſe.*

§. 2. *Quòd MARIÆ dolor de filio ſuo diuturnus, ac aſſiduus fuerit.*

§. 3. *Quòd MARIÆ dolor purus fuerit, atq; ex alijs etiã cauſis (præterquã ex Chriſti paſſione) progenitus*

§. 4. *Ob quam cauſam Deus chariſſimam Matrem ſuam tam gravia pati permiſerit, ut etiam ſpectaculo Crucis filij ſui interfuerit.*

Procœmium.

STO in littore, & aquarum immenſitatem enavigandam, & ante me poſitam video: aquarum, inquam, ſanè ſalſiſſimarum (quid enim, S. Hieronymo teſte, MARIA eſt aliud, quàm amarũ mare?) Abſterreor ab auſu, qui temerarius etiam videtur; & periculum exagitati maris fluctus minatur, ne abſorbeat timeo: & verò Sanctæ MARIÆ fæminæ afflictiſſimæ tormenta, acutiſſimiq; dolores, omni meâ facultate, ingenio, dictioneque majores ſunt, neq; ſatis explicari à me valet amaritudo Matris, quæ animam illam Sanctiſſimam ingenti mœrore ſauciam in horas ſingulas diſcruciabat. Quòd ſi tamen alicujus oratione Virginis acutiſſimus dolor aliquà ratione enarrandus eſſet; id potiſſimum ad fæminam, quæ mater eſſet pertineret. Norunt utique Matres melius carnificinam pectoris ſui, viſcerumq; dilaniationẽ, anguſtias animi, quas de morte, de adverſis caſibus, de interitu filiorum percipiunt. Ergo dicite vos Matres; non enim noſtrum eſt, qui coagulatum de ſangvine noſtro intra viſcera, &

Hieronym. in lib. de nominib. hebraicis in Exod.

ra, & claustra uteri pusionem non gestavimus; quique novem mensium spacio non fovimus; non educavimus; non aluimus; qui denique enixi non sumus; non lactavimus; quibus non arrisit blandiens; & quorum admotus pectori intra ubera assiduè versatus non est. Dicant ergo illæ delicias filiorum expertæ, & amoris sui teneritudinem, animiq; colliquescentis suavitatem; illæ dicant, & illis nemo melius potest; uberem orationem suggeret dolor, quin verò etiam ploratum, lacrymas, animique defectiones. Quòd si in ijs tantus futurus esset dolor, ut omnem dicendi adimat facultatem, & nobis præterea, qui viri sumus loquendi potestas tribuitur, roganda est ipsa Dei Mater Sanctissima per illos ipsos acerbissimos cruciatus, qui assiduè pectus ejus fodicabant, ut faciat nos sentire vim doloris sui; quia sine dolore explicari ipse, quo distinebatur Virgo sanctissima, dolor non potest.

§. I.

Cum tanta sit acerbitas doloris quantus est amor; MARIÆ dolorem de filio suo longè maximum fuisse.

CVm verissimum istud sit, amorem scilicet esse omnium aliarum affectionum radicem & fontem; nulla ut se commovere in animo passio possit, quæ ex amore, seu benevolentia ad aliquid ortum non habeat; necesse etiam est, ut quò

major redundãtiorq́; eſt amoris fons, eò etiam vberiùs cæteras cupiditates ex illo emanare: quis hoc non videat? *Si timuiſti amâſti;* S. Auguſtini illatio eſt: & negari non poteſt. Hinc fit, ut quantò plus quis excellentiam ſuam, ſuiq́; nominis æſtimationem amat; tantò etiam magis contemptum, & infamiæ notam abhorreat: pariterq́; ſi quiſpiam alius blandimentorum, ac deliciarum ſtudioſus eſt; is etiam incommoda, ac moleſtias cane pejus & angue deteſtatur: ut verè dicere poſſimus, amorem rei cujuſpiam libellam eſſe ad doloris ſeu triſtitiæ, ad ſpei, gaudij, delectationiſq́; quæ exoriri in animo poſſit, quantitatem perpendendam. Tolle amorem; & omnem ex animo affectionem eliſiſti, & tanquã præciſo fonte rivos exſiccaſti, planeque ἀπαθὺς effectus es: quod enim eſt in navi gubernaculum, quod radix in planta, quod ſol in orbe, quod Rex in ſolio, & pene dixerim quod Deus in cælo eſt, *Dans omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia:* Hoc ipſum eſt Amor in corde, ſine cujus nutu nihil omnino ſe commovere poteſt. Norma omniũ paſſionum eſt amor. Cumq́; hæc perquam manifeſta ſint, nullaque indigeant noſtrâ, vel alterius aſſertione; non eſt opus in hoc quicquam immorari. Hoc ſolum peto dari mihi, nullam matrum omnium tãto erga filium ſuum exarſiſſe amore, quanto amoris incendio flagravit MARIA: neque enim fæminarum ulla tot amandæ prolis cauſas unquam habuit, atque illa, quæ filium habuit talem, in quo omnes benevolentiæ tituli, ac nomina reperirentur; ut fateri neceſſe ſit, ſic MARIAM dilexiſſe, ut amplior excogitari à nobis non poſſit

Auguſtinus in Pſ. 123. c. 8.

Actorum 17

Digitized by Google

poſſit amoris vis, aut dilectionis pondus. Si matrem dicam: omnem amoris anſam arripuiſſe videbor; ſed non tota dilectionis ratio in eo reſidet. Mater quidem erat, ſed ita ut abſq; viri conſvetudine conceperit, ita ut fætus totus fuerit MARIÆ, & idcirco magis unicus, propriuſq; Matri filius, & quod conſequens eſt ſimillimus, & ſimilitudo amoris cauſa eſt; nam quorum ijdem ſunt mores, & naturæ affectiones minimè diſpares, ſponte ſua inter eos conciliatur amor. Quòd ſi etiam plus amant Matres, quæ cæteroquin viros habent, quàm Patres, propterea quòd ad gignendos, educandoſque liberos plus opis & laboris conferant; tantò magis illa dilexit, quæ ſine conſortio viri ſola genuit: Ad quam ſingulariſſimam prærogativam cum accedat etiam major neceſſitudo ſangvinis, & morum æqualitas, & quod caput eſt, virtutis veræ & abſolutæ quædam arctiſſimaque Societas; perfectiſſima intercedebat inter JESVM, & MARIAM amicitia. Nec attinebat hunc amorem reſtingi inter eos, atque intra quoſdam veluti cancellos coarctari, ne nimiùm efferueret, uti conſultò faciendum inter cæteros genitores & filios eſt, ne videlicet vehementia amoris adverſus hominem, avocet ab amore Dei, vel ipſum imminuat: Sed licebat, & nunc licet amorem Virginis erga filium ſuum laxiſſimè ferri; quod etſi Matris eſſet erga filium, is tamen eſſet Deus, *Cujus amandi modus eſt, amare ſine modo.* Addamus his ſanè vehementibus ad amandum illicijs, hoc eſt, quod Mater eſſet, quodq; citra viri conſvetudinem concepiſſet Deum & hominem; addamus, inquam, MARIÆ genium, & naturæ

Ariſtoteles 7. moral. Eud. c. 1.

S. Bernardus ſerm. de dilgẽdo Deo

turæ

turæ propenſionem ejuſcemodi fuiſſe, ut etiam ad extraneos & ignotos, omni benevolentiâ proſequẽdos ferretur: & facilè intelligemus dilectionẽ ejus, erga filium fuiſſe planè incredibilem. Quomodo enim nõ exarſit ad eam cogitationem charitas, quòd non filius modò ſuus eſſet, ſed Deus ſuus & creator? quodq; ſingulariſſimum eſt, quòd vnicè ab eo amata fuiſſet, utpote ab eo electa in Matrem, totq; prærogativis ſuper omnes homines evecta? Quid dicã? tametſi enim major amoris cauſa in Chriſto eſſe non potuit, quàm quod is eſſet Deus & filius; eam tamẽ amoris flammam augere potuit, quòd non modò filius, ſed is ipſe pulcherrimus eſſet; enimvero de
Pſalm. 44. Chriſto illud Pſalmi 44. *Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis*; interpretãtur Auguſtinus, Caſſiodorus, Ambroſius, Hieronymus: & cum hinc quidem valde amabilis eſſet, erat ipſe nihilominus Matri obſequentiſſimus, ſi non errore lapſus eſt Evangeliſta Lucas, cum dixit: *Et erat ſubditus illis?* hic ipſe (nequid ad amoris incẽdium deſit) diu multumque concupitus fuerat à Patriarchis & Prophetis, eaque de cauſa dictus eſt Chriſtus *Deſiderium collium æternonum*; & ab ipſa Virgine enixiſſimè deſideratus: quæ res quantum valeat ad amoris ignem ſtimulandum, explicare pro dignitate poteſt nemo. Nec intermittam etiam iſtud commiſci, quòd is, qui filius, qui ſpecioſus, qui diu expetitus, qui ad omnem Matris nutum ſedulus, qui eidem ſimillmus qui vnicus: is ipſe eſſet *Hæres univerſorum*, ut S. Paulus ait; neque ignorabat id MARIA, quippe per Angelum annunciatum ei fuerat fore, ut is filius *Regnaret in*

Lucæ 2. — Gen. 49. — Ad Hebr. 1.

ret in Domo Iacob in æternum. Cum igitur omnis amoris causa ex Matre & filio extaret, æstimemus, si possimus dolorem, mæstitiamq; Matris ob ea, quæ accidere oportebat tristissima, Matriq; luctuosissima: Vti enim S. Augustinus ait, *Ex earum personarum amissione, quæ nobis necessitudine aliqua sunt cōjuncta, tantum necesse est vrat dolor, quantum hæserat amor.* *Augustinus l. 21. de ciuitate c. 26*

§. II.

Quòd MARIÆ dolor de filio suo diuturnus, ac assiduus fuerit.

PRæterquam quòd Virgo prudentissima, jam tum animo præceperat, filij sui mortem atrocissimam; cum indictum est illi, ut eum cognominaret JESVM: ad hoc etiam ex ore Simeonis denunciationem accepit illam: *Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum; & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam, doloris pertransibit gladius.* Nec sanè unquam excidit oraculum istud ex animo MARIÆ, quæ *Conservabat omnia verba hæc in corde suo:* nunquam excidit, sed hærebat impressum animo, & assiduo doloris sensu discruciabat; multoq; magis, quàm si perpetuò impacta in ejus latus sudes, aut confixa aculeis, & spinis terebrata ejus caro fuisset. Vim addebat dolori amor, ut quoniam is amabatur, is in oculis & manibus ferebatur, eratq; instar omnium; etiam tantò acutior fiebat dolor ex recordatione eorum, quæ superventura in eum erāt *Lucæ 1. Lucæ 2.*

 mala.

mala. Vt ſi habeas domum elegantiſſimam, omni ſupellectile, & vaſe precioſo ornatiſſimam, eamque aut ab inſtanti incendio, vel ab hoſtium impetu eripere non valeas: amor tuus, quo ad illam valde afficeris, ipſe eſt tortor tuus, & lanienam exercet in te amor tuus. Nulla profectò res erat, aut eſſe poterat delitioſior, amabiliorq; Virgini, quàm fœtus uteri ſui, qui & Deus erat, & plenus gratia, & veritate, proficiebatq; apud Deum & homines. Is ergo, & talis filius, & chariſſimus, cùm ob oculos Matris aſſiduè verſaretur, vnaque obverſarent animo tormenta, & mors ſæviſſima, quam ſubiturus erat; quem MARIÆ animi angorem fuiſſe arbitremur? Sunt qui populari quâdam trutinâ, & non ad pondus Sãctuarij B. Virginis vitam metiantur, quaſi videlicet illa, è filij aſpectu, mira & incredibili quadam animi voluptate aſſiduè perfunderetur: atq; ita quidem ſuſpicari poſſemus, ſi inducere in animum poſſemus, Simeonis denunciationem traditam ab ea oblivioni fuiſſe; nihilq; penſi habuiſſe, quâ de cauſa adveniſſet filius ſuus in hunc Mundum, factuſque fuerit homo; ſed ſolùm hæſiſſe in cogitatione excellentiæ filij ſui, ſuæque proinde felicitatis, quòd ejus eſſet filij Mater à Deo electa. Hoc ſcilicet agunt ſuimet amãtes; qui cogitationem abducunt ab omni eo, quod lædere animum, aut exulcerare poteſt, & ad id ſolũ evigilant, quod recreare, beneq; afficere ſolet. At cum MARIA Chriſtum aſpiciebat (aſpiciebat autem aſſiduè) conſiderabat eum velut victimam immanibus olim ſupplicijs deſtinatam, perq; iñumeros cruciatus, atq; opprobria ad mortem ignominioſiſſimã

Levit. 5.

præpa-

Digitized by Google

præparatam à Deo pro generis humani salute, jamque sibi videre videbatur MARIA transfixas manus ac pedes, corpus verò vibicibus lividum, tempora spinis transverberata: quare si necesse est amorem Virginis Matris erga filium fateri fuisse ardentissimum; illo nihilo minus acerbum dolorem ejus habemus dicere. Et videri mihi solet cor Virginis instar incudis fuisse, quæ sine intermissione alternis ictibus flagellata fuerit ab amore, & dolore. Nam etsi amor amarus non sit, sternebat tamen viam dolori, ut præ istius magnitudine, qui ex amore affatim cõsequebatur, jam formidandus fuerit amor: sed quia non poterat Mater non amare filium, etiam non poterat non dolere, & individuus amori comes erat dolor. Et verò quòd Dei genitrix MARIA in ijs meditandis assidua esset, quæ animam ejus sauciabāt, testis est S. Brigitta, quæ sic ait: *Melius quàm Propheta præscivit filij sui passionem; ideo eum lactans cogitabat quòd felle & aceto esset potandus in cruce; quando eum manibus gestabat, videbatur illi, quòd crucis brachijs esset confixus; quando dormiebat, cogitabat mortuum ex cruce depositum; quando osculabatur, Iudæ osculum cogitabat; quando manu ducebat, ducendum ad tribunalia, ut impijs judicibus sisteretur.* Cumque hæc assiduè animo suo pertractaret, atque ex ijs angeretur, erant tamē præter ea, non pauca, quæ dolorem stimulabant, ut esset indies acerbior. Nam præterquā quòd ipse quotidianus ad funestissimum filij obitum accessus, augmenta doloris secum trahebat; fiebat tamen non raro, ut sacrificiorum, earumq; cærimoniarum spectatrix esset, quas optimè callebat esse necis ac mortis filij

Cap. 16. & 17. in serm. Angelico.

 tis filij

Digitized by Google

tis filij ſui paradigmata. Lachrymas vix tenemus cū exhibentur nobis in theatris interitus eorum, & orbitates, qui nulla nobiſcum affinitate, præterquam naturæ coñunis cõjunctione ſociantur, & ſæpe ſunt hæc duntaxat affabre conficta ad luctum ciendum, & ad animorum motus provocãdos; & tamen quoniam vel ipſa rerum ejuſcemodi luctuoſa eſt imago, emollimur ad fletum. Quid ergo animi putemus fuiſſe MARIÆ, cum non inanis fabulæ ſpectaculum contemplaretur, ſed veluti hiſtoriam, veriſſimamq́; narrationem impendentis filio ſuo necis, tanquam in ſcena agi proſpectaret? *Et ibant* (inquit Evange-

Luca 2. liſta Luc. 2.) *parentes ejus per omnes annos in Ieruſalem in die ſolenni Paſcha.* Et quale ibi ſpectaculum MARIÆ proponebatur, cum manſvetiſſimum agnum, nihilq́; repugnãtem jugulari videret, torreri, & comedi? Velimuſne MARIAM habuiſſe oculos, quales erant hominum gregariorum, ut non ad alia conſideranda, ſed ſolùm ad id, quod ea actio præſeferebat tenderentur? proſpiciebat jam tum quid ea portenderent, & ad quid ſignificandum inſtituta olim à Deo fuiſſent; & vna ad filium ſuum, quem ſecum Jeruſalem adducebat, oculos reflectebat, vehementerque ex collatione agni occiſi, & occidendi increbreſcebat dolor. Non deerant aliæ multæ ab Judæis vſurpatæ ceremoniæ, quæ lautiſſimam vocem edebant in aures Virginis hanc: *Filius tuus, is quem diligis IESVS occidetur.* Fuit quidem Abrahami intimus animi dolor, quando accinctus gladio aſcendebat

Geneſ. 22. montem, (Geneſ. 22.) ſecum habens filium ſuum Iſaac, ut eum juſſu Dei immolaret, & cæſum etiam

flamma

flamma in cineres redigeret: at diuturnior triduo hic Abrahæ dolor non fuit. MARIA montem hunc triginta, eoque pluribus annis conſcendit, & quò ejus faſtigio magis appropinquabat, eò etiam magis gliſcebat intus dolor. Hic erat faſciculus myrrhæ, de quo dicebat ipſa in Canticis: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur;* hoc eſt Cantic. 1. ſine ceſſatione hærebit mihi in pectore recordatio crucis, clavorum, verberum, ſputorum, ſpineæ coronæ, alaparum, atque ludibriorum, è quibus faſciculus myrrhæ, id eſt acerbiſſima memoria conficitur. Nos quidem non ſolùm refugimus acerba ſuſtinere, ſed etiam ipſos Chriſti cruciatus animo volutare; & ſi aliquando ad horam, non tamen inſiſtimus, ſed delectat magis à lugubribus mentem avocare ad lætiora; quare non commoratur apud nos faſciculus myrrhæ, ſicut apud MARIAM. Cæterùm ipſa ſapienter rationem reddit illius aſſiduæ ſuæ memoriæ ait enim: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi:* quaſi dicat; tota ratio, ob quam faſciculus myrrhæ apud me commoretur, eſt ipſe dilectus; nam quoniam non queo non diligere dilectum meum, ita obliviſci eorum, quæ ſuſtinuit nullo modo poſſum. Et quemadmodum ſemper in amore perſtitit, hoc eſt etiam poſtquam filius redivivus ad cælos aſcenderat; ita non deſtitit MARIA verſare in animo tormenta filij ſui: uti namque apud S. Brigittam videre eſt, ipſa refert de ſe in hæc verba: *Omni tempore,* L. 6. revel. c. 61. *quod poſt aſcenſionem filij mei vixi, viſitavi loca, in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit; ſic quoque paſſio ſua in corde meo fixa erat, quòd ſive comedebam, ſive laborabam,*

rabam, quasi recens erat in memoria mea. Cum ergo ad acerbitatem doloris, è tot causis, quas attulimus emergentis; accedat ejusdem diuturnitas; statuendum id est, quod S. Bernardus de lamentatione Virginis scribens edixit: non posse videlicet narrari, aut animo concipi dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum dolere potuit de tali filio talis Mater.

S. Bernardus de lamentatione Virginis.

§. III.

Quod MARIÆ dolor purus fuerit, atque ex alijs etiam causis (præterquam ex Christi passione,) progenitus.

HAbent reliqui hominum, qui ob imminens, & præsens aliquod malum in luctu versantur sæpe multa, quæ levare aut minuere dolorẽ possunt; & inprimis ea ipsa est, quæ nulli, quamdiu vita superest, vnquam eripitur evadẽdi spes: & hinc quidem solatium aliquod admittere Virgo non poterat, quòd Dei decreto statutum non ignoraret, ut filius suus pro genere humano mortem oppeteret, & tale genus mortis, quod esset cum summa ignominia, acerrimoq; doloris sensu subeundum. Aliorum quoque non vna quapiam in re amor omnis positus est; quippe cum ab amicis discesserint, in dignitate sua aut opibus, vel in sensuum oblectamentis conquiescunt: MARIÆ omnia in vno JESV posita erant; hunc diligebat vnicè; & quidquid amabat, præter

præter eum, propter eum amabat; cumque hunc amorem ſuum, & vnicum ſolatium atrocia manerent tormenta, & probroſa per crucem mors exantlãda; nullus omnino alicui conſolationi reliquus locus erat, ſed anima ejus tota erat in amaritudine: quod multò ante, quàm eveniret, præſignificatum atque prædictum ab Hieremia videtur, dicente cap. 3. *Rachel plorans filios ſuos & noluit conſolari, quia non ſunt:* Ratio tota cur admittere conſolationem non velim, eſt quia adimendus eſt mihi is, quem ſolum diligo; ſi non adeſt ille, vnde ſuggeri mihi ſolamen poteſt? Ecquam enim Matri de orbitate ſua triſtanti, quam eminus prævidebat, tanquam fluctum feri maris adventantem, & ſubterfugere non valebat, quam ſubminiſtrabimus animi relaxationem? Omnia cum illo mihi eripiuntur ait illa, & de quo jam mihi, doloriúe meo medicinam facietis? admittere ſolatium non poſſum, quæ vnicum diligo filium meum, & dominum. Vt verè uſurpare poſſimus hic illa Hieremiæ verba Thren. cap. 2. & ſic alloqui MARIAM: *Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te, filia Hieruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te Virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua, quis medebitur tibi?* Et ut magnitudinem doloris, quòd nulla ex parte leniri poſſit videamus, conſiderandum iſtud eſt: dolorem MARIÆ de morte filio ſuo inferendâ, non fuiſſe cæterarum mulierum dolori ſimilem; erat enim hic defæcatior multoq; ſublimior; neque enim duntaxat de morte hominis diſcruciabatur, ut ſolent Matres, ſed vnà de probro & contumelia Deo irroganda; quod ſanè valebat plurimum ad dilaniandum doloris

Hieremias cap. 3.

Hieremias Thren. c. 2.

Digitized by Google

doloris acerbitate MARIÆ pectus. Ergo ut taceam proprij corporis afflictationem; nam ut S. Gregorius Turonenſis in libello de ſalutatione Angelica, refert ſe divino oraculo monitum didiciſſe: Deiparam ex quo templum ingreſſa eſt, ſine cilicio (inſtar arcæ teſtamenti) beatam illam carnem pungente vixiſſe nunquam, & ſomnum ſuper nuda humo, vel duris tabulis, ſine culcitra captum ab ea fuiſſe; ut præteream incommoda paupertatis, peregrinationis, commorationis in Ægypto; ut nihil dicam de tædio ex convictu, & conſvetudine eorum, qui alieni erant ab ejus Sanctitate, vitaq; religioſiſſima: offenſam filij ſui, & Dei graviſſimè ferebat, vehementiſſimeq; execrabatur; cumq; repellere, & impendire non poſſet diſcruciabatur. Etenim ſi David ſuam inter feros, ac barbaros homines, atq; à veri Dei cultu alienos peregrinationem deplorans, ajebat pſal. 119. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea:* Cedar tenebræ ſunt; habitavi igitur, inquit, cum ruſticis, qui degunt in caſis nigris, ſive cum ijs, qui ob ignorationem veri Dei *Sedent in tenebris & umbra mortis*. Si Paulus, qui tantùm à Dei genitricis Zelo diſtabat, ita tamen pro Deo æmulabatur, ut quod Actor. 17. habetur, *Incitaretur Spiritus ejus in ipſo, cum videret idololatriæ deditam civitatem.* Si fuit hic ipſe ſenſus Chriſti, qui lamentabatur, & dicebat, Marci 6. *Quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* quo nimirum oſtēdebat ſe moleſtè ferre pertinacem incredulitatem, quòd editis tot miraculis, necdum ei crederent homines. Quomodo æſtuaſſe cor MARIÆ cre-

Gregorius Turonenſis.

Pſalm. 119.

Actor. 17.

Marci 9.

Digitized by Google

RIÆ credemus, cum abominationes illas adorari videret ab Ægyptijs, Anubim, Serpentem, Crocodillos, allium, cepas? non enim metiri debemus dolorem Virginis ex tenuitate Zeli noſtri, & æmulationis pro honore Dei; aſſequi cæteroquin non poterimus vel centeſinam ejus mæroris partem, quo cõflictabatur cor ejus, aſpicientis creaturam rationalem à Deo ſuo averſam; Diabolo, qui creatori infenſiſſimus eſt, immolare hoſtias, & ſacrificia. Ingens habet calcar Zelus honoris Dei, & tabefacit animam ejus, qui conculcari eum videt, & impedire non valet; ut meritò de ſponſa, hoc eſt, de hac Virgine Cantic. 4. dictum ſit: *Capilli tui ſicut greges caprarum*; id eſt, cogitationes B. Virginis amaræ inſtar eorum ſcilicet, *Qui circumjerunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati.* Niſi fortè MARIAM minus amantem æquitatis, ac Sanctimoniæ cogitatione noſtrâ effingamus, quàm fuerit conſobrinus Abrahæ Loth, de quo S. Petrus ait, *Quòd habitaret apud eos, qui de die indiem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.* Cum igitur B. Virgo in nulla re alia conquieſcere poſſet, quàm in filio, & Deo ſuo inſtar columbæ, quæ in fæculento pedem non ponit; attamen ex nullo magis, quàm ex filio ſuo diverberabatur, cùm ob injurias, quas irrogari Deo videbat, tùm ob certiſſimam illam fidem, quam habebat de morte ipſius, ut verè dicere potuerit: *Improperium expectavit cor meum & miſeriam:* Quis autem neſcit, qui expertus aliquando aliquid ſimile fuerit, quantam contineat res illa vexationem, hoc eſt habere quaſi perpetuò cervicem ad ictum gladij excipiendũ porrectam,

Cantic. 4.

Rupertus l. 3. in Cant.

2. Petri 2.

Gen. 8.

Pſalm. 68.

rectam, aut imminentem capiti gladium, cujus periculo omnes etiam cupediæ amareſcant, vel habere divaricatum pectus ad ferrum, intra cor ipſum jam jamq; recipiendum? Neque hæc fingimus, aut ingenioſè componimus de MARIA; cum dixerit illi in Spiritu Simeon: *Et tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* Nihil igitur attinet exempla quærere, ſimilia adducere. Oraculum Dei fuit illud: *Et tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* Hunc gladiũ expectabat MARIA, *& longum in cogitationibus* (ut ait idem Rupertus,) *præſcia futuræ paſſionis filij ſui pertulit martyrium.* O verè igitur mulierẽ fortem MARIAM, quæ tam vehementi & diuturno cruciatui non ſuccubuit? Hæc eſt illa Noëmi, *quam amaritudine Dominus replevit*; hæc eſt, quæ myrrham redolet, & gratiſſimum odorem ſpirat patientiæ, & manſvetudinis in adverſis.

Lucæ 2.

Rupertus

Ruth 1.

§. IV.

Ob quam cauſam Deus chariſſimam Matrem ſuam tam gravia pati permiſerit, ut etiam ſpectaculo crucis filij ſui interfuerit.

VIdeamus nũc antequam Sol occidat MARIÆ; hoc eſt emoriatur ei filius ſuus, non inter ſua, ſed crucis brachia; videamus, inquam, qua de cauſa Deus Virginis cor, innocentiſſimamque omnium fæminam, tam gravibus & diuturnis doloribus atteri, cõſumiq; permiſerit. Sunt quidem hujus rei

Digitized by Google

jus rei causæ non paucæ, ac gravissimæ, eaque inprimis, ut nobis esset exemplo; neúe aliquando justi inter ærumnas abjectos à Deo se esse arbitrarentur; cum Dei Matrem sic afflictam scirent; præterea ut meritis redundaret, sepositisq; expiationibus, quæ cum ipsi non essent usui, præstò esset ad offerendas eas Deo pro suis clientibus eripiendis à pæna, quam ob delicta sua cæteroquin luere deberent. Vt sanè ex tot causis, ob quas congruum erat MARIAM degere vitam sanè luctuosiissimam, facilè conjecturam facere valeamus de doloris immensitate, qui absorbere eam potuerit. Atque inter omnes eminet illa, videlicet ob ipsam patientiæ laudem ac excellētiam. Nam si præclarum MARIÆ fuit Dei Matrem esse, & unà Virginem ac fæcundam, alijsq; innumeris donis ac gratijs decoratam; ijs non multò minor censeri debet æquitas animi in adversis, difficilibusq; casibus constantia. Paulus quidem certè patientiam miraculis annumerat. *Signa*, inquit 2. ad Corinth 2. *Apostolatus mei facta sunt inter vos, in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus*. Viden' quomodo patientiam præfert ipsis virtutibus, id est miraculis, & prodigijs, hoc est factis valde admirabilibus? quid quòd Christus cum Ananiæ aperuisset electum à se Saulum ad Apostolatum, quæ suprema est in Ecclesia dignitas; ejusdem maximiq; gradus insigne adjecit illud. Actor. 9. *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum, pro nomine meo pati: Vas igitur electionis est mihi Paulus, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël:* quasi dicat Christus; sed visne scire, ò Anania, qui oppidò mihi simplex videris, vis

2. ad Cor. 12.

Actor. 9.

Digitized by Google

inquam ſcire, in quo poſita ſit hæc res? Sita in eo eſt ut quis pro gloria mea propagandâ quam plurima patiatur: neque enim aliam rationem, ſeu cauſam, reddidit Chriſtus, vel teſtimonium exhibuit ad probandum, quòd Saul electus in Apoſtolũ eſſet, quàm quòd is eſſet, non pauca perpeſſurus. Quòd ſi igitur maxima præcipuaque dignitas, hoc eſt Apoſtolica; patientiæ laude carere non debuit; nec eam, quæ longè major eſt excellentia, hoc eſt Dei Maternitatem, à tanta deſtitui gloria oportuit; quò etiam tantò eſſet filio ſuo ſimilior, id quod favoris benevolentiæq; ſummæ loco habetur, cum quis cõditione ſuâ ad Principis ſtatum, ac naturã accedit; & verò *Hæc*
1. Petri 2. *eſt gratia* (Apoſtolorum inquit Coriphæus Petrus) *ſi quis propter Dei cõſcientiam ſuſtineat triſtitias patiens injuſtè*. Sed dimittamus hæc, & vim ipſam Patientiæ perpendamus; nam cæteræ quidem virtutes, ſi cum tolerantia conjunctæ non ſint, hoc eſt cum perpeſſione animi ſuſtinentis ſe ſe, hoc ipſo minori ſunt cōmendatione dignæ; nam quod difficile non eſt, vix haberi poteſt præclarum.: Pati, quid aliud eſt, quàm deſciſcere à ſeipſo, & quod adeo naturæ contrarium eſt, ſua non agere, non ſervire ſibi. Hoc igitur agit Patientia, dum quiſquis verè patiens dimittit ſe ſe, quodq; vix fieri poſſe videtur, abijcit curam ſui, cedens & non repugnans malis obſiſtentibus, nõ animi imbecillitate, ſed amore dilecti, qui dixit: *In*
Iacobi 1. *patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Quare veriſſimè dictum eſt: *Patientia opus perfectum habet*; ut veriſimile mihi ſit, vel eo uno maximè ſubodoratũ fuiſſe Dæmonem, per Patientiam Chriſti, quam in oppro-

opprobrijs contumelijſq; ſuis, palam oſtentabat, regnum ſuum eſſe evertendum; atque idcirco immiſſis vxori Pilati ſomnijs, & viſis moleſtis, revocare conatus ſit Præſidem ab inferenda ei nece, & voluerit ei vitam relinquere, cui patientiam, animiq; fortitudinem eripere non poſſet. Patientia Chriſti detexit Principibus hujus ſæculi myſterium, quod abſconditum fuit à ſæculis: *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita fortitudo ejus*: id eſt Chriſtus inter brachia crucis fortiter agit, & peſſundat regnum Sathanæ: cumq; hoc ignoret (*Si enim cognoviſſet, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſet*, 1. ad Corinth. 2.) ex admiranda Chriſti Patientia ſentire cæpit imminentem ſibi ruinam: ea eſt Patientiæ excellentia, ut ſingulariter Chriſti divinitatem, & quòd is eſſet promiſſus in lege Meſſias, facilè detexerit præ cæteris Chriſti virtutibus, & illuſtriſſimis operibus. Cæterùm non eſt hujus loci, ut de Patientiæ laudibus diſſeramus; attingere hæc paucula ſatis fuerit, ut perſpectâ aliquatenus ejus excellentiâ; unà intelligamus quid cauſæ fuerit, ob quam Chriſtus chariſſimæ ſuæ genitricis cor, velut in aſſiduis natare mæroribus, diſcruciariq; paſſus ſit; quod ipſum ad eam cohoneſtandam, quod Mater eſſet, ſpectaviſſe oſtendimus, cum ſupra de Maternitate Virginis diceremus. Si enim duobus amiciſſimis ſuis, Sanctis, inquam, Franciſco, & Catharinæ Senenſi, author fuit ad fugienda dulcia, quaſi eſſent amara, & ut inhiarent ad acerba quaſi dulciſſima forent, & B Aloyſius dum ſenſim hauſit potionem amaram, facto expreſſit, conſilium Chriſti. Si etiam Tobiæ Seniori per Angelum nunciavit,

Canticum Habacuc.

1. ad Cor. 2.

Lepoleus in Vita Sanctæ Catharinæ.

ciavit, in eam formam: *Quia placita erat anima tua Deo, oportuit ut tentatio probaret te.* Si denique Sãctiſſimi quique, Deoq; chariſſimi multis in hac vita calamitatibus, ærumniſq; perfuncti. Si clangit Paulina tuba, & omnium auribus inſonat illam vocem: *Omnes, qui volunt piè vivere, in Chriſto IESV, perſecutionem patientur.* Non debuit idem Deus Matrem ſuam immunem ſinere à doloribus, atque adeo laude Patientiæ deſtitutam. *Hæc eſt enim gratia, non tantum ut in illum credamus, ſed etiam ut pro illo patiamur:* Hæc gratia ſuperabundavit in illa, quæ gratia plena fuit, & qua nemo magis communicavit Chriſti paſſionibus. Tametſi verò quàm graves fuerint B. Virginis animi cruciatus, ratiocinando, velutiq; conjecturis aſſequamur: idipſum tamen magis exquiſitè intelligemus, ſi Matrem mortis filij ſui atrociſſimæ ſpectatricem cõſtituamus. Vt igitur dimittamus inſidias, quas SS. Virgo intelligebat ſtrui à Judæis filio ſuo; ut nihil dicamus de calumnijs; nihil de comprehenſione Chriſti, & vinculis, nihil de ſputis, ſannis, verberibuſque quorum crepitus vſque ad aures Matris perferebantur; nam quoad poterat filio adeſſe, aut non procul abeſſe ſatagebat; ut taceamus de ſpinea corona; & miſſam etiam faciamus Judæorum vociferationem expoſcentium Chriſtum ad necem, ac crucem; ut etiam ſupprimamus ferale illud nunciũ & ſignum lotionis manuum, quo Pilatus ſe ſe ad ferendam mortis ſententiam accinxit; nihilq; attingamus ipſam condemnationem, aut illum temporis articulum, quo Chriſtus è prætorio Pilati trabe onuſtus, & præ languore, nimiaq; imbecillitate titubans,

Virgilius Ceparius l. 2. cap. 30.

1. Petri 2.

Digitized by Google

tubans, & sub pondere fatiscens extulit se se; taceamus etiam de concursu facto, cumprimum super lignum crucis destratus est; dissimulemus audire nos ictus clavorum repetitos ad transfigendas manus & pedes Christi; qui cum jam sudore sangvineo, insomnia, vexatione, adductione ad varia tribunalia, diverberatione, ascensu ipso in montem Calvariæ imbecillimus esset, & morti proximus; attamē tunc in cruce confixus est, cum res postulabat, ut in culcitra mollissima, ad aliquam corporis afflictissimi recreationē, collocaretur. His igitur omnibus transmissis, cum jam attolleretur crucis lignum, è quo pendebat Christus; neque enim evitare possumus; statuamus Matrem coram eo dirissimo spectaculo; intendamusq; oculos nostros in oculos Mariæ videntis & suspicientis Christum, id quod expetierant Judæi, in cruce sublatum, sangvine manantem, & præ angustia anhelantem; denique cōsiderantis ingenti cordis ejulatu, & horrore immenso funestum miserandumque spectaculum. Verba, fateor, mihi jam non suppetunt, ut dolorem excarnificantem viscera Virginis explicem. Hic hic est gladius, de quo dixerat Simeon, quia pertransibit animam Mariæ. Verbis quidem ad rem satis accommodatis dolor Oniæ Sacerdotis descriptus est, quem hauriebat, cum videret per Heliodorum, vim rebus sacris inferri, & deposita viduarum diripi è sacrario, ut quantus is esset, intelligere possent, qui Oniam intuebantur; sic enim Machab. 2. cap. 3. refertur: *Iam verò qui videbat summi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur, facies enim, & color immutatus, declarabat internum animi dolorem,* Machab. 2. cap. 3.

Digitized by Google

dolorem, circumfuſa enim erat mæſtitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifeſtus aſpicientibus, dolor cordis ejus efficiebatur. At mihi quidem facultas tanta non eſt, ut Virginis vultum mæſtitia pleniſſimum deſcribere valeam. Si enim Oniæ Sacerdotis dolor fuit adeo vehemens, cum ſacris injuriam irrogari, & diripi depoſita viduarum videret: quis MARIÆ angorem æſtimare poterit ſatis, cum Sanctum manibus carnificum violari cerneret, ſuique verè viduæ chariſſimum pignus, totumq; ſolatium penitus perfundari, ac diſtrahi? Verùm cur, ô mæſtiſſima Virgo non avertebas oculos tuos à tam atroci & diro ſpectaculo; cum ex eo adeo funeſtè crudeliterq; diverberarêre? Agar illa quidem certè, etſi fera & barbara eſſet, attamen cum Iſmahelem filium ſuum moriturum putaret, receſſit ab eo dicens: *Non video morientem puerum.* Cum igitur ô Domina mea,
Gen.21.v.16
multò magis, ac mulier hæc, aut quæcunque alia, geras viſcera pietate plena; quin abſcedebas, & cōvertebas alio oculos, ne lanienam filij tui diutius intuerêre? Videor mihi audire reſpondentē MARIAM: *Non ſinit me mea, erga filium meum miſeratio defigere aliò oculos; huc vocor, hic tota inhærebo, & hauriam calicem per oculos, quem mihi filius meus propinat.* Notum iſtud eſt, magnam eſſe oculorum illecebram ad videndas novas ac miras rerum ſpecies: at non minor profectò eſt cruciatus eorum, cum videre coguntur horribilia quædam, ac funeſta; quam obrem, uti Oſeæ
Oſeæ 10.
10. habetur, ne videant reprobi homines iratum Judicem, clamant, optantque, ut à montibus & collibus obruantur; *Cadite*, inquiunt, *montes ſuper nos, & colles*

colles operite nos. Quòd ſi etiam verum eſt, quod de Machabæorum Matre S. Cyprianus ait; *Eam videlicet tam grande martyrium Deo præbuiſſe virtute oculorũ ſuorum, quàm præbuerint ejus filij tormentis, & paſſione membrorũ:* de Matre Chriſti MARIA nihil poſſumus minus affirmare. Etenim ſi ij, quibus tantum neceſſitudinis vinculum cum Chriſto non intercedebat, ac MARIÆ; id eſt, Abraham, Iſaac, Jacob, David, vel crucifixum Dominum odorati, ita mærebant, ut legere eſt apud S.Brigittam lib. 9. cap. 11. ut maluiſſent æternis apud inferos mactari ſupplicijs, quàm ejuſmodi cruciatus in Domino intueri: quid de Matre fas erit ſuſpicari, cum non modò in figurarum umbris vel idæis, ſed reipſa ante oculos ejus, filius crucifigeretur! Inducamus ergo velum ſilentij ſuper faciem Virginis, quoniam doloris illius aculeum nulla valet deſcribere oratio ſatis: neque enim duntaxat MARIA eum in cruciatibus ſummis eſſe videbat, quem vnicè ſincereq; diligebat; ſed emori ſibi eum, cum quo præter intimam ſangvinis cognationem, aſſiduè vixerat, intercurrentibus vtrinq; maximis amoris, & reverentiæ indicijs; ut ſi etiam non fuiſſet ejus filius, ſi non Deus ſuus, ſi non amabiliſſimus præ filijs hominum, ſi non mitiſſimus & obedientiſſimus, ea tamen ſola tot annorum, ſub eodem tecto, conſvetudo, & mutuus amor vim habebant maximam ad intimè exulcerandum cor MARIÆ? Sed quid dicam, cum agentem animam vidit, ſeq; deſtitui ab eo, quem præ omnibus diligebat? Hic agonia fuit MARIÆ, hic bifidus Simeonis gladius, pertingens vſque ad diviſionem animæ, hic omnium

S. Cypr. de ex ſort. martyrum c. 11.

S. Birgitta l. 9. cap. 11.

oſſium ac medullarũ labefactatio, hîc toto corpore contremuit, & poſt Chriſti dolorem, MARIÆ dolor nulli ſecundus. Recogitemus quorumcunque Martyrum cruciatus, tyrannorumq; carnificinas; nulla tamen acrior ulli unquam contigit, quàm MARIÆ: uti enim voluptas, quæ ex contemplatione percipitur, purior ac ſerenior eſt, quàm quæ per corpus, ita dolor animi dolores corporis longè excedit: nec ſolum id apertè fatetur S. Hieronymus, dum ſerm. de Aſſumpt. ait: *Quia mente paſſa eſt, plus quàm Martyr fuit*; ſed ad id oſtendendum rationes quoque ſuppetunt manifeſtæ. Vt namq; vltima cum primis cõnectamus, hoc eſt ut amoris vim, & præſtantiam ad omnem animi affectionem concitandam recogitemus: ſi nemo Martyrum ita propriam vitam dilexit, atque MARIA filium; facilis omnino eſt conjectura, utri doluerint magis, Martyreſne ex vitæ jactura, an MARIA ex morte filij. Quare S. Ambroſius homil. 5. de Virgine, affirmat eam magis afflictam, quàm ſi in ſuomet corpore paſſa fuiſſet; quoniam plus filium, quàm ſeipſam amabat: addit calculum ſuum S. Chryſoſtomus homil. 29. in geneſin, dum ait: *Gravius eſſe parentibus, videre filios ſupplicio affici, quàm ſi ipſi forent ijs obnoxij*; qua de cauſa factum putat, ut ad percellendum tantò magis animũ Cham, qui irriſor patris extiterat, ab ipſo patre Noë filius ejus Chanaan, & non ipſe Cham, diris devoveretur. Taceo charitatem in Martyribus in eum quandoque fervorem, Deo agente, exarſiſſe ut magnopere leniret dolorem; ut in Agatha, quæ tanquam ad epulas, ibat ad carcerem; in Marco & Marcellino, qui

S. Hierony. ſerm. de aſſumptione.

S. Ambroſius hom. 5. de Virgine.

S. Chriſoſtom. hom. 29. in Geneſin.

alligatis

alligatis ad ſtipitem, confixiſq; pedibus, dicebant: *Nunquam tam jucundè epulati ſumus*; non memini Tiburtij, qui prunas, ſuper quas gradi nudis plantis compellabatur, ajebat ſibi inſtar florum videri. Atqui MARIÆ cruciatus abſque ſtilla cõſolationis erat, unde enim admittere levamen ægritudinis poterat, quæ affligebatur ex jactura illius, præter quem nihil amabat? atque idcirco tam acerbus erat animi dolor, ut S. Bernardinus dicat; quòd ſi in omnes creaturas, quæ dolorem pati poſſunt, diviſus fuiſſet, omnes ſtatim interijſſent. Cur igitur non interijt MARIA? cum, ut ita dicam, is, quem aſſiduè geſtabat in pectore, iteratò veluti ex vtero ejus, ac membratim diſcerperetur? Et ſi Apoſtolorum dolor de nece Domini ſui, parturientium dolori à Chriſto collatus fuit; & verò non paucæ, inter enitendum, animo linquuntur, & præ doloris magnitudine emoriuntur; cur non extincta eſt MARIA? Certè S. Paulus de ſe fatetur; dolorem eò vſque ſuum proceſſiſſe, ut potuerit emori; ſic enim ſcribit 2. ad Corinth. 1. *Non volumus vos ignorare, fratres, de perſecutione, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus, ita, ut tæderet nos etiam vivere; ſed ipſi in nobis reſponſum mortis habuimus*; hoc eſt præ anxietate extinguendos nos eſſe putabamus. Cur ergo Mater ad crucis pedem prolapſa non occubuit? Sed quæramus etiam, cur Chriſtus inter verbera numero pene infinita, quæque imbecillimo corpore excipiebat, cur poſt tam diros cruciatus, cum inſuper manibus pedibuſq; transverberatus eſſet, quamprimum non expiravit? Cur vel in horto Gethſemani triſtitiæ

S. Bernardinus.

S. Paulus 2. ad Corin. 1.

magnitudine obrutus, non emarcuit? Illud igitur ipſum, quod mortem diſtulit Chriſto, hoc MARIÆ vitam prorogavit: Dei virtute effectum eſt, ut inter acerrimos licet animi angores, nobis ſuperſtes eſſet MARIA; ne ſi vnà cum Chriſto optimo Patre noſtro occubuiſſet, vtroque orbati præſidio, planè orphani deſtituti fuiſſent Apoſtoli. Amore noſtri perſtitit in vita aliquantiſper MARIA; quòd non eſſet minor illius charitas, quàm Pauli, qui ad Philipp. 1. dicebat: *Permanere autem in carne, neceſſarium propter vos; & hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum veſtrum, & gaudium fidei.* Quod nî fuiſſet, moriendum illi vtique fuiſſet: Sed ne geminatâ calamitate affligeretur Eccleſia; MARIA, teſte Amadeo, homil. 5. de B. Virgine, *Vicit ſexum, vicit hominem, & paſſa eſt ultra humanitatem.* Conferamus jam animi noſtri dolores cum B. Virginis mœroribus. Dolemus nos de rebus futilibus, inanibus, ludicris, puerilibus; quis enim jam paulò acriùs dolet de hæreſibus, de injurijs, quæ per tot flagitia Deo irrogantur ab ijs, *Qui ſangvinem teſtamenti pollutum ducunt, & crucifigunt iterum Chriſtum?* quis angitur ob bella inter principes Catholicos? ob Religioſorum tepiditatem? ob Chriſtianorum plerorumq; in divino obſequio ſocordiam? denique quis dolet tot animarũ interitum? animarum, inquam, quæ Chriſti ſangvine redemptæ fuerãt? Te igitur, ô verè Regina Martyrum, imploramus, rogamuſq; per tuos, tuiq; filij cruciatus, ut Patientiæ illius, & tuæ, in hac vita habere documenta, & poſtmodũ reſurrectionis cõſortia mereamur, per eundem D. N. JESVM Chriſtum, Amen.

S. Bernardinus t. 3. ſerm. 2. de glorioſo nomine a. 2. cap. 4.

S. Paulus ad Philipp. 1.

Amadeus

Ad Heb. 10.

CAPVT

CAPVT VI.

De Fide Beatæ Virginis MARIÆ.

§. 1. Firmiſſimâ ratione adſtruitur, MARIÆ fidem oportuiſſe eſſe maximam.

§. 2. Ex ipſarum rerum à B. Virgine creditarum obſcuritate ejuſdem fidei præſtantia demonſtratur.

§. 3. Ex occaſione dubij incidentis declaratur præſtantia fidei Marianæ circa idipſum, quod ab alijs fuit creditum, & modò creditur.

§. 4. Quòd MARIÆ fides fuerit etiam præcipua, ac ſingularis, ob firmitatem, quam loco, & tempore oſtendit.

§. 5. Quòd MARIÆ fides in eo etiam maximè enituerit, quòd pæne ſola in fide Chriſti permanſerit paſſionis tempore.

Procemium.

HVnc de Fide Virginis ſermonem, exordiri aliunde non placet, quàm ab ijs ipſis verbis, quæ Chriſtus pronunciavit, inque ipſo ad dicendum ingreſſu exclamare: *O mulier, magna eſt Fides tua?* ni malimus in eam, cum Eliſabetha vocem erumpere, & dicere: *Beata, quæ credidiſti.* Verum ſive intendamus vocem cum Chriſto, & Syropheniſſæ encomiũ, jure longè majori, vertamus in MARIAM, dicamuſq;: *O mulier, magna eſt Fides tua?* ſive magis placeat, non aliunde adſcita, ſed propriâ ipſi laude, efferre MARIÆ Fidem, atque Eliſabethæ congruere, ac di-

Matthæi 15.

Lucæ 1.

ac dicere: *Beata quæ credidisti*; minus semper exprimemus de Virtutis hujus excellentia, quamq; fuerit robusta, constansq; in credendo MARIA.

§. I.

Firmissimâ ratione adstruitur MARIÆ Fidem oportuisse esse maximam.

NIhil in MARIA mancum est, aut reperiri in ea aliquid potest distortum: quare si damus ipsi & inficias ire nemo potest, MARIAM in eminentissimo Sanctitatis gradu collocatã, ut ipsi etiam Angelis gratiæ donis, virtutibusque superexcellat; fateri etiam debemus; in ea tantam fuisse Fidem repertam, ut par ei nulla unquam extiterit, etsi quamplures à Fide laudatissimi inveniantur. quid enim? nonne principium, seu basis omnis Sãctitatis est Fides? eâque super construitur spiritale ædificium, omniq; lapide precioso, argento, & auro coædificatur? putatisne jam in ea, quam præparavit sibi altissimus habitationem, aliquid inelegans, minusq; aptè locatum reperiri posse? At verò absurda admodum partium constructio esset, si Puritati, si Patientiæ, si Prudentiæ, Humilitatique, summa quoque in credendo constantia non respõderet: ut necesse sit, qui fateatur Virginem nulli vitæ innocentiâ esse secundam, eum etiam affirmare omnibus illam integritate Fidei esse superiorem. Ferunt è vestigio Achillis ad Trojam deprehenso, totam ejus corporis molem,

Digitized by Google

molem, membrorumque omnium magnitudinem facilè fuiſſe perſpectam: etenim ſi juſtam corpus aſſecutum ſit proportionem, & partium inter ſe ſymetriam ſervet; (ne cæteroquin aliquid monſtri ſimile ſit) facile fuerit è cujuſque partis magnitudine reliquas omnes aptè deſcribere. Cum igitur confeſſione omnium MARIA Sanctiſſima ſit, & verè tanquam caſtrorum acies ordinata procedat; ne aliquid invenuſti admittamus in ea, quã ſingulariter Dei manus elaboravit; ipſum ejus Charitatis faſtigium atteſtatur baſi, quòd ea profundiſſima ſit; ſive virtutum reliquarum celſitudo, quanto nitantur Fidei fundamento, palam oſtendit. Et ſi verum præterea eſt Doctoris Angelici pronũciatum; viſionem, quæ ipſa eſt beatitudo; Fidei reſpondere, hoc eſt Fidei meritum in adhibendo rebus obſcuris aſſenſu; perſpicuitate videndi compenſari: Cum Virginis intellectus illo, quod ajũt, lumine gloriæ radiantiſſimus ſit (quis enim ad Deum intimè perſpiciendum perſpicacior eſt oculus, quàm MARIÆ, quâ nemo reipſa eſt beatior?) illud etiam eſſe in comperto debet, oppidò excellentem in adhibenda fide iis, quæ Deus loquebatur, fuiſſe MARIAM. Et quoniam origo Juſtitiæ, & meriti eſt Fides; cum nemo Juſtitia & meritis, adeoq; gloria cumulatior, quàm MARIA, Fidem ejus quoque maximam fuiſſe credendum eſt. Vt ſi videamus arborem proceritate altiſſimam, & viridantium foliorum, ac ramorum multitudine ſylveſcentem; nonne altiſſimas ejus radices, & pene in abyſſum demerſas ſuſpicabimur? ſic igitur cum MARIA agitur; nam cũ ſublimior eâ, in Eccleſiæ campo, nulla

1. p. q. 12. a. 7. ad 1.

po, nulla ſit planta, radices etiam Fidei egit profundiſſimas. Verum enim vero faceſſat omnis conjectura de virtutum choro, earumq; inter ſe tanquam gratiarum ſeu Charitum, complexu, habemus enim ad hoc oſtendendum, hoc eſt non fuiſſe inferiorem dignitate Fidem in Virgine, quàm vel Religio, vel Charitas fuerit. Eccleſiæ ipſius teſtimonium; cujus enim ea vox eſt? nonne Sapientiæ? ni malimus dicere MARIÆ? id enim Eccleſia MARIÆ elogium attribuit, ac ſi ipſa dicat: *Ego Mater pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis, & Sanctæ ſpei.* Notum quippe eſt, eos earum rerum, dici ſolere progenitores, ac patres qui in ijs maximè excellunt: ſic luminis patrem ſolem appellamus, quòd inter lucida corpora, nullum ſit eo lucentius, tametſi ad id quod volo declarandum, præſtat Jacobi teſtimonium 1. cap. appellantis Deum patrem luminum, quòd in eo, tanquam in fonte plenum, & infinitum lumen contineatur, ex quo etiam redundat ad homines & Angelos colluſtrandos, quo fit, ut cum MARIA earum dicatur eſſe Mater virtutum, atque in ijs *Agnitionis Mater*, ſeu, quod idem eſt, Fidei Mater, ac longè potiore jure, quàm Abraham pater credentium ad Roman. 4. dictus ſit, conſequens eſt MARIAM, ut Spe, & Charitate, ita & Fide, omnibus anteſtare.

Eccleſ. 24.

S. Paul. ad Rom. 4. v. 11.

§. II.

Ex ipſarum rerum à B. Virgine creditarum obſcuritate, ejuſdem Fidei præſtantia demonſtratur.

Duplex

DVplex esse ajunt Cognitionis genus Theologi; alterum, quo rem quampiam intelligimus quidem, sed velut è vestigijs, seu effectibus ad ipsius cognitionem pervenimus, quod abstractivum vocant; sic cognoscimus Deum, cæteraque corporis expertia, dum in hac mortali vita sumus: alterum intuitivum appellant; quo res in seipsa spectatur, nec alia indagine vtimur, ut ejus notitiam consequamur; propterea quòd perspicuè, & absque medio ratiocinij cujuspiam, vel testium examine videatur. Et quidem MARIÆ Fidem quanta fuerit, priore via & methodo scrutati sumus; at ipsam nunc ob oculos nostros statuamus, contemplemurq́; eam, non in Elisabethæ encomio, aut magnitudinem ejus solùm ratiocinando eruamus, sed ipsammet fixis in eam oculis, inspiciamus. In quo illud facilè eveniet nobis, quod accidit Samaritanis illis, de quibus S. Joannes cap. 4. historiæ suæ Evangelicæ refert, quòd ea dixerint fæminæ illi pentigamæ, hoc est: *Non jam propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus, & scimus:* Hoc videlicet arbitror futurum, ut vbi, me narrante perspexeritis, quàm difficiles creditu res crediderit MARIA, dicatis & vos mihi: *Non jam propter loquelam tuam credimus, ipsi enim audivimus & scimus*; propterea quòd perspiciamus ea, quæ credidit MARIA, inusitata planè fuisse, nulloq́; prius experimento præcognita, atq́; sic affecta, ut deinceps ostendam, ut planè difficillima creditu fuerint. Nam quis inprimis is assensus fuit, quem Angelo annuncianti præbuit, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum?*

S. Ioan. c. 4.

Digitized by Google

Tam multa enim huic Marianæ Fidei præsto sunt, ut nesciam an suffectura mihi verba sint, quibus Fidei hujus excellentiam satis enarrem. Ac primum quidem, quod credidit, istud est; filium Dei hominem futurum, atq; ex se Virgine, Virginitate permanente, nasciturum; in quo duo illa latent difficillima creditu: *Deus & homo; Virgo & Mater.* Advertite animum ad id, quod dico: *Deus fiet homo, & Virgo permanens fiet Mater:* à sæculo non est auditum simile quid factum; est vtrumq; perquam arduum; &

2\. Corin, 10. fit intellectui vis, at MARIA *Captivum ducit intellectũ in obsequiũ Fidei.* Neque enim arbitror jam mearum esse partium, ut ostendam latissimum intervallum, quod inter Deum & hominem est, quod sanè infinities majus est, quàm sit inter ignem & aquã; lõgeq; tolerabilius añueretur affirmanti: aquam absq; eo quòd desineret esse, quod est, futuram ignem, quàm quòd Deus homo, aut Virgo Mater esse possit. Respuebant Judæorum aures audire, quòd JESVS se filium Dei assereret esse, dicebantq; maximam in eo repugnantiam videri: ut quis homo sit pariter &

Joan. 10. Deus: cum enim Joan. 10. Christus dixisset: *Ego & Pater vnum sumus*; sustulerunt lapides, ut eum lapidarẽt; & causam rogati cum essent à Christo ijs verbis: *Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus, me lapidatis?* reponderunt ei Judæi: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Et de hoc accersitus est, tanquam de crimine maximè nefario, ab ipsis principibus Sacerdotum, & scribis, seu legis Doctoribus, quòd filium Dei se fecisset; cumq; palàm idipsum te-

psum testatus esset in concilio, horrendæ ipsum blasphemiæ omnes insimulârunt; & Pontifex velut ob immanitatem impijssimæ orationis, *Scidit vestimenta sua.* Atque ut intelligamus, quantum res hæc distet à communi omnium sensu; nulli unquam ab orbe condito (citra Dei manifestationem) ne quidē sapientissimo venit in mētem, vel etiam cujusquam animo incidere potuit, ita ut assensum eliceret ex eo, videlicet fieri posse, multò verò minùs futurum aliquando, ut Deus fieret homo: quare etiam S. Paulus mysterium istud nominat: *Investigabiles divitias Christi, & sacramentum absconditum à sæculis in Deo.* ad Ephes. 3. & ad Coloss. 1. *Mysterium absconditum à sæculis & generationibus*, & 1. Corinth. 2. *Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*; eaque de causa autumant Hieronymus, Eusebius, Ambrosius, ab Isaia cap. 45. dictum fuisse Christum *Deum absconditum*; & apertissimè Cyrillus Alexādrinus libr. de Incarnat. vnig. cap. 7. affirmat: *Adunitionem Verbi cum carne, omni humana cognitione esse superiorem*; quo etiam plus dixit Ambrosius libr. de fide ad Gratian. c. 5. dum scripsit in hæc verba: *Mihi, cui impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum sed Angelorum*; & paulò post subdit: *Nec solum admirabilis ex Patre generatio Christi, admirabilis etiam ejus generatio ex Virgine*, tandem: *Novum omnium novorū* appellat Damascenus lib. 3. cap. 1. & apud Dionysium à Hierotheo (de divin. nomin. cap. 2. p. 2.) *Novitatum omnium supereminens novitas* cognominatur. Quòd si cui fortasse videatur non adeo aliena ab humano sensu hæc existimari debere, propterea quòd

Ioan. 19.
Matthæi 26
S. Paul9 ad Eph. 3. ad Coloss. 1.
S. Hieronys Eusebius, Ambrosius.
Cyrillus Alexan.
Damascen.
Dionysius.

metamorphoses hominum in Deos (quos græco vocabulo ἐκτεθειασμένους & ἀποθεωθέντας ajunt) Gentilium plures credidêre: Sciēdum est, quòd si qui hujuscemodi aliquid sibi persuadere potuerunt, vel Dei notionem eos non habuisse, aut opinatos duntaxat fuisse; quosdam non quidem in Deos evasisse, sed in statum quendam immortalitatis, ac perennis felicitatis fuisse translatos; at Deum ita conjungi homini potuisse, ut vna eademque persona, Deus esset & homo, non potuit in ullum hominem cadere, ut tale aliquid suspicaretur. Atque ut simili quopiam hujus rei difficultatem, quæ nullo pacto venire in mentem potuerit, exponamus, fac elephantem nullâ sui parte detractâ, sed corporis sui vastitate retentâ, factum esse culicem; aut plumbi massam, lapidemúe molarem, plumam effectum, esseq; plumbū plumam; effinge animo & cogitatione quodvis, & nihil ita repugnans, adversumque hominis assensui invenies, quàm quòd Deus fiat homo; neque enim potest res ulla sic ab alia dissidere, sicut Deus à creatura, & quod propriè est, ab eo, quod prope nihil est: cumq; hoc adeo alienum à sensibus, & remotū ab intellectu nostro sit, imò supra captum & suspicionem omnem sit; attamen ut primùm MARIA id futurum, Dei revelatione cognovit, assensum non distulit, non hæsitavit in corde suo, sed plenissimè assensum præbuit. Neque hoc solum credidit: *Creatorem nempe generis humani dignari sumere corpus humanum*, & fieri hominem; sed trium personarum in una eademq; natura divina distinctionem: credidit enim quòd tametsi Pater & Filius & Spiritus Sāctus

essent

essent vnus Deus, attamen se Filium genituram, & non Patrem, & non Spiritum Sanctum: huic sum̃æ Fidei (quippe de rebus maximè difficilibus) accedebat & illud, quòd illæsa Virginitate paritura esset; ut trium Fidei articulorum, in vnum pene temporis momentum coincidentium facta propositio, animũ valde firmum constantemq; postularit, quò minus in rebus adeo obscuris aliquid cespitaret. Atque ut intermittam jam de excellẽtia Fidei, quæ fuit in adhibendo assensu, quòd Deus fieret homo; videamus quàm fuerit ea præstans Fides, qua credidit, quòd Virgo paritura esset; & facile id conijciemus, si modò reminiscamur Paulũ ad Roman. 4. Fidem Abrahami ita extollentem, ut ipsum propterea appellet exemplar omnium credentium, & patrem, hoc est tam Judæorum, sive Circumcisionis, quàm Gentilium, seu præputij. Verùm quid credidit Abraham, ut tam honorificum ab ipso Apostolo Fidei encomium consequi dignus fuerit? hoc credidit, quòd ex se jam vetulo, & Sara sterili, & anu nasciturus esset filius; hæc est illa Fides à Paulo tantopere dilaudata. *Non infirmatus est* (inquit Apostolus) *Fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ; in repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est Fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia, quæcunque promisit potens est & facere: ideo & reputatum est illi ad justitiam.* Cæterum jam vos judices estote; quid est mirabilius; an è sterilibus senioque confectis, an verò ex Virgine nasci filium? quòd si hoc altero illud longè exceditur, MARIÆ quoque Fides Fidei Abraha-

S. Paulo ad Rom. 4.

Digitized by Google

brahami plurimùm antecellit; & quod consequens est, dignissima quæ majoribus præ Abrahamo, & quocunque fideli, encomijs, ac laudibus afficiatur.

§. III.

Ex occasione dubij incidentis declaratur præstantia Fidei MARIANÆ circa idem ipsum, quod ab alijs fuit creditum, & modò etiam creditur.

VIderi fortassè cuipiam posset MARIÆ Fidem non debere videri singularē, propterea quòd id ipsum, quod illa credidit, crediderint ante ipsam *Sancti Dei homines Prophetæ Spiritu Sancto inspirati*, ut loquitur Petrus 2. epistolæ capite 1. & nunc etiam passim firmâ fide tenetur, quòd Christus homo sit & Deus, quodq; Deus trinus sit in personis,& unus in substantia, atque adeo etiam MARIAM Matrem esse, & vnà Virginem illibatam. Atque ego quidem non diffiteor istud; attamen etiam assero; maximam inter Prophetarum, seu nostram, & Dei genitricis Fidem esse intercapedinem, eò quòd Beatæ Virginis assensus longè nobilior excellentiorque fuerit. Esto enim credamus nos omnes id,quod tantò ante credidit Isaias, cum dixit cap. 45. *Adorabunt vincti compedibus, & interpretabuntur quoniā in te Deus est*. Et, *Non est alius Deus præter te, tu enim es Deus,& non sciebamus, Deus Israël salvator*. Quod credidit Baruch, cum sic effatus est cap. 3. *Hic Deus noster, & non de-*

S. Petrus 2. cap. 1.

Isaias c. 45.

Baruch c. 3.

non deputabitur alius absq; illo, qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus. Quod credidit David, cum secreta Dei revelaret, & diceret: *Dixit Dominus Domino meo.* Credit Moyses, cum Israëlitas commonefaceret his verbis Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Et demum crediderunt, quicunque de adventu justi prædicaverunt, quòd Verbum fieret caro: neque enim instar arreptitiorũ, ut Montanus Phryx & Theodorus senserunt, sed conscij divini mysterij, ea prædixerunt. Quid ergo, inquies, hoc pro magno habetur, si quod à Prophetis pridem creditum est, & nos ipsi modò credimus, si etiam illud credidit & MARIA? Sed age, non jam quid, aut quale fuerit id, quod MARIÆ credendum proponebatur non hoc inquam duntaxat spectemus; sed consideremus ea, quæ fidem illam circumstabant, quam præstabat B. Mater credendo; ea enim ostendunt; planè excellentem fuisse, singularemq; MARIÆ Fidem, atque prorsus admirabilem: alias namque parùm considerati hominis esset, virtutis actiones ex ipsarum natura duntaxat æstimare, satisq; esse ad commendationem, quòd quis sobriè, justè, piè vixerit, dimissâ omni aliâ consideratione eorum, quæ vel opus illud honestum elevare, vel etiam extollere magnopere possint, ut jam non vulgare, sed præcipuum quiddã censeri debeat. quid enim? Castè quispiam vixit; bene est: quid si nullo lasciviæ æstu incitatus ad lapsum vnquam est? quid si nulla obtulit se ei aliquãdo sce-

David

Moyses deutr. 18.

Digitized by Google

do ſceleris licentia? etſi enim comendabilis ſemper hæc pudicitia ſit, & non modò apud Deum, ſed etiam apud homines benevolentiam conciliet; magna tamen laude caret, & minùs præclara, quàm Patriarchæ Joſeph, quæ etiam inter cogitationū fluctus, & blandiſſimæ Dominæ illecebras, & quotidianas inſidias ac preces, illibatiſſima ſtetit, & minùs cæteroquin admirabilem futuram fuiſſe teſtis eſt locupletiſſimus S. Chryſoſtomus libr. 2. de providentia. Videamus igitur, quænam illa ſint, quæ Fidem MARIÆ, licet de rebus ijſdem, quas & alij crediderunt, & modò credunt, ita commendent, ut meritiſſimò proinde eam cæteris præferant. Atque illud eſto in primis, quod Virgini myſterium iſtud non ſit propoſitum tamquam olim, ſed mox jam jamque futurum: atqui dubitaverit etiam nemo, quòd quemadmodum res admirandæ minùs animum movēt, cum audiuntur accidiſſe, vel eventuræ, quàm ſi præſentes ſint, & coram exhibeantur; quis enim ad hanc vſque diem ita perculſus animo eſt, dum audijt horribilia, quæ die vltima appetente, orbi terrarum evenient, ut præ horrore eorum exaruerit? quod tamen eveniet tunc multis, ut præ ſola expectatione rerum monſtruoſarum penitus lapideſcant; ſic igitur etiam res, quæ difficillima creditu ſit, longè majorem poſtulat Fidem, ſi debeat credi mox futura, quàm ſi poſt longa temporis intervalla. Et reperiretur abſque dubio non nemo, qui ſummam in Eccleſia dignitatem auguranti ſibi, hoc eſt Epiſcopatum Romanum olim conferendum, non ægre fidem adhiberet; magnas quippe ſecum afferre ſolet tempus

S. Chriſoſt. l. 2. de providentia.

rerum

rerum viciſſitudines, & quod diſtat minùs animum movet: at verò qui crederet, ſe jam jamque ad eum honoris apicem evehendum, cum antehac nullam hac de re cogitationem animo agitaſſet, arbitror hominem ſanæ mentis fore neminem. In eo igitur Mariæ Fides, Fidei Prophetarũ præcellit, quòd ij quidem advẽtum Dei in carne crederent, ſed ab eo tempore plurimum diſſiti, *Repromiſſionem*, ut loquitur Apoſtolus ad Hebr. 11. *à longè aſpiciebant, & ſalutabãt*, quo fiebat, ut quantò erant à Chriſto remotiores, tantò minùs rei iſtius fulgor veluti oculos perſtringeret; quin etiam à ſchola receptum eſt, quòd ſi cõferantur optimates inter ſe, & vulgares quoque cum ſui ſimilibus componãtur, eos, qui Chriſto viciniores fuêre, ut Apoſtoli, & (quâ nemo proximior) Maria, plura habuiſſe de Chriſto Fide comperta; ſol enim Chriſtus eſt, & Sol oriens, vnde cum Maria prima & proxima refulſerit, etiam lumine Fidei præ omnibus alijs magis coruſcavit; ajo ad hoc, remotum lumen etiam ab infirmo oculo ferri poſſe, at ſi prope admoveatur; nec cæcutiat, non palpitet, nõ averſetur, ſed fixo in illud obtutu porrigatur, imõbiliſq; permaneat; ferreus is quodammodo ſit, neceſſe eſt. Cumq; hoc longè certiſſimum ſit, res prope poſitas, ac præſentes, ſi prodigioſæ ſint, vim habere quoque majorem ad percellendum animum, propterea quòd vnaquæque res certam, ut ajũt, habeat activitatis ſuæ Sphæram, citra quam aut nihil, vel quàm minimè operatur: accedebat ad hoc, quod eſt Deum fieri hominem, ſic annunciatum Virgini, ut pariter prædictum eidem ſit, futurum ut non in

S. Paulo ad Hebr. 11.

alia quapiam fæminarum, ſed in ipſa, & ex ipſa Virgine Dei filius conciperetur homo. Neſcio enim qui fiat, ut res admirandæ, quæq; omnem vim noſtram intelligendi ſuperant, faciliùs admittantur in animum, quò magis ſcimus ea ad nos minimè pertinere: nam quantò magis nos ipſi, noſtraque novimus quàm aliena; tantò etiam plus refugimus de nobis credere, quæ diſtare à conditione noſtra intelligimus. Quòd ſi modeſtiæ, animiq; ſubmiſſionis, quâ excellebat MARIA, rationem habere velimus; facilè profectò perſpiciemus MARIÆ Fidem planè ſingularem fuiſſe, cùm præbuerit aſſenſum rei non ſolùm perquam admirandæ, ſed etiam quòd eſſet obventura ſibi, quæ tamen non ſolùm nullam ea de re cogitationem ſuſceperat, quaſi aliquo modo ad ſe ſpectantem, ſed penitus alieniſſimam ſe ab eo dignitatis gradu ducebat, magniq; in beneficij loco poſuiſſet, ſi deſtinatæ Dei Matri quâquâ ratione ancillari ſibi licuiſſet. Enimvero ſi Saul cum adhuc *Parvulus eſſet in oculis ſuis,* audijſſetq; à Samuele (ſub id ipſum tempus, quo de admovendo aliquo ad regni clavum agebatur) verba illa: *Cujus erût optima quaque Iſraël? Nonne tibi, & omni domui patris tui?* Si Saul nihil tale
1. Reg. 9. de ſe opinatus, ajebat: *Numquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſraël? & cognatio mea noviſſima inter omnes familias, de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum?* Si Saul, inquam, tunc etiamnum animi demiſſi, abjectèque de ſe ſentiens, cogitationem regni, quod ei denunciabatur, non admittebat: quis animus, quamq; roboreum pectus MARIÆ debuit fuiſſe, ut cùm eo animi ſui ſenſu, quo

 nihil

nihil grande aut ſplendidum de ſe ſentiebat, cõjungeret aſſenſum illum, quo Dei Matrem crederet ſe eſſe futurum? Latet nos magna ex parte quanta in hoc fuerit MARIANÆ Fidei excellentia, propterea, quòd plerique omnes ſpontè ferimur ad ſentiẽdum de nobis quæcunque præclara; & vix locus paulo ſublimior vacat, quo videamur nobis eſſe indigni. Quòd ſi igitur per Modeſtiæ MARIANÆ contemplationem, quanta ejus fuerit Fides ſatis aſſequi non valemus; præpedimurq; ab imbibita ab animo noſtro ea cogitatione, qua vix fieri poſſe putamus, ut refugiamus credere, quæ ad gloriam, dignitatemq; noſtram ſpectant; aliâ viâ ad percipiendam Fidei Virginis dignam exiſtimationem tentemus aditus, Fidei, inquam, illius, quâ non obſtante eo, quòd nihil altum de ſe ſentiret, nihilominus ſe Dei Matrem futuram credidit. Et mihi quidem perſvadeo, quòd ſi à contrario ducamus argumentum, magnitudinem Fidei MARIANÆ meliùs nos eſſe deprehenſuros. Da enim aliquem alta de ſe ſe, minimeq; vulgaria ſentientem, & (ut dicitur à pſalmographo) *Ambulantem in mirabilibus ſupra ſe*: nonne ſi huic ipſi denuncietur locus multò inferior, quàm deferendum ſibi arbitrabatur, ei denunciationi fidem ægerrimè adhibebit? Sed hærebit, tergiverſabitur, & vix auribus ſuis credet ſe audire, quod tamen dici de ſe audit: vehemens eſt opinionis vis, qua de ſe quiſque imbutus eſt, in vtramque partem; ita ut neq; ſuperbus facilè admittat in animum ſui cõtemptum, abjectionemque; neque modeſtus opinionem excellentiæ, & loci altioris ſuſpicionem. Quamobrem ſi ratiocinari *Pſalm. 130.*

vere velimus, dum ſe ad Dei Maternitatem electam MARIA Angelo internuncio Dei credidit, Fidem ſuã evexit ad ſumum, ut efferre ſe altiùs credendo non potuerit. Ecquid aliud eſt *In unum coarctare omnia*, vti habetur Jobi cap. 11. quaſiq; cælum & infernum contrahere ad idem ſpacium, quàm in eodem corde & animo Virginis MARIÆ Fidem hanc, quòd nempe Dei Mater eſſet futura, cum vili, qua tenebatur ſui opinione, conjungere? Sanè S. Bernardus hinc B. Virginis Fidem comendat: *Cum in ſua*, (inquit Sermone Signum magnum) *æſtimatione tam humilis eſſet, nihilominus & in promiſſionis credulitate magnanimis, & quæ nihil aliud quàm exiguam ſe ſe reputabat Ancillam, ad incomprehenſibile hoc myſterium, & admirabile commercium, ad inſcrutabile Sacramentum, nullatenus ſe dubitaret electam, & veram Dei & hominis genitricem crederet mox futuram.* Quibus in verbis nõ prætereat te illud, quod Sanctum hunc virum non fugit, & in quo paulò ante ineſſe aliquid conſideratione dignum diximus; MARIAM nempe credidiſſe quidem ſe Dei Matrem electam, ſed non veluti rem olim eventuram, ſed inſtãtem jam, ſive, ut S. Bernardus ait, *Se Dei genitricem mox futuram.* Quæ enim futura olim præſignificantur, ferè animum non movent; ut quidem videre eſt apud Ezechielem cap. 12. ex eo, quod ejus tempore vulgò jactabatur de prophetia ipſius, cum dicerent: *Viſio, quam hic videt, in dies multos, & in tempora longa iſte prophetat.* Quare ea, quæ diſſitiſſima habentur, nihil prope percellunt; & quamvis eadem mira valde, ac ſtupenda ſint, in neutram tamen partem animum magnopere afficiunt, hoc eſt, non mul-

Iob. cap. 11.

Bernardus ſerm. ſignũ magnum.

Ezechiel 12.

non multum in aſſenſum, vel diſſenſum impellunt: at quòd imminere dicitur, cùm ad ſui conſiderationem animum rapiat: periculum etiam eſt, ne ob rei, quæ jam jamq; adeſſe dicitur inſolentiam, ab aſſenſu animus avocetur; ut mellifluus Doctor meritò MARIÆ Fidem inde etiam æſtimaverit, quòd crediderit rem tantam quaſi jam præſentem, hoc eſt, *Se Dei genitricem mox futuram.* Cæterùm nihil attinet in hoc argumento magis premendo diutius imorari; habemus enim alia Fidei MARIANÆ auguſta teſtimonia, quæ poterunt à quovis (adeo enim manifeſta ſunt) veluti manu contrectari.

§. IV.

Quòd MARIÆ Fides fuerit etiam præcipua, ac ſingularis ob firmitatem, quam loco & tempore oſtendit.

DE MARIANA Fide dici verè poteſt; eam fuiſſe inſtar domus illius, cujus Matth. 7. meminit Christus; quæ (*Cum deſcendiſſet pluvia, flaviſſent venti, & veniſſent flumina, & irruiſſent in domum illam*) *non cecidit; quoniam fundata erat ſuper petram.* Quid enim? parumne videatur quòd MARIA JESVLVM ſuum puſiunculum, lactentem, & vagientem, & pedes in cunis jactantem, eundem ipſum eſſe Deum crediderit, & Salvatorem Mundi? quod quidem ſpectaculum, & grande Fidei myſterium, non ad horam, & quaſi per tranſcenam, credendum pro- *Matthæi 7.*

Digitized by Google

ponebatur; ſed aſſiduè præ oculis verſabatur. Fuit profectò hæc magna Fidei virtus, infantem ubera Matris ſugentem, & cum ploratu queritantem, ſic imbecillum, ut hærere in veſtigio, ſine adminiculāte non poſſet, alijſq; infantiæ, & naturæ noſtræ miſerijs laborātem, hunc credere eſſe Deum, & omnium creatorem. Cave tibi aliquid ſubrepat ad hujus Fidei dignitatem elevandam, propterea quòd & nos idipſum credamus: nam etſi credimus imbecillum fuiſſe, & nihilominus Deum; eam tamen infantiæ imbecillitatem, & puſillitatem membrorum non videmus: ipſa verò MARIA ærumnarum omnium aſſidua ſpectatrix erat, nec à Fide iſta quicquam obſterrebatur. Magnam vim habet miſeria præſens ſpectata ad commovendum animum, Fidemq; labefactandam, quam non habet audita ſolùm, & credita imbecillitas infantiæ, ſi præſertim adjuta ſit fide prodigiorum, quæ Chriſtus vir effectus patravit; nam qui horum vel ſpectatores, vel auditores fuère, etiam ad credendum plus aliquid opis habēt. Quòd ſi dicas; Magos nullis vel viſis, vel auditis Chriſti portētis, adoraſſe infantem in præſepi collocatum: ajo eos ad breve duntaxat tempus ejus inopiæ & pueritiæ ſpectatores fuiſſe, in quo eos MARIA credendo ſuperavit; ſed tamē etiam adijcio, eâ de cauſa, quòd Magi infantem cultu latriæ venerati ſint, ſummopere à Patribus eam Fidem celebrari; adeo ut illam latronis Fidei, quâ Chriſtum è cruce pendentem, ut regem & Deum agnovit & confeſſus eſt, longè præferant. Quòd ſi maxima fuit Latronis Fides tunc confitentis Chriſtum; eâq; major eſt Fides Magorum

Vide Salmeronem t. 3. tractatu 40

adoran-

adorantium infantem Jesvm; & iterum hâc Fide major eſt Fides Mariæ: quàm excelſo in gradu collocatã Mariæ Fidem exiſtimabimus? Et vero quod miſera rerum facies fidem deroget, teſtis eſt Iſaias cap. 53. qui cum dixiſſet de Chriſto; *Non eſt ſpecies ei, neq; decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus*: adjecit; *Vnde nec reputavimus eum.* Teſtes ſunt Iſraëlitæ, qui cum (ut habetur 1. Regum 8.) veniſſent ad Samuelem in Rhamata, petijſſentque conſtitui ſibi Regem, ubi electus is eſſet; ab aliquibus, qui præſentem conſpicati ſunt deſpectus eſt, & dixerũt; *Num ſalvare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum,* ut habetur eodem libro cap. 11. eum, inquam, qui non infans, & imbecillis erat, ſed qui humero eminebat ſuper omnem populum. Neque deeſſe poſſunt exempla, quæ cùm memoriâ patrum, tum noſtrâ acciderunt eorum, qui præſentes & coram poſiti deſpicatui habiti ſunt, cum longè diſſiti in omni apud omnes eſſent veneratione: quale eſt, quod narrat S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 5 de Conſtantio manſionario Eccleſiæ S. Stephani, & Cæſar Baronius de Hildebrando Nuncio Apoſtolico in Germania; & his recentiora non deſunt: ut veriſſimum ſit apud complures è vulgo, illud, quod diverbio dicitur, id eſt, *Minuit præſentia famam.* Non ſanè vulgaris fœmina fuit Maria, quæve extimam rerum ſuperficiem duntaxat conſideraret, ita ut aliquando in ejus cor inciderit ejuſcemodi cogitatio, & apud ſe animo voluerit illud: Num ſalvare nos

poterit

Iſaiæ c. 53.

S. Gregor.

Baronius ad annũ Chriſti 1061 circa medium t. 11.

poterit iſte? Sed veluti ænea columna perſtabat in Fide, nec vnquam res ulla tanta accidit per id tempus, quo unà Chriſtus & MARIA cohabitârunt, propter quam à Fide, vel tantillum dimoveri potuerit. Quòd ſi tu fortè iſta non miraris, eò quòd & ipſe credas, quæ MARIA credidit, hoc eſt, quoniam JESVS eſt Dei filius, veruſq; Deus: atqui dico tibi, quia neque tu Chriſtum in cunis vagitum edentem, & infantulum bipalmarem vidiſti, nec deinceps in cruce

1. Cor. 1. pendentem, hoc eſt, *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam;* at MARIÆ, in eo ipſo articulo temporis, *Dei virtutem, & Dei Sapientiam.*

§. V.

Quòd MARIÆ Fides in eo etiam maximè enituerit, quòd pene ſola in Fide Chriſti permanſerit Paſſionis tempore.

QVemadmodum nullam ea res habet modò admirationem, quòd quis in Chriſtum credat; immò, S. Auguſtino teſte, *Quoddam miraculum is eſſet, qui Mundo credente, credere nollet:* Ita ſingularis planè ea Fides eſt, quæ contra torrentem nititur, & perſtat pene omnibus diſſẽtientibus; quò fit etiam, ut magis probata habeatur Fides eorũ, atque robuſtior, qui degunt inter hæreticos, ſive à cognitione veritatis alienos; cum enim inhumanũ videatur ab omnibus, inter quos vivas, opinione ſententiaq; diſcrepare; difficillimum etiam redditur, ſi

Libro 22 de ciuit. cap. 8.

tur, ſi

tur, ſi quaſi exiſtimari velis, præ reliquis omnibus ſolus ſapere. Elevavit quorundam fidem (ut legiſſe me memini) graviſſimus vir, cum enim is in quorundam vitæ licentiam inveheretur, ijque de profeſſione Fidei gloriari viderentur, quod non eſſent ab orthodoxa Fide alieni; *Quæ eſt,* ajebat, *hæc Fides veſtra, operibus bonis deſtituta, cum eandem omnes circa vos poſiti Fidei regulam teneant? agite, ſi audetis, & ingredimini vrbem, voſq; palam non eſſe Chriſtianos dicatis; nonne ſtatim à concitata multitudine lapidibus obruemini?* Vt igitur credere, quod omnes credunt, admirabile non eſt; ita excellentiſſimum eſt, adeo ſibi in Fide conſtare, ut repugnantibus omnibus, tu tamen in tranſverſum nihil agâre. Atq; idcirco Tob.cap.1. laudatur Tobias ſenior, quod cum omnes irent ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael. Præclarum omnino eſt, prolabentibus omnibus, aut titubantibus, te ſolum firmiter atque inconcuſſum ſtare: hoc eſt, quod S. Gregorius 1. moral. in magna laude Jobi poſuit, quod non ſolùm vir ſimplex & rectus eſſet, ſed talis etiam in terra Hus, ſibi conſtiterit: *Neque enim* (S. Papa ait) *laudabile eſt bonum eſſe cum bonis, ſed bonum eſſe cum malis; ſicut enim gravioris culpæ eſt, inter bonos bonum non eſſe, ita immenſi eſt præconij, bonum etiam inter malos extitiſſe;* cumque cæteras virtutes inter homines vitioſos colere, ſemper difficillimum ſit, tum vero Fidem tenere, & religione ab omnibus diſcrepare, hoc ſanè non vulgarem habet difficultatem.

Tobias (margin, beside "Tob.cap.1.")

S. Gregorius (margin, beside "Gregorius 1. moral.")

Digitized by Google

Ergo cum totius vrbis illuſtriſſimæ clamoribus, poſtularetur Chriſtus ad necem, & ipſe *Effuſus eſſet tanquam aqua, factus ſicut homo, qui non habet redargutionem in gutture ſuo,* quique juxta illum erant, jam de longè ſtarent; quid dico? *Cum eſſet opprobrium hominum factus, & abjectio plebis*; cum prodidiſſet eum Judas; ſe diſcipulum ejus negaſſet Petrus; cæteri fugâ dilapſi: *Stabat juxta crucem Mater IESV,* non magis ſitu corporis, quam Fidei ſtabile figens veſtigium; quem enim acerrimè cruciari videbat, & ſub oculis ſuis, inter graviſſima tormenta emori, eum Fide pari confitebatur Deum, quâ patrantem miracula, & adoratum á Magis crediderat: qua in re non ſolùm laudo Fidem, nam & in Apoſtolis perſtitiſſe, (etſi nō omnibus) arbitror; hoc eſt: Apoſtolos retinuiſſe quidem divinitatis Chriſti fidem; & quòd ipſe eſſet in lege promiſſus, at imbecillā tempore tridui, eam fidem fuiſſe; Imo articulum reſurrectionis prorſus eos non credidiſſe affirmo, non tam diffidentiâ adverſus Chriſti pollicitationem; ſed quod eam rem penitus animo non imbiberāt; non igitur inquam, quancunq; fidem laudo, ſed cōſtātiam, firmitatemque in credendo, quippe nec ſiniſtrâ vllâ cogitatione, aut animi inclinatione, concuſſa vnquam fuit, ſed in omni eventu, & adverſo caſu imperterrita, nunquam vel leviſſimo motu, vel per ſubreptionem veluti nutavit. Verùm, ut S. Ambroſius aſſerit in pſalm. 118. *Spiritus ejus in patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulſus evanuit.* Hoc eſt, quod dicimus proprium, planeque ſingulare fuiſſe in MARIA, quæ verè ſola permāſit in tentationibus Chriſti, ut offendiculum

Pſalm. 37.

Pſalm. 21.

Bellarm. l. 3. de Eccl. militāte c. 16. & ſic exponi commode poteſt S. Bernard. de lamētatione Virginis circa medium.

S. Ambroſ.

diculum nullum, ullo unquam tempore passa sit. Latro quidem confessus est Christum, etsi de cruce pendentem, sed paulò ante illam cōfessionem; blasphemus, & maledicus in ipsum fuit. Apostoli quoque cespitârunt in Fide; neq; enim falsus fuit Christus, qui prædixerat eis: *Omnes Scandulum patiemini in me in ista nocte; sed non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Cujus porrò prædixit Salomon non non extinguendam esse lucernam, hoc est, Fidem, instar faculæ ardentis, inter adversantes sibi ventos in turbine, & procellâ, cumq; gravissima ingrueret tempestas, ardentem semper esse perseveraturam, nisi MARIÆ? Ita, ut quemadmodum Verbum caro factum luxit in tenebris, sic MARIA in caligine densissimâ lucis suæ radios emiserit. Atque huc fortasse spectat Ecclesiæ ritus is, cum in majori hebdomada extinctis reliquis luminibus, unum reservatur, quôd MARIA de lumine suo Fidei nihil remiserit, sed firmissima in Fide resurrectionis perseveraverit. MARIA igitur est, MARIA est illa mulier fortis, cujus extincta non est lucerna in nocte. Vos quidem Apostoli, vos, qui aliquando uno ore pronunciastis: *Tu es Christus filius Dei benedicti, qui in hunc mundum venisti*; vos scandalum passi estis in nocte illa: sed *Non extinguitur in nocte lucerna* MARIÆ. Et mihi quidem facilè persvadeo ut credam; hanc in rem, hoc est in MARIANÆ Fidei constantiam, quam tenuit in obscurissima illa, & tenebrosa Passionis nocte, prospectasse, inquā, Deum, cum per Moysen divino spiritu afflatum, Exodi 27. ita faciendum statuit: *Præcipe filijs Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloq; contusum,*

Matthæi 26
Prover. ult.
Alex. Alensis lo. de turre apud Bell. l. c.
Abulēsis q. 14. prolog. in Matth.
Matthæi 16
Exodi 27.

tuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij, extra velum, quod oppanſum eſt teſtimonio, & collocabunt eam Aaron, & filij ejus ut vſq; manè ardeat corã Domino. Ardet, ardet, & ludit in puriſſimo oleo flammula, id eſt in integerrima Virgine lucet Fides, & nullo vnquã tempore non perſtat. Vbi autem lucet? noñe in tabernaculo teſtimonij extra velum, quod oppoſitum eſt teſtimonio? Tabernaculũ teſtimonij fuit Chriſtus, quando *Teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem:* Regnum videlicet ſuum nõ eſſe de hoc Mundo, ſeq; filium Dei eſſe benedictum. Hoc porrò teſtimonium infidelitas Judæorum tanquam velum oppacabat, & illud occulebat. Sed extra velum lucerna ardet, id eſt, MARIA Fide ſua illuminat ipſas tenebras, nec ſinit veritatem Dei in occulto detineri. Ibi rutilabat MARIÆ Fides, ubi obſcurata, & obſcurantia delitеſcebãt Judæorum corda. Nec te prætereat, quòd non ſupervacaneum ſit illud, quod additur, hoc eſt ut vſque manè luceret coram Domino; eò quòd MARIA Virgo vſque ad crepuſculum ſurgẽtis à morte Chriſti, in Fide reſurrectionis perſeverârit. Arſit ergo vſque manè; quoniam *Surgens manè IESVS primâ Sabbathi*; apparuit (citra omne dibium) primò Matri ſuæ, quæ cum reſurrexiſſe filium videret, extincta eſt Fides reſurrectionis filij ſui, *Quod enim videt quis, quid ſperat?* Nunc demum aſſequor, percipioq; ô nimium inclyta Virgo Dei genitrix MARIA, cur ſingulariter tibi ſic accinat Eccleſia: Gaude MARIA Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniverſo Mundo: *Hæc eſt enim victoria, quæ vincit Mundum Fides noſtra; & quis eſt, qui*

1. ad Timothei 6.

1. Ioan. 5.

eſt, qui vincit Mundum, niſi qui credit, quoniam IESVS *eſt filius Dei?* Cumq; hoc ſingulariter crediderit MARIA, quæ ab hac Fide nunquam receſſit aut in ea titubavit; meritò Fides ipſius victrix Mūdi cenſenda eſt. Ipſa enim Apoſtolos in Fide firmando, docendoque, hæreſes conculcavit; ipſi trophæum de proſtrata hæreſi præcipuè debetur, quæ credendo præcipua fuit. Ergo quod Apoſtoli omnes, Apoſtolicique viri præſtiterunt in eliminanda hæreſi; totum redundat in MARIAM, quæ Magiſtra Apoſtolorum, & Regina Doctorum cognominatur, & meritò Virgo fidelis appellatur.

CAPVT VII.

De Beatæ MARIÆ præſtantiſſima Spe.

§. 1. Excellentia ſpei, quâ B. Virgo MARIA *pollebat trifariam oſtenditur.*

§. 2. MARIÆ *ſpes maxima fuit, quòd nullius peccati eſſet ſibi conſcia.*

§. 3. Ex eo quòd MARIA *clientes ſuos minimè à ſe alienos arbitretur; non ſolum ſibi ſperabat, ſed ijs veluti ſuis modo bene ſperat.*

§. 4. Tres aliæ cauſæ afferuntur, ob quas aſſerere oporteat B. Virginis ſpem fuiſſe maximam.

Procemium.

SI vir planè pius, vereque optimus, Sanctus, inquam, Paulinus Nolæ Epiſcopus, ſic Deum potuit

Auguſtinus tuit alloqui, & dicere: *Domine ne excrucier propter aurum & argentum; Vbi enim ſint omnia mea, tu ſcis*: Idipſum ſenſu magis interno, ac ſignificantius à Deipara licuit pronunciari, hoc eſt nihil omnino omnium reliquum mihi feci, præter Deum, & filium, in quo omnis mea ſpes, expectatioque poſita eſt. Et vero ſi quique Heroum habent modò aliquam animi ſui interpretem ſententiam, ſeu dicterium, ut olim ſeptem ſapientum, ſcita quædam ſeu adagia fuiſſe cōſtat, MARIÆ proprium apophtegma eſt hoc: *Spes mea Deus.*

§. I.

Excellentia Spei, quâ B. Virgo MARIA pollebat, oſtenditur trifariam.

SPes, ſeu fiducia maximè ad perfectos ſpectat; quoniam *Charitas foras mittit timorem*; vnde illorum proprium eſt intrepidè ferri ad fruendū Deo, cùm ipſe ſit ſumma deſideriorum omnium: quod ſi ita eſt, nemo magis ſperavit, quàm MARIA, quâ nemo Sanctior vnquam fuit. Accedit, quod præter ipſam nemo habeat in Deo, qui ſperando cōcupiſcitur, tantam (ut ità dicam) ad inflamandum, 2. Ratio. concitandumq; appetitum illecebram, ſicut habet ea, quæ arctiſſimo neceſſitudinis vinculo, cùm ipſo conjuncta eſt: nam etſi Deus omnibus optatiſſimus eſſe debeat, propterea quod omnium exſaturare appetitum poteſt; Matri tamen intimior optatiorque, ſine controverſia ulla eſt, quibus igitur affectionibus li-

bus liq ueſcebat, geſtiebatq́; circumvolui collo filij ſui, vultum diſſuaviari, ejuſq́; conſpectu frui, & alloquio beari? Quod ſi naturæ impetui, qui ferventiſſimus eſt in matribus erga filios, gratiæ addamus impulſum, quo ad veram beatitudinem deſiderandam impellimur, neceſſe eſt dicere; Spem Virginis, ſtudiumùe conquieſcendi in Deo, planè fuiſſe incredibile, & quaſi inſtar Babylonicæ fornacis æſtuaſſe cor MARIÆ deſiderio fruendi Deo: ſicut enim cum fornax illa flammis latè exundaret, nihilominus quo vehemētiùs exarderet, injecerunt naphtam, & ſtuppam, & picem, & malleolos, optimum videlicet ignis pabulum; Sic cum Maternitatis indoles magnū cæteroquin habeat ad filij præſentiam, conſvetudinemq́; exoptandam incitamentum; attamen cum ad id reliquæ nobiſcum communes acceſſerint cauſæ, ut quod creatura creatori ſuo adhærere expoſcat propterea quod ipſe beatitudo noſtra ſit, & finis propter quem conditi ſumus; quis jam oratione complecti valeat, quàm fuerit in Dei Matre æſtuans deſiderium videndi Dei ſui, filij ſui, & omnis boni? Nō ita peregrinus ad patriam, aut captivus ad libertatem, non ſic arida ſiti anhelat ad fontē cerva; quantùm auebat MARIA ſuo perfrui creatore & filio. Cumq́; in omni vita deſiderio vidēdi Dei flagraret, tum vero maximè exarſit, cum ab ejus oculis ſubductus in cælos aſſumptus fuit. Etenim ſi Magdalena ad exanime Chriſti corpus (ut illa quidem ſuſpicabatur) ſic impatienter aſpirabat; quo ferebatur cupiditatis æſtu MARIA, videndi filium ſuum? quem quidem gerebat in animo, ſed quoad ejus duntaxat ſimili-

Daniel 3.

ponebatur; ſed aſſiduè præ oculis verſabatur. Fuit profectò hæc magna Fidei virtus, infantem ubera Matris ſugentem, & cum ploratu queritantem, ſic imbecillum, ut hærere in veſtigio, ſine adminiculāte non poſſet, alijſq; infantiæ, & naturæ noſtræ miſerijs laborātem, hunc credere eſſe Deum, & omnium creatorem. Cave tibi aliquid ſubrepat ad hujus Fidei dignitatem elevandam, propterea quòd & nos idipſum credamus: nam etſi credimus imbecillum fuiſſe, & nihilominus Deum; eam tamen infantiæ imbecillitatem, & puſillitatem membrorum non videmus: ipſa verò MARIA ærumnarum omnium aſſidua ſpectatrix erat, nec à Fide iſta quicquam obſterrebatur. Magnam vim habet miſeria præſens ſpectata ad commovendum animum, Fidemq; labefactandam, quam non habet audita ſolùm, & credita imbecillitas infantiæ, ſi præſertim adjuta ſit fide prodigiorum, quæ Chriſtus vir effectus patravit; nam qui horum vel ſpectatores, vel auditores fuêre, etiam ad credendum plus aliquid opis habēt. Quòd ſi dicas; Magos nullis vel viſis, vel auditis Chriſti portētis, adoraſſe infantem in præſepi collocatum: ajo eos ad breve duntaxat tempus ejus inopiæ & pueritiæ ſpectatores fuiſſe, in quo eos MARIA credendo ſuperavit; ſed tamē etiam adijcio, eâ de cauſa, quòd Magi infantem cultu latriæ venerati ſint, ſummopere à Patribus eam Fidem celebrari, adeo ut illam latronis Fidei, quâ Chriſtum è cruce pendentem, ut regem & Deum agnovit & confeſſus eſt, longè præferant. Quòd ſi maxima fuit Latronis Fides tunc confitentis Chriſtum; eâq; major eſt Fides Magorum

Vide Salmeronem t. 3. tractatu 40

adorantium infantem JESUM; & iterum hâc Fide major eſt Fides MARIÆ; quàm excelſo in gradu collocatã MARIÆ Fidem exiſtimabimus? Et verò quòd miſera rerum facies fidem deroget, teſtis eſt Iſaias cap. 53. qui cum dixiſſet de Chriſto; *Non eſt ſpecies ei, neq; decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus*: adjecit; *Unde nec reputavimus eum.* Teſtes ſunt Iſraëlitæ, qui cum (ut habetur 1. Regum 8.) veniſſent ad Samuelem in Rhamata, petijſſentque conſtitui ſibi Regem, ubi electus is eſſet; ab aliquibus, qui præſentem conſpicati ſunt deſpectus eſt, & dixerũt: *Num ſalvare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum*, ut habetur eodem libro cap. 11. eum, inquam, qui non infans, & imbecillis erat, ſed qui humero eminebat ſuper omnem populum. Neque deeſſe poſſunt exempla, quæ cùm memoriâ patrum, tum noſtrâ acciderunt eorum, qui præſentes & coram poſiti deſpicatui habiti ſunt, cum longè diſſiti in omni apud omnes eſſent veneratione: quale eſt, quod narrat S. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 5. de Conſtantio manſionario Eccleſiæ S. Stephani, & Cæſar Baronius de Hildebrando Nuncio Apoſtolico in Germania; & his recentiora non deſunt: ut veriſſimum ſit apud complures è vulgo, illud, quod diverbio dicitur, id eſt, *Minuit præſentia famam.* Non ſanè vulgaris fæmina fuit MARIA, quæve extimam rerum ſuperficiem duntaxat conſideraret, ita ut aliquando in ejus cor inciderit ejuſcemodi cogitatio, & apud ſe animo voluerit illud: Num ſalvare nos poterit

Iſaiæ c. 53.

S. Gregor.

Baronius ad annũ Chriſti 1061 circa medium t. 11.

poterit iſte? Sed veluti ænea columna perſtabat in Fide, nec vnquam res ulla tanta accidit per id tempus, quo unà Chriſtus & MARIA cohabitârunt, propter quam à Fide, vel tantillum dimoveri potuerit. Quòd ſi tu fortè iſta non miraris, eò quòd & ipſe credas, quæ MARIA credidit, hoc eſt, quoniam JESVS eſt Dei filius, verusq; Deus: atqui dico tibi, quia neque tu Chriſtum in cunis vagitum edentem, & infantulum bipalmarem vidiſti, nec deinceps in cruce pendentem, hoc eſt, *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*; at MARIÆ, in eo ipſo articulo temporis, *Dei virtutem, & Dei Sapientiam*.

1. Cor. 1.

§. V.

Quòd MARIÆ Fides in eo etiam maximè enituerit, quòd pene ſola in Fide Chriſti permanſerit Paſſionis tempore.

QVemadmodum nullam ea res habet modò admirationem, quòd quis in Chriſtum credat; immò, S. Auguſtino teſte, *Quoddam miraculum is eſſet, qui Mundo credente, credere nollet*: Ita ſingularis planè ea Fides eſt, quæ contra torrentem nititur, & perſtat pene omnibus diſſentientibus; quò fit etiam, ut magis probata habeatur Fides eorũ, atque robuſtior, qui degunt inter hæreticos, ſive à cognitione veritatis alienos; cum enim inhumanũ videatur ab omnibus, inter quos vivas, opinione ſententiaq; diſcrepare; difficillimum etiam redditur, ſi

Libro 22 de civit. cap. 8.

tur, ſi

tur, si quasi existimari velis, præ reliquis omnibus solus sapere. Elevavit quorundam fidem (ut legisse me memini) gravissimus vir, cum enim is in quorundam vitæ licentiam inveheretur, ijque de professione Fidei gloriari viderentur, quod non essent ab orthodoxa Fide alieni; *Quæ est*, ajebat, *hæc Fides vestra, operibus bonis destituta, cum eandem omnes circa vos positi Fidei regulam teneant? agite, si audetis, & ingredimini urbem, vosq; palam non esse Christianos dicatis; nonne statim à concitata multitudine lapidibus obruemini?* Vt igitur credere, quod omnes credunt, admirabile non est; ita excellentissimum est, adeo sibi in Fide constare, ut repugnantibus omnibus, tu tamen in transversum nihil agâre. Atq; idcirco Tob.cap. 1. laudatur Tobias senior, quod cum omnes irent ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel. Præclarum omnino est, prolabentibus omnibus, aut titubantibus, te solum firmiter atque inconcussum stare: hoc est, quod S. Gregorius 1. moral. in magna laude Jobi posuit, quod non solùm vir simplex & rectus esset, sed talis etiam in terra Hus, sibi constiterit: *Neque enim* (S. Papa ait) *laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis; sicut enim gravioris culpæ est, inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse*; cumque cæteras virtutes inter homines vitiosos colere, semper difficillimum sit, tum vero Fidem tenere, & religione ab omnibus discrepare, hoc sanè non vulgarem habet difficultatem.

Tobias

S. Gregorius

Ergo cum totius vrbis illuſtriſſimæ clamoribus, poſtularetur Chriſtus ad necem, & ipſe *Effuſus eſſet tanquam aqua, factus ſicut homo, qui non habet redargutionem in gutture ſuo,* quique juxta illum erant, jam de longè ſtarent; quid dico? *Cum eſſet opprobrium hominum factus, & abjectio plebis*; cum prodidiſſet eum Judas; ſe diſcipulum ejus negaſſet Petrus; cæteri fugâ dilapſi: *Stabat juxta crucem Mater IESV,* non magis ſitu corporis, quam Fidei ſtabile figens veſtigium; quem enim acerrimè cruciari videbat, & ſub oculis ſuis, inter graviſſima tormenta emori, eum Fide pari confitebatur Deum, quâ patrantem miracula, & adoratum á Magis crediderat: qua in re non ſolùm laudo Fidem, nam & in Apoſtolis perſtitiſſe, (etſi nõ omnibus) arbitror; hoc eſt: Apoſtolos retinuiſſe quidem divinitatis Chriſti fidem; & quòd ipſe eſſet in lege promiſſus, at imbecillā tempore tridui, eam fidem fuiſſe; Imo articulum reſurrectionis prorſus eos non credidiſſe affirmo, non tam diffidentiâ adverſus Chriſti pollicitationem; ſed quod eam rem penitus animo non imbiberāt; non igitur inquam, quancunq; fidem laudo, ſed cõſtãtiam, firmitatemque in credendo, quippe nec ſiniſtrâ vllâ cogitatione, aut animi inclinatione, concuſſa vnquam fuit, ſed in omni eventu, & adverſo caſu imperterrita, nunquam vel leviſſimo motu, vel per ſubreptionem veluti nutavit. Verùm, ut S. Ambroſius aſſerit in pſalm. 118. *Spiritus ejus in patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulſus evanuit.* Hoc eſt, quod dicimus proprium, planeque ſingulare fuiſſe in MARIA, quæ verè ſola permãſit in tentationibus Chriſti, ut offen-

diculum

Pſalm. 37.

Pſalm. 21.

Belarm. l. 3. de Eccl. militãte c. 16. & ſic exponi commode poteſt S. Bernard. de lamẽtatione Virginis circa medium.

S. Ambroſ.

diculum nullum, ullo vnquam tempore passa sit. Latro quidem confessus est Christum, etsi de cruce pendentem, sed paulò ante illam cõfessionem; blasphemus, & maledicus in ipsum fuit. Apostoli quoque cespitârunt in Fide; neq; enim falsus fuit Christus, qui prædixerat eis: *Omnes Scandulum patiemini in me in ista nocte; sed non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Matthæi 26 Prover. ult. Cujus porrò prædixit Salomon non non extinguendam esse lucernam, hoc est, Fidem, instar faculæ ardentis, inter adversantes sibi ventos in turbine, & procellâ, cumq; gravissima ingrueret tempestas, ardentem semper esse perseveraturam, nisi MARIÆ? Ita, ut quemadmodum Verbum caro factum luxit in tenebris, sic MARIA in caligine densissimâ lucis suæ radios emiserit. Atque huc fortasse spectat Ecclesiæ ritus is, cum in majori hebdomada extinctis reliquis luminibus, vnum reservatur, quôd MARIA de lumine suo Fidei nihil remiserit, sed firmissima in Fide resurrectionis perseveraverit. Alex. Alensis lo. de turre apud Bell. l. 6. MARIA igitur est, MARIA est illa mulier fortis, cujus extincta non est lucerna in nocte. Abulensis q. 14. prologi in Matth. Vos quidem Apostoli, vos, qui aliquando uno ore pronunciastis: *Tu es Christus filius Dei benedicti, qui in hunc mundum venisti*; Matthæi 16 vos scandalum passi estis in nocte illa: sed *Non extinguitur in nocte lucerna* MARIÆ. Et mihi quidem facilè persvadeo ut credam; hanc in rem, hoc est in MARIANÆ Fidei constantiam, quam tenuit in obscurissima illa, & tenebrosa Passionis nocte, prospectasse, inquã, Deum, cum per Moysen divino spiritu afflatum, Exodi 27. Exodi 27. ita faciendum statuit: *Præcipe filijs Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloq; contusum,*

tuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij, extra velum, quod oppanſum eſt teſtimonio,& collocabunt eam Aaron, & filij ejus ut vſq; manè ardeat corā Domino. Ardet, ardet, & ludit in puriſſimo oleo flammula, id eſt in integerrima Virgine lucet Fides, & nullo vnquā tempore non perſtat. Vbi autem lucet? nonñe in tabernaculo teſtimonij extra velum, quod oppoſitum eſt teſtimonio? Tabernaculū teſtimonij fuit Chriſtus, quando *Teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem:* Regnum videlicet ſuum nō eſſe de hoc Mundo, ſeq; filium Dei eſſe benedictum. Hoc porrò teſtimonium infidelitas Judæorum tanquam velum oppacabat, & illud occulebat. Sed extra velum lucerna ardet, id eſt, MARIA Fide ſua illuminat ipſas tenebras, nec ſinit veritatem Dei in occulto detineri. Ibi rutilabat MARIÆ Fides, ubi obſcurata, & obſcurantia deliteſcebāt Judæorum corda. Nec te prætereat, quòd non ſupervacaneum ſit illud, quod additur, hoc eſt ut vſque manè luceret coram Domino; eò quòd MARIA Virgo vſque ad crepuſculum ſurgētis à morte Chriſti, in Fide reſurrectionis perſeverârit. Arſit ergo vſque manè; quoniam *Surgens manè IESVS primâ Sabbathi*; apparuit (citra omne dibium) primò Matri ſuæ, quæ cum reſurrexiſſe filium videret, extincta eſt Fides reſurrectionis filij ſui, *Quod enim videt quis, quid ſperat?* Nunc demum aſſequor, percipioq; ô nimium inclyta Virgo Dei genitrix MARIA, cur ſingulariter tibi ſic accinat Eccleſia: Gaude MARIA Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniverſo Mundo: *Hac eſt enim victoria, quæ vincit Mundum Fides noſtra; & quis eſt, qui*

1. ad Timothei 6.

1. Ioan. 5.

est, qui vincit Mundum, nisi qui credit, quoniam IESVS *est filius Dei?* Cumq; hoc singulariter crediderit MARIA, quæ ab hac Fide nunquam recessit aut in ea titubavit; meritò Fides ipsius victrix Mũdi censenda est. Ipsa enim Apostolos in Fide firmando, docendoque, hæreses conculcavit; ipsi trophæum de prostrata hæresi præcipuè debetur, quæ credendo præcipua fuit. Ergo quod Apostoli omnes, Apostolicique viri præstiterunt in eliminanda hæresi; totum redundat in MARIAM, quæ Magistra Apostolorum, & Regina Doctorum cognominatur, & meritò Virgo fidelis appellatur.

CAPVT VII.

De Beatæ MARIÆ præstantissima Spe.

§. 1. Excellentia spei, quâ B. Virgo MARIA *pollebat trifariam ostenditur.*

§. 2. MARIÆ *spes maxima fuit, quòd nullius peccati esset sibi conscia.*

§. 3. Ex eo quòd MARIA *clientes suos minimè à se alienos arbitretur; non solum sibi sperabat, sed ijs veluti suis modo bene sperat.*

§. 4. Tres aliæ causæ afferuntur, ob quas asserere oporteat B. Virginis spem fuisse maximam.

Procemium.

SI vir planè pius, vereque optimus, Sanctus, inquam, Paulinus Nolæ Episcopus, sic Deum potuit

bus liq ueſcebat, geſtiebatq; circumvolui collo filij ſui, vultum diſſuaviari, ejuſq; conſpectu frui, & alloquio beari? Quod ſi naturæ impetui, qui ferventiſſimus eſt in matribus erga filios, gratiæ addamus impulſum, quo ad veram beatitudinem deſiderandam impellimur, neceſſe eſt dicere; Spem Virginis, ſtudiumve conquieſcendi in Deo, planè fuiſſe incredibile, & quaſi inſtar Babylonicæ fornacis æſtuaſſe cor MARIÆ deſiderio fruendi Deo: ſicut enim cum fornax illa flammis latè exundaret, nihilominus quo vehemētiùs exarderet, injecerunt naphtam, & ſtuppam, & picem, & malleolos, optimum videlicet ignis pabulum; Sic cum Maternitatis indoles magnū cæteroquin habeat ad filij præſentiam, conſvetudinemq; exoptandam incitamentum; attamen cum ad id reliquæ nobiſcum communes acceſſerint cauſæ, ut quod creatura creatori ſuo adhærere expoſcat propterea quod ipſe beatitudo noſtra ſit, & finis propter quem conditi ſumus; quis jam oratione complecti valeat, quàm fuerit in Dei Matre æſtuans deſiderium videndi Dei ſui, filij ſui, & omnis boni? Nō ita peregrinus ad patriam, aut captivus ad libertatem, non ſic arida ſiti anhelat ad fontē cerva; quantùm auebat MARIA ſuo perfrui creatore & filio. Cumq; in omni vita deſiderio vidēdi Dei flagraret, tum vero maximè exarſit, cum ab ejus oculis ſubductus in cælos aſſumptus fuit. Etenim ſi Magdalena ad exanime Chriſti corpus (ut illa quidem ſuſpicabatur) ſic impatienter aſpirabat; quo ferebatur cupiditatis æſtu MARIA, videndi filium ſuum? quem quidem gerebat in animo, ſed quoad ejus duntaxat

Daniel 3.

ſimili-

ſimilitudinem (cum ſemper de dilecto cogitaret) & idcirco dictum putemus Danielis 3. quod ſpecies quarti, eorum ſcilicet, qui erant intra fornacem, ſimilis eſſet filio Dei: fornax erat MARIA filij ſui deſiderio accenſiſſima, qui vtique filius eſt figura & imago Patris. Atque ut Spei iſtius MARIANÆ, quæ aliud eſt nihil, quàm ſitis quædam ardentiſſima admovendi labia perenni illi fonti, qui bibitur, & nunquam bibendo faſtiditur, non quaſi hydropicorum vitio, ſed beatitatis ipſius beneficio, quæ dum affatim hauritur, hauſta ſititur, & quamvis imbibita repleat, attamen ſemper voluptuoſè potatur: Vt igitur, inquam, Spei iſtius magnitudinem in Dei genitrice, quomodo poſſumus, explicemus; illud nobis veniat in mẽtem; MARIAM ab omni alia cupiditate fuiſſe quàm liberrimam, propterea quod nullius alterius rei, quàm Dei vnius tangeretur deſiderio. Cum enim carere omni ſolatio poſſit nemo, ſi quis vnum aliquid habeat, in quo vnicè afficiatur; quo minùs ad alia diſtrahitur; tantò magis gliſcit appetitus, & deſiderium fervet, cum in plura ſtudium non diſſipetur. Duo quippe ſunt, quæ deſiderium accendũt, & ad optatæ rei acquiſitionem animum vehementer exſtimulant: alterum eſt, ſi nimirum ad fruendum re concupitâ perquam idoneus ſit, propter ea quod polleat facultate, quâ inſtructus ſit oportet, qui re quâpiam potiturus eſt, quale eſt charitas, magna enim charitas, magnum animi, ſeu voluntatis pondus eſt ad fruẽdum Deo; alterum, ſi nullâ præterea teneatur cupiditate animus, vt ſic omnibus exſolutus litijs libere & totus in vnum aliquid incumbat. His

Daniel 3.

2. Ratio.

Ad Coloſſ. 1. ad Heb. 1.

batur. His igitur duobus veluti calcaribus non arbitror acriorem ſubdi homini ſtimulum poſſe, ad aliquid effræni quodam ſtudio indipiſcendum: ipſa enim potiundi expeditiſſima facultas, cùm per ſe magnum præbeat incitamentum, ac ſine intermiſſione deſiderium exacuat; ſi ad hoc accedat, nullam rem aliam in votis eſſe amanti, quàm illud vnum quod amat; quem expectationis æſtum, quem deſiderij fervorem, & impetum fore putabimus? Vt enim ſi cui è plurium dierum inedia laboranti, illud vnum edulij genus, quo delectatur, obſonetur, quam ejus cibi ſumendi aviditatem, aut potius orexin futuram cenſeamus? Atqui verò ad incitandam B. Virginis Spem, expectationemq; beatitudinis, vtrumque illud in ea reperiebatur; quippe cujus anima non ſolùm eſſet felicitatis perquà capax, ſed etiam ea ipſa id vnum foret, quod ſummo deſiderio prehenſabat. Exſoluta ergo pedicis rerum creatarũ MARIA, pleniſſimo curſu provehebatur in Deum, à quo nulla res ipſam avocabat; hunc ſolum ſperabat mercedem magnam nimis; ipſa dicere poterat: *In te Domine ſperavi, & non confundar: Scio cui credidi, & certa ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare*; quamvis ea vox MARIÆ magis ſit propria: *Vnam* ſcilicet *petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ*; hæc vtique repoſita erat ſpes in ſinu Virginis, eratq; ſpes iſta inſtar faſciæ pectoralis; in ea ſolatiabatur. Quòd ſi igitur partes animæ ſuæ, ſeu affectionis, quâ nobis bona exoptamus, non diſpertiebat in alia, atque alia ſtudia; neceſſe eſt dicere; vehemens planè fuiſſe deſiderium,

Gen. 15.
2. ad tim. 1.
Pſalm. 26.
Iob. 19.

& vſque ad animi deliquium; ſic enim de ſe refert David pſal. 72. *Renuit conſolari anima mea*; quid verò hinc conſecutum eſt, ô Rex, cum ex rebus creatis nullam percipere oblectationem velles? ſubijcit: *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit Spiritus meus.* Quod ſi Propheta cùm cæteris omnibus nuncium remitteret, adeo æſtuabat, ut anima eum deficeret, præ deſiderio Dei ſui, quid cenſebimus de MARIA, quæ nō in die tribulationis modò, ut David, ſed per omnem vitam renuebat conſolationem ex alia quacunque re percipere præterquam ex Deo? Nos quidem ob conditionis noſtræ imbecillitatem, ita delectamur in Domino, ut tamē de ſolo Deo non gaudeamus; itaque ſperamus futura bona, ut præſentia ſaltem aliqua ſimul concupiſcamus; more videlicet claudorum, qui dum latus vnum attollunt, alterum deprimunt: cæleſtia quidem ſperamus, & vnà terrenis afficimur; & ſi extollimur deſiderio ſupernorum, infimorum amore ſubſidimus; & ſi volumus verum dicere; quotuſquiſque eſt, qui ſic è cælo ſuſpenſus per deſideriū ſit, ut non habeat humanæ conſolationis aliquid? MARIA eſt roſa inter ſpinas; neque potuit ipſius deſiderium non eſſe puriſſimum, atque ſimpliciſſimū, ut ſi etiam quapiam in re alia oblectaretur aliquando, ad authorem, & fontem illius boni cogitatum transferebat, ac è veſtigio bonitatis in re quapiam impreſſo, tanquam ſagax & ſolertiſſima fæminarū, odorabatur illum, qui fixerat illud, ita ut omnia ſuavia, ac læta, non ex ſe ſe, verùm ex cogitata Dei ſuavitate, & pulchritudine MARIÆ animum recrearent;

David, pſ. 72.

rerit; quare ſi quid exoptabat ſibi, deſiderium hujuſcemodi regebatur ab eo, quod debet eſſe norma omnium deſideriorum, videlicet à vitâ æternâ, ad quam vnicè aſpirabat, eamq; in omni deſiderabili veluti præguſtabat. Numquid non dicit hoc ipſa, quando in Canticis cap. 6. 7. de alio non loquitur, quàm de dilecto? *Dilectus meus mihi,* inquit, *& ego illi; Et ego Dilecto meo, & dilectus meus mihi;* Et, *ego dilecto meo, & ad me converſio ejus;* ſi vult deſcendere in hortum, requirit dilectum, ut ſecum eat; ſi ſe dilectus ſubducit, non conquieſcit, donec inveniat, nec diſiſtit à quærendo, quantumvis verberetur, ſpolieturq;: per quæ omnia, in libro Canticorum expreſſa, delineata fuit ea, de qua loquimur MARIÆ Spes, ſeu quòd omne ſuum deſiderium verſaretur aſſiduè cum Deo filio ſuo, qui dicitur ibidem dilectus ex dilecto. Et rem ita ſe habere, authoritate inprimis S. Pauli conſtat, tum Eccleſiæ: cum enim Beatiſſima Virgo poſt filij ſui in cælos aſcenſum, ab omni harum rerum, quæ videntur deſiderio ac cupiditate eſſet aliena; cum interea tamen fieri non poſſit, ut humanus animus nihil omnino concupiſcat, quando deſiſtere ab amore ſui nemo poteſt, aliquid etiam eam appetijſſe oportet, atque erga idipſum vehementer fuiſſe affectam: & quid porrò eſſet aliud, quàm id, quod ſingulariter expectandum eſſe, S. Paulus Apoſtolus eſt author? ſic enim is 1. ad Timot. 5. *Quæ autem,* inquit, *verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus, nocte & die.* Quam enim Apoſtolus verè viduam vocat aliam, quàm quæ omni prorſus caret

Cantic.

3. *Ratio.*

1. *ad. Tim.* 5.

Digitized by Google

hujs vitæ ſolatio? huic Spem in Deum, & obſecrationes, & orationes, nocte & die indicit. Præcucurrit facto, dictum ſapientis Virgo MARIA: cum enim aditum ad ſe omni humanæ conſolationi intercluſiſſet, ſperabat in Deum, & velut in medio mari cõſtituta, longeq; à terra poſita, Spei jaciebat anchoram. & quidem hoc ſuper argumento egi aliàs in Iſagogo Religioſæ perfectionis, qui tamen non dum lucem aſpexit: cum oſtenderem, quòd indifferens Deo tanquam centro & baſi ſuæ inhæreat, & pulcherrimo Eſtheris confirmavi exemplo, cujus illa verba ſunt Deum alloquentis: *Noſti, quod nunquam lætata ſit ancilla tua, niſi in te, Deus Abraham.* Enim vero ſi ea, quæ fuit MARIÆ typus & imago, ſic affecta bene fuit; quid de ipſa Dei genitrice ſuſpicabimur, quando ejus etiam vmbræ, ita reſplendent. Atq; ea de cauſa; MARIA Regina Cõfeſſorum appellata eſt: quippe eos hoc nomine, videlicet Confeſſorum afficimus, qui terrenorum ſtudio ſepoſito, vni & ſummo inhærent bono, quique nihil præter id habent in votis, quàm ut cæleſtem adeant hæreditatem, Deoque tandem perfruantur, huc anhelant, huc ſuſpirant, hujus rei gratiâ longæ peregrinationis tædia ſufferunt, & tanquam Jacob ſic affecti ſunt; is quippe præ magnitudine amoris, ac Spei potiundæ *Gen. 29.* Rachelis, quæ vitæ beatæ imaginem geſſit, moleſtias longè graviſſimas vix ſenſit, quid enim aluit, ſuſtentavitq; Confeſſores in vitæ aſperitate, atque diuturnitate, quã Spes patriæ, verarumq; ibi deliciarum? Ergo dum MARIA Regina Confeſſorum dicitur, lõganimitate Spei omnibus præſtitiſſe declaratur.

§. II. Ma-

§. II.

MARIÆ Spes maxima fuit, quòd nullius peccati eſſet ſibi conſcia.

CVm juxta Iſaiæ vaticinium, ea ſit iniquitatum noſtrarum natura, ut ſint nobis inſtar obicis, quo minus accedere ad Deum valeamus: *Iniquitates veſtræ* (inquit Iſaias) *diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum*: Et verò etiam cum vice verſâ, opera juſta fiduciæ latum præbeant iter; vnde ſe ſe animabat Hilario in articulo mortis ſuæ dicens: *Septuaginta annis ſerviſti Domino, & egredi times? egredere anima mea*: hinc ſanè fit, ut quantum pietas Spem accendit; tantundem malorum operum conſcientia eam infirmet, atque debilitet. Atque hoc eſt, quod MARIÆ Spem quàm maximam fuiſſe oſtendit, & hoc loco eſt digniſſimum conſideratione: quis enim præter ipſum Chriſtum, alius hominum aliquando fuit ſic ab omni noxa, & nævo etiam leviſſimo Solutus, ac MARIA? quæ omni prorſus labe, etiam quæ naturæ eſt caruit? Nullius igitur etiam expeditior, & concitatior affectio ad Deum videndum, gaudendumque ex eo, quàm MARIÆ. Nam præterquam quòd nullâ hujus vitæ illecebrâ tenebatur, nullo etiam peccati quaſi vinculo irretiebatur; ſed impedimentis his quaſi Spei tricis, & litijs amotis, celerrimo cordis motu, qui pes animæ eſt, ad concupiſcenda divina provehebatur. Lego quidem ipſam aliquãdo cum feſtinatione abijſſe in mõtana;

Cap. 59.

Breviariũ. Rom. lect. 3.

Lucæ 1.

tana; ſed velocior hic erat greſſus, quo (ex Dei placito) affectabat terminum viæ, ſeu peregrinationis attingere. O verè *pulchra (filia principis) greſſus tui in* Cantic. 7. *calceamentis*! quàm planũ ſortita es iter, in quò nuſquam offendis; via eſt optima, quia vita fuit MARIÆ prorſus innoxia; curſus velox, quia ſtudium vehemens. Habuêre cæteri plerique Sanctorum aliquid, quo veluti remorderentur, & quaſi retardarentur: Eccleſ. 9. *Quis enim ſcit, an odio, vel amore dignus ſit?* Quis perſeverantiæ palmam ita ſibi adpromiſit, ut de conſequenda nihil trepidet? Arietes Eccleſiæ expaverunt; quid faciet agnus? MARIA ita ſperabat, ut nullâ perdendæ beatitudinis formidine tangeretur. Nam cum nullius eſſet ſibi mali conſcia, & fiduciâ in Deum præcelleret; hiſce quaſi alis duabus, pernici volatu ferebatur in id, quod ſummopere optabat. Ecquid à filio non ſperaret Mater, quæ ſingulariter electam ſe eſſe, & benedictam inter mulieres, ore Angelico promulgatam, non ignoraret? Ex ijs, quæ jam ſibi collata videbat, hilareſcebat animus firmâ conſtantiq; expectatione futurorum bonorum. Tepeſit profectò præteritorum recordatione delictorum deſiderium gloriæ; neque ſolùm de- Pſalm. 50. bilitat Spem malefactorum conſcientia, ſed etiam incerta, & occulta divinæ Sapientiæ; *Quis enim co-* Ad Rom. 11. *gnovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* At Spes MARIÆ, ſive cæleſtium ejus bonorum expectatio, ſoluta his pedicis evolabat, nullâq; quaſi ſiniſtræ cogitationis remorâ præpediebatur; ſecura quippe erat de perſeverantia, non ignara innocentiæ, conſcia Dei benevolentiæ, & beneficijs innume-

ris cumulata, futuræ gloriæ pignus, quaſi manu tenebat. Ergo Spes MARIÆ rugam non faciebat, ſed explicata porrigebatur in Deum; neque enim aliquid animo ejus occurrebat, quod ſperantem ſuſpicione percelleret, aut timore labefactaret. Et quãvis timor perdendæ fruitionis ſum̃i boni è Spe, tanquam è radice exiliat, & opus Spei velint eſſe timorem, propterea quod amoris comes ſit metus adverſantis mali; & timorem jacturæ ejus boni, quod ſperatur è Spe velut enaſci: at minimè conſequens eſt omnem eum, qui ſperat etiam timere; quid ſi enim valde animo confidat, & præterea nulla occurſet ratio, quæ ſollicitudinem injiciat perdẽdi, quod amatur? tunc enim profectò cohibetur timor, ne percellat; & animo vacuo eſt, quiſquis timendi cauſam non habet; tametſi etiam, qui ſperant, timendi non careant facultate. Ergo MARIÆ animus, Spiritus Sancti pinguedine opîmus non ſperabat timendo, ne à Spe ſua excideret, ſed ejus Spes aſſidua erat, impenſaque gloriæ expectatio, non de illius amiſſione trepidatio. Quis mihi det, ô MARIA, animum tuum de infimis his, & citerioribus penſi nihil habentem, totumq; ad futura bona converſum contemplari? quàm bene dictum eſt, quod *Pulchra ſis ut luna*: vtique qualis eſt cûm ſuppoſita ſoli, in aſpectu quidem ad hæc ima, & terrena palleſcit, ad ſuperna vero ex ſuperinfuſo lumine tota irradiatur; cum enim aures cordis tui ad hæc ſupina, & caduca veluti obſurdeſcerent, animus tuus in expectatione, deſiderioq; cæleſtium hilareſcebat. *Cantic. 6.*

§. III.

§. III.

Ex eo, quòd MARIA clientes ſuos alienos à ſe minimè arbitretur; non ſolum ſibi ſperabat, ſed iis veluti ſuis modò bene ſperat.

QVæ Miſericordiæ Mater eſt, neminem ducit à ſe alienum, qui filio ſuo fuerit Sacramento Baptiſmi initiatus; non ſolùm ſibi gloriam cum inter mortales ageret expectabat, ſed eandem cum alijs quoque comunicandam jam ſperat: quemadmodum enim Virgo Sanctiſſima filio ſuo reſurrectionem ſperavit, neque fiduciâ hâc infirmata eſt cum videret emortuum filij corpus, exſangue, terræq; mandatum, & vix alius præter eam ſupereſſet, qui hâc ſpe orbitatem ejus ſolaretur; ut

13. v. 15. verè cum Jobo dicere potuerit: *Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum:* Etenim cum ſublatum eſſet de cruce maceratum corpus, & non ſolùm manibus ac pedibus, ſed ipſo corde transfoſſum, illatum in ſepulchrum, obtenſum immane ſaxum, cuſtodes adhibiti, abacti amici omnes; nihil tamen inter hæc vacillavit MARIÆ Spes, ſed illud ipſum corpus ſic affectũ, maleq; habitum, tertia die redivivum, nec redivivũ modò, ſed etiam glorioſum ſibi affuturum ſperavit: Sicut, inquam, hanc filio ſuo gloriam, quod ſuus eſſet, ſperabat Mater; nobis etiam, quos in ſuis connumerat, ſperat; & veluti de proprio, gaudet de bono noſtro. Quæ autem nobis ſperat, ſunt illa: gratia, cui

tia, cui reſpondeamus, & ſic à pravitate vitæ reſipiſcentes Deo reconciliemur; ſperat eos, qui divinæ jam conſortes facti ſunt naturæ promoturos indies ad meliora. Atque ut hoc quale ſit, meliùs intelligamus; perpendamus oportet Dei genitricem non ignoràſſe id quod docturus fuerat S. Paulus, & ſic priori ad Corinth. cap. 3. ſcriptum reliquit: *Omnia*, inquit, *veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive Mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia enim veſtra ſunt.* Quòd ſi hoc non ignoravit MARIA, & quòd charitate abundaret, omnia veluti propria arbitrabatur; quæcunque alijs obvenire poterant commoda, quaſi ſibimet eſſent eventura, ſperabat. Cum enim Spes ad concupiſcendi appetitionem ſpectet; ſi quempiam quaſi alterum ſe aliquis autumet; ſibi ſperat, quod alteri optare bonum videtur: & quò quiſque ardentiore alios charitate complectitur, quæ facit è pluribus cor vnum, & animam unam; tantò etiam ardentiùs bona ijs ſperat, quos diligit: Sperat, inquam, quia bona charorum, & emolumenta, ſua putat. Si enim Pater, ſi Mater, bene ſibi ominantur de filio, quòd excellens, raruſq; futurus ſit vir; eorumq; veriſſima Spes eſt, quòd filius res quædam parentum ſit: pari ratione MARIÆ concepta de nobis Spes, veriſſima Spes eſt. Audiamus S. Paulum ad Philippenſes ſcribentem, qui eam fiduciæ, & Spei ſuæ, quâ de ipſis nitebatur, cauſam reddit, quod eoſdemmet Philippenſes haberet ſibi obſtrictiſſimos, nihilq; à ſe duceret alienos: *Confido* (inquit ille) *hoc: quia, qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem IESV Chriſti, ſicut eſt*

S. Paulus.

Cap. 1.

eut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis. Edic, quæſo, cauſam, divine Paule hujus abs te conceptæ de Philippenſibus fiduciæ, atq; Spei: *Eò quòd habeã, inquit, vos in corde:* Cauſa Spei meæ pro vobis eſt amor is, quo vos complector; non enim exteri eſtis mihi, ſed in corde, & oculis vos gero, & cum de vobis bene ſpero, quaſi mea curo; neque enim à me diſcrepatis, qui cordi meo inſiti eſtis. Quod igitur animabus, quæ Deo fruuntur vſuvenit, ut aliquo deſiderio ad ſua corpora reflectantur, propterea quòd ſua ſunt: hoc accidit MARIÆ, quæ licet ex illo perenni beatitudinis fonte, ardentiſſimam ſuam illam ſitim expleat, attamen curam noſtri non dimittit, expectatq; nobis tanquam ſibi inſuper aliquid. Vt ſi mater menſæ omni lautitiarum genere inſtructiſſimæ accumbens, recordetur filiorum ſuorum, & cupiat in eâdem ſecum cæna verſari, & brevi affuturos eſſe confidat. Et debet hæc MARIÆ de nobis Spes magnam afferre animo noſtro voluptatem, cũ dubitare non poſſimus, quin ea nobis bona cæleſtia ſperet, & ſpem amantiſſimæ Matris defraudari non patietur filius. Multum quidem facit ad charitatis oſtenſionem, ſi prolixo quodam verborum ambitu, bona cuncta mihi preceris; ſi etiam reipſa benefacias; ſi commodis meis videâre ſtudere: neſcio tamen quo pacto magis afficeret animum, ſi ipſum benefacientis animum videre liceret, eamq; Spem, expectationemq; quam de ſecundis rebus meis penitus animo imbibit: hoc enim non poteſt aliunde naſci, quàm ex eo quòd me jam in ſua receperit, ſimque vel aliquid ipſius, vel alter ipſe. Et verò ad amoris te-

ris tenerrimi ſignificationem adblandientes, in ipſo amoris deliquio, ſic inter amplexus, & oſcula, alloqui ſe ſolent amantes, & viciſſim inhalare ſibi amorem, dum quiſque quem amat, ſuum eſſe affirmat, fitq; Paulus Petri, & Petrus Pauli, uti dicebat Chriſtus Joann. 17. *Rogo pro eis, quos dediſti mihi, quia tui ſunt, & mea omnia tua ſunt, & tua mea.* Hinc pater ille familias Lucæ cap. 15. ad inſinuandum amorem erga filium ſuum, qui ſtomachabatur, quaſi minùs diligeretur, ſic eum allocutus eſt: *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Quid autem hujuſmodi loquendi formula aliud ſibi volunt declarare amantes, quàm qantus ſit eorum amor erga eos, quos amant? neque verò etiam major eſſe poteſt, quàm cum alterum ita diligimus, atque nos ipſos, aut tanquam aliquid ſpectans ad nos, & quaſi partem, ſeu dimidium noſtri. Vide ergo, quàm præclara Spes ſit Virginis, & quantam charitatem redoleat, dùm nobis bona ventura ſperat: Sperare enim alteri bonum non poſſumus, niſi ad nos quoquo modo pertineat, propterea quòd Spes concupiſcentiæ actio ſit; atqui concupiſcendi vis; bona, in quæ fertur, ad ſeſe refert; quaſi igitur ſibi ſperat Virgo Mater, cum ſperat ad beatitudinem nos eſſe perventuros: quodq; ipſa ſperet omne bonum nobis, omni dubio caret, cum oret pro nobis, & orare pro altero nemo poteſt, niſi Spe fulciatur obtinendi: excellitq; virtute Spei illa, quæ precum aſſiduitate omnibus antecellit. Et quoniam in MARIA excellentiſſima Spes eſt, accedit cum fiducia ad thronum gloriæ filij ſui: Spes præit ad preces, & in ipſis, tanquam

Ioan. 17.

Luca 15.

gemma inſeritur in palla: Spes MARIÆ ſpem omnibus facere poteſt, ajo etiam ſceleſtis, nefarijſq; hominibus, quique gravi peccatorũ ſarcinâ depreſſi ſunt, quòd redire in gratiam cum Domino poſſint. Et quando etiam tam enorme facinus eſſet, ut non quivis ea fretus eſſe Spe poſſet, quòd ſuis impetrare veniam precibus valeret, juxta id, quod à S. Joanne de peccato ad mortem dictum eſt, *Non dico ut quis oret*; nunquam tamen Mater Dei vllius immenſitate criminis deterreri poterit à Spe veniæ. Novit quippe ipſa præ cæteris multò perſpicaciùs, & clariùs divinæ Miſericordiæ abundantiam, vimq; dolorum, quos filius ſuus ſuſtinuit; quare ſpem habet planè roboream, & non ignara divitiarum, ac munificentiæ Dei, audet etiam pro ſceleſtiſſimis Deum exorare. Vt enim ſi pro perduellionis reo, pariter ſupplicatum eant Regis Mater & Servus, quis dubitat longè majorem Matris ſpem, de obtinendo, quod vult, eſſe futuram, quàm ſervi? nam etſi vna eademq; perſona ſit, à qua poſcitur; diverſi tamen ſunt ij, qui poſtulant; & non habet idem pondus oratio ſervi, quam Matris. Non ignorat hoc Dei genitrix, multùm ſcilicet ſuas, apud Deum preces valere, ſatque multis jam experimentis edocta eſt, filium poſtulationibus Matris deferre. En vinum defecerat in Cana Galilææ, & quâ fiduciâ obtinendi, veluti ſuggerendo poſtulavit? Vinum, inquit, non habent: Cumq; filius ad eam poſtulationem retuliſſet, quo id ſua non intereſſe oſtendebat; inſtitit tamen, & perſeveravit petendo, votiq; compos facta eſt, neq; Spe ſuâ vſquam fruſtrata eſt. Vt enim idem ipſe Chriſtus, ad

1. Epiſt. c. 5.

ſtus, ad ejus fidem publicandam, ac Spem; Syrophæniſſæ nihil reſpondit, ita potuit facere cum MARIA, ut quanta Matris ſuæ eſſet fiducia, propalam oſtenderet: nam cum etiam in ſpeciem paſſa eſſet repulſam, attamen inſtitit: res tamen non vulgaris erat quæ petebatur, & proinde Spe magnâ opus fuit. Quòd ſi non eſt diffiſa Dei Mater de poſtulationis ſuæ bono optatoque eventu, ad ſitim ſcilicet levandam, ad convivarum hilaritatem, ad evitandam domeſticorum verecundiam: quâ Spe freta poſtulat pro animæ noſtræ incolumitate, pro gloriâ, pro ſempiternâ arcendâ infamiâ, è ſummi boni jactura? Euge anima mea, poſtulante MARIA, & bene ſperâte quid trepidas? quid ſubvereris? aut quid diſcruciaris? Tantùm hoc age, ut eam habeas Patronam; & ſi verbum in tuâ cauſâ protulerit, peroratum erit, neque enim aliquando patietur optimus JESVS ut Spes Matris fallatur; nam ſi patrocinatur, vtique ſperat; & Spes tantæ Matris irritam habere poſtulationem quî poſteſt? *Matthæi 15.*

§. IV.

Tres aliæ cauſæ afferuntur, ob quas aſſerere oporteat, B. Virginis Spem fuiſſe maximam.

SI de Beatiſſimæ Matris magnitudine Spei conjecturam facere velimus, hoc eſt quâta fuerit; Spei ipſius excellentiam conſideremus: neque enim dubitare faſt eſt, quin SS. Virgo in id obſequij *1. Ratio.*

genus tota incubuerit, quod Deo perquam honorificum, gratumq́; autumabat eſſe futurum. Enimvero ſi divinus ille David, idcirco *Vir ſecundum cor Dei* fuiſſe dicitur, quòd totus è nutu Dei penderet, eiq; plurimùm confideret; quàm fidentem animi, & devoti Deo pectoris credamus fuiſſe illam, in qua vnicè ſibi SS. Trinitas complacuit? Et meritò ſanè amabilem Deo Spes facit: quid enim eſt Spes aliud, quàm expectatio ſummi boni, eorumque quæ ad illud veluti manuducunt; nec aliunde, quàm à munifica Dei manu? Cum enim hoc Deo ſit perquam honorificum, quòd maxima quæque ab ipſo ſperemus; decuit ut MARIA, quæ reliquo virtutum ornatu cæteros omnes anteſtat, ita & Spe præcellat; ut ea ratione amplius honoret filium, & Deum ſuum. Delectatur quippe Deus, cum videt oculos ſervorũ ſuorum non miſere ad creaturas reflexos, ſed ſurſum arrectos ad manus Domini ſui, donec ipſorum miſereatur. Quòd ſi enim ij, qui cultiores haberi volunt, & reipſa ſunt, ægerrimè ferunt, ſi quis de ipſorum liberalitate, gratificandiúe ſtudio aliquantum diffidat, eò quòd ſordidi, contractiq; animi habeatur, nolle ſua cum alijs communicare: obſequium profectò non vulgare præſtat is Deo, qui rectâ ſuffultus Spe, plurima ſe recepturum à Deo confidat. Sic enim, quiſquis ille eſt, Dei bonitatem, promptiſſimamq́; ad benefaciendum voluntatem ſperando manifeſtat; id quod valde jucundum Deo accidit: cum enim ſit bonitas ipſa, ac clementia delectatur, ſi quem ita animo comparatum videat, ut citra omnem trepidationem, atque tergiverſationem de ſua, hoc

Actorum 13.

Pſalm. 122.

sua, hoc est divina pietate confidat. Vt ergo MARIÆ cor thuribulum esset exhalans fragrantissimum odorem suavitatis, vsque ad Dei vultum, Spe solidissimâ, omnisq; dubitationis, seu anxietatis experte, Dei promissionem, & gratiam præstolabatur: ut vel Angeli sic sperãtem admirentur, & dicant: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, innixa super dilectum?* Verè Deo innititur, qui sperat; cum ipsum Dei auxilium ratio sperandi sit, & ansa; propterea quòd nisi ipso auxiliatore, pertingere ad id, quod appetimus, non valeamus. Est & aliud MARIANÆ Spei, quòd præstantissima sit, præcipuum argumentum, quod indicavit apertè S. David, cùm cecinit, vel eructavit illa psal. 9. *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum.* Is scilicet, cui aperti sunt thesauri bonitatis tuæ, cui divitiæ gloriæ, & gratiæ patent; is verò vel maximè speret: quòd si enim notitia bonitatis, potentiæ, munificentiæ spem accendit, & si etiam nulla creaturarum perspicacior est in Dei natura (quæ ipsa est bonitas) pervestiganda, quàm sit MARIA; in confesso debet esse, MARIAM Spe suâ, Spem omnem & expectationem cæterorum omnium supereminere. Quòd si etiam ad hæc Soritem illum, seu gradationem, quam confecit S. Paulus ad Romanos 5. capite, sequi velimus, atque ita cum Apostolo ratiocinari. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, Spes autem non confundit. Si, inquam, hujus generis ratiocinio vti velimus, & de gradu tribulationis, ad alterum patiẽtiæ, & ab hoc, ad probationem, seu probatissimam virtutem, & hinc tandem ad Spei MARIANÆ culmen conscen-

2. Ratio.

Psalm. 9.

3. Ratio.

Ad Rom. 5.

conſcendere: quis per has dimenſionum analogias, quàm celſa Spe nixa fuerit MARIA, indagare valebit? Cum ſicuti tribulationis, patientiæ, ac probationis, ita neque Spei faſtigium ſit vllum reperire. Vt enim ſi (quod in fabulis eſt) vi aliquâ gygantæâ, altiſſimo monti alius ſuperimponatur, & huic tertius, & tertio quartus addatur; atque poſtmodum in manu pygmæi collocetur perpendiculum, ut à pede mõtis primi dimetiatur quo vſque quarti montis cacumen pertingat: ita ſe res habet, ſi quis Spei MARIANÆ magnanimitatem quoquo modo explorare conetur. *Epilogus.* Hic ego puſillanimitatis meæ, atque diffidentiæ ſordes ab animo detergam, & Spei tantæ, quæ in Dei genitrice viſitur conſideratione; ad eandem erectus ſpem imitandam, incipiam cantare miſericordias Domini etiam in tempore peregrinationis meæ; & quaſi jam eripuiſſet animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, & pedes meos à lapſu; *Pſalm. 114.* Spe jam exuberante dicam: Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, Amen.

CAPVT VIII.

De Charitate Matris Dei MARIÆ.

§. 1. Magnitudo Charitatis Marianæ erga Deum, pluribus rationibus declaratur.

§. 2. De Charitate Virginis erga homines.

§. 3. Quòd præſtans Charitas B. Virginis, tam erga Deum, quàm erga homines, in ſacris litteris fuerit præoſtenſa.

§. 4 Quâ

§. 4. *Quâ ratione B. Virgo amoris, æstum ferre potuerit; atq; de amoris ejus deliquio.*

§. 5. *Quòd Beatissima Virgo amoris vehementiâ, emortua fuerit.*

§. 6. *Quòd eâdem faciente amoris vehementiâ, B. Virgo denuò vitæ reddita: & finitur opus hortando ad imitationem Dei genitricis.*

Prooemium.

VTi cùm Senatus, aut Regia pompa procedit in publicum, omnes quidem suum habēt apparatum, & spectandum propriumq; seu vestium, seu insignium suorum gerunt ornatum: attamen inter eos Satrapas, ac dynastas, ut dignitate, ita cultu illustriori eminet Rex, sive princeps, qui omnium etiam oculos ad se rapit, quòd is præcipuè spectabilis sit. Ita nunc vsuvenit nobis; nam spectato cæterarum Virtutum quasi famulitio, prodeuntem accedētemq; Reginam aspiciemus, hoc est MARIÆ Charitatem deinceps venerabundi contemplabimur.

§. I.

Magnitudo Charitatis MARIANÆ erga Deum pluribus rationibus declaratur.

ETsi nemo fidelium est, qui Dei genitricis vel tenuem habet cognitionem, & absque ulla alia ratione quisq; daturus est, eam, quam Dei

Matrem novit esse; nulli creaturarum in amando Deo primas concessisse, quin verò etiam longo post se intervallo omnes reliquisse; hæc enim est illa, de qua apertissimo testimonio pronunciârunt sacræ literæ: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas:* Attamen quia sic comparati sumus à natura, ut rerum, quas non solùm credimus, sed etiam quandoque experimur, causas, & rationes pernoscere discupiamus, indagemus vnde profectus sit is excellentissimus amor, quo B. Virgo Deum prosecuta fuit. Et quidem primùm illud in promptu est: nam cum MARIAM in genitricem suam Deus æterno animi sui decreto selegisset, congessit deinceps in eam abundè id, quo nihil creaturæ rationali conferri melius potest, id est, Charitatem; præsertim cum non solùm eo nomine, quòd Dei Mater destinata esset, affatim vbertimque Charitate cumulanda esset, sed etiam quod suo quodam modo, ad opus redemptionis electa foret. Si enim servo, & prodromo suo Joanni, quòd suus esset testis futurus, tantum collatum est Sanctitatis & gratiæ, ut singulari planè elogio, inter natos mulierum, nemo major eo surrexisse dicatur: quid in eam opum cælestium congestum fuisse non putemus, cujus alloquio, ipsi est collata Sanctitas Joanni? Si primum Joannis in hanc vitam introitum ita exornavit Deus, ut festivo exilierit gaudio etiamnum in Matris utero: exsortem ejus jubili cordis, & tripudij, quod educat Charitas, credemus fuisse MARIAM? Atqui *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob;* quæ enim sunt hæ duæ portæ arcis Sion, hoc est eminentissimæ in

Matthæi 11. v. 11.

Psalm. 86.

mæ in regia cœli civitate fœminæ, quàm ipsius in hanc vitam introitus, & egressus? de hac postea; de illa, seu de introitu dicimus nunc: *MARIÆ animam primo suæ creationis momento, majori fuisse Charitate delibutam, sive amore in Deum tanto exarsisse; quanto nemo Sanctorum per omnem vitam vnquam accensus fuit*; neque enim verisimile est, ulli Sanctorum aut majora gratiæ auxilia præbita aliquando, aut MARIAM minus industriè, talento sibi concesso vsam fuisse. Hãc ergo primam gratiam, seu Charitatem, ac dilectionem Dei, in dies magis ac magis auxit, non sanè minùs, atq; is bonus & fidelis servus, qui acceptis quinque à Domino suo talentis, superlucratus est alia quinque; qui quidem si etiam illis jam duplicatis, seu denis effectis, negotiari ante Domini sui adventum potuisset, ad vicesimum pervenisset, alioq; negotiosiori conatu quadragesimum attigisset. Nec est quod ab aliquo vocetur in dubium; an Deus id favoris sui (seu virium, quæ supra naturam sunt) subsidium electæ genitrici suæ suppeditare voluerit; quod erat vtique necessarium, ut omnem suam Charitatem, quâ Virgo pollebat, explicare amando posset. Cum enim præceperit Deus, ut ametur *Ex tota mente, corde, ac viribus*; ad hoc exequendum confert id omne Deus, sine quo fieri, puod vult, non potest, hoc est tribuitur vnicuique à Deo tãtum opis, quanto ad exerendam totam gratiæ, ac Charitatis facultatem est opus: id quod rerum ipse ordo postulare videtur, ut si Deus suggerere velit (gratis quidem, & benevolè) suppetias gratiæ, seu auxilia: tanta subministret, quibus adjutus homo tantùm redamet,

Vasq. t. 1. in 3. p. disp. 119. n. 5.
Suarez ibidem d. 4. s.
Matthæi 25.
Marci 12.

quanta ipſa eſt indita voluntati Charitas. Neq; hoc veluti conjectando dicimus, aſſertio quippe Doctorum eſt; & authoritati non deeſt ratio: nam ſi Angelos, qui principatum ſuum non dereliquerunt, omnem vim gratiæ, qua vel præditi erant, vel à Deo incitabantur, credimus exercuiſſe; ut quid hanc exporrecti animi promptitudinem, alacritatemq; Dei genitrici derogemus? Sanctus certè Bernardinus Serm. 51. de Concept. cap. 3. aſſeruit B. Virginem nunquam elegiſſe niſi quod ei Sapientia divina demonſtrabat, atque eotenus Deum dilexiſſe, quotenus à ſe diligendũ eſſe exiſtimabat. Et fallar, ſi quod volumus, manifeſtè ſatis ex Evangelio Matthæi cõjicere non poſſimus: quid enim eſt, quod cap. 25. Dominus ait? *Homo*, inquit, *peregrè proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & uni dedit quinque talenta, alij duo, alij unum, vnicuique ſecundum propriam virtutem.* Duo namque ſunt, quæ ad quæſtum faciendum neceſſaria ſunt; Virtus primùm cujuſq; ſeu induſtria; tùm talentum, ſive pecunia: & hæc datur juxta negotiatoris agendi dexteritatem: nam qui tantâ præditus eſt Sapientiâ, aut arte; ut è quinque talentis, totidem referre nundinando poſſit in lucrum, quinque etiam ei traduntur ad negotium, & non duo duntaxat, aut vnum; impar enim eſſet virtuti, ac ingenio pecunia. Quòd ſi igitur Virgo SSma. augendi dona Dei, virtute præcelluit; minimè impares ſunt ei conceſſæ divini auxilij ſuppetiæ: atque adeo ſicut ij, qui quinque talenta, quique duo acceperant, ambo eadem duplicatò retulerunt Domino ſuo; ita B. Virgo (cum congruæ divini auxilij vires

Soarij tom. 2. in 3. p. d. 18. ſect. 2. dicto. 2.

S. Bernardinus.

Mattheus

lij vires, ſuæ Charitati præberentur) bene *Operata eſt conſilio manuum ſuarũ,* & ſuperlucrata in duplum eſt, & *Vidit quoniam bona eſt negotiatio ejus.* Quare etiam cùm nihil minùs, aut remiſſius fecerit, quàm potuit; abjicere ſe ſe, viliq; pendere eo nomine non poteſt, quaſi invitata ad opus, hoc eſt ad amandum provocata, ſe minùs promptam, alacremq; exhibuerit: & quotuſquiſque Sanctorum eſt, qui affirmare ingenuè poſſit, ſe nihilominus amâſſe, quàm potuerit? MARIA eſt terra optima, quæ fructum centeſimum attulit: MARIA enim Virgo ſe ipſâ in dies Charitate locupletior, & quæſtuoſiſſima negotiatrix, *Replevit domum ſuam argento, & auro*; ſive amore divino, magis quàm dici, aut cogitari poſſit, redũdavit: illa eſt, quæ Luc. 19. *Dabat pecuniã domini ſui ad menſam, & cum vſuris exigebat illam*; non ſinebat in arca deliteſcere, ſed fænebrem faciebat, ita ut ſemper expenderet, & duplicatò reciperet. Qua in re ſubvenit animo meo recordatio Sancti illius, & profuſiſſimi in pauperes Joannis Eleemoſynarij: referunt enim; quòd quamvis quotidie multa largiretur, factum tamen divinitus fuiſſe, ut ei duplò plura provenirent, quæ etiam cum erogaret, non deſiſtebat tamen Deus alia atque alia in ipſum congerere; ut aliquando dixerit Joannes: Deus impertiendo, & ego pauperibus diſpertiendo certamus. Sicut igitur Joannes impenſas; & Deus ſumptus ad eas duplicabat: ita MARIA in redamando Charitatem multiplicabat; & Deus in opitulãdo gratiæ ſuæ auxilia ſemper majora ſubminiſtrabat. At defuêre fortaſſe Virgini amoris cauſæ, quo minùs ejus erga Deum ſummus

Proverb. 1.

Luca 8.

Iob. 3.

Luca 19.

Ioan Eleemoſinar.

mus eſſe poſſet amor? ex ea videlicet norma, quam
Lucæ. Chriſtus ipſe Lucæ 7. cap. ſtatuit, hoc eſt, *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Atqui verò in nullum hominum vnquam, aut Angelorum tanta congeſſit Deus, atq; in MARIAM: quæ proinde in benefactorē ſuum gratiſſima extitit, & ſtudioſiſſimè coluit, neq; collatis in ſe beneficijs, alia potius ratione, quàm amando valuit reſpondere; & ſicut illa non ſanè vulgaria fuere ita amorem MARIÆ fuiſſe ſummum, non
L. L. cap. 7. poſſumus diffiteri. Quòd ſi etiam ex regula S. Auguſtini, quam in libello Cōfeſſionum expreſſit; magis devinctus is eſt Deo, qui lapſus eſt nunquam, quàm qui cecidit, & dexterâ Dei reſtitutus fuit: obæratior Deo MARIA nullus eſt; quippe ad ea omnia; quod Meſſiæ Mater effecta, quòd Salva Virginitate, quæ gloria maxima eſt fœminarum, Deum & hominem genuerit, cæteraque, quæ hanc dignitatem numero pene infinita conſequuntur; ab omni prorſus lapſu, eo etiam, qui naturæ totius eſt, imunis fuit: qua igitur alia ratione, tot debitis, quibus divinæ Majeſtati obſtricta eſt MARIA; ſe ſe quo ad poterat, exſolvit, quàm redamando? & quanto id amoris æ-
Ad Eph. 5. ſtu præſtet, quis edicat? *Supereminet Chriſti Charitas ſcientiæ*; ſive cognitione comprehendi non poteſt; quantus fuerit in genus humanum Chriſti amor: at neque magnitudo amoris, quo Virgo Deum dilexit, inveſtigari à nobis poteſt. Illud animo duntaxat agitemus, beneficia in Virginem collata, & multa, & ſingulariſſima fuiſſe; ipſam verò æquiſſimam Dei munerum æſtimatricem, eadem gratiſſimâ recordatione perpetuò coluiſſe; & quanta ex ijs in ejus pe-
ctore

Digitized by Google

ctore amoris flamma fuerit excitata, quo tanti largitoris flagraverit deſiderio, quibus veluti incendijs exarſerit in eum, dicamus; ſi modò vel cogitare ſatis valeamus. Jure profectò optimo Sanctiſſimus Ordinis noſtri Fundator Ignatius, in libello exercitiorum inſtituit, ut ad amorem Spiritualem in nobis metipſis excitandum, divina in nos beneficia animo recoleremus; neque enim ad volũtatem incendendam hâc viâ, ſeu methodo, poteſt melior alia reperiri; quàm ſi reputes parumper vnà tecum, quis ipſe ſis, vnde ortum ducas, quodq; cõditione generis tui, nihil etiam à poſtremis abjectiſſimiſq; hominum diſcrepes; tum deinde quis, quantuſq; ſit Deus beneficus tuus, quantis & quot ab eo, ſingularibuſq; auctus ſis beneficijs: hæc factitabat MARIA, aſſidueque animo verſabat, & proinde incredibili erga Deũ ſuum amore exæſtuabat. *Quartà hebdomadâ.*

§. II.

De Charitate Virginis erga homines.

NOn ſine myſterij alicujus inſinuatione, præoſtenſum olim Jacobo per viſum fuit, quòd ſummitàs ſcalæ cælum tangeret, & altera pars terram: atque hoc eſt: MARIAM in amoris ſui æſtu, quo flagrat in Deum, minimè noſtri curam dimittere. Et verò non potuit ſummè diligere Deum & non impenſè, ſinceraq; dilectione erga nos affici; hoc enim habet omnis verus amor, ut ad eum imi- *Gen. 28.*

tandum

tandum impellat, quem quis amat, cumq; enixè diligeret MARIA Deum, diſpiceretq; quanto is nos amore complexus ſit; tanto ſcilicet, *Vt filium ſuum unigenitum daret*; atque ea ratione, & modo, cujus nemo meliùs eâ conſcius erat; amat profectò MARIA genus noſtrum, quod ſic à Deo dilectum perſpicit, ut pro eo mori, non recuſarit. Quomodo enim effecta tam truculentæ necis ſpectatrix, cum non ignoraret vitam filij Dei, in cauſa hominum profundi, non exarſit amore noſtri, illa, quæ ſolita erat quæcunque de filio ſuo conferre in corde ſuo? Quòd ſi enim Catharina Senenſis, cum ei oblata fuiſſet ſpecies quædam animæ Chriſti ſangvine tinctæ ita exarſit in amorem animarum, ut amplius non poſſet: quo putemus æſtu deſiderij incitata fuiſſe MARIÆ viſcera, in amorem omnium noſtri, pro quibus ante ejuſdemmet oculos, filius ſuus ſangvinem ſuum fudit? Nec id etiam myſterio vacat; (quid enim vnquam incarnata egit ſapientia, quod non divino plenum eſſet conſilio?) non, inquam, abſq; certe cujuſpiam rei ſignificatione eſt factum, quòd Chriſtus tùm demùm MARIAM omnium noſtrum Matrem conſtituerit, cum acerbiſſimos pro nobis dolores ſuſtineret; ſic enim tunc eam de cruce ipſa allocutus eſt; *Mulier ecce filius tuus*; nam dum Joannes adoptatus eſt MARIÆ in filium, tacitò Chriſtus ei indicavit, ut in Joanne nos omnes tanquam filios complecteretur, quos adeo eſſe ſibi charos videbat, ut pro ijs mortem oppeteret. Sentit Matris amorem, & abundãtiam ſuavitatis illius, experitur Eccleſia; eaque propter ſub tantæ Matris clientela, exultãt corda fi-

Ioan. 19.

da filiorum Dei. Nec dubitamus, ſic eam affici erga nos, ut ſolent Matres erga filios; neque enim dedignatur eos habere filiorum loco, quos Filius fratres ſuos compellavit. Ecquod majus velimus, MARIANÆ in nos dilectionis argumẽtum, quàm quòd poſt Chriſti reſurrectionem, ejuſdemq; in cælos aſcenſionem, non brevi annorum tractu, in hoc exilio, miſeriarumq; feraciſſimo ſolo, noſtrâ cauſâ cõmorata ſit; ad irrigandam ſcilicet novellam plantationem, confirmandoſq; ſuâ præſentiâ, animãdoſq; eos, qui ſe primùm ad Chriſtũ ejus filium applicabant? Non eſt hoc leve, vel parvum amoris ſignum, deſerere videlicet ſuas delitias, ſeparari ab vnico & chariſſimo filio, privari vel ad modicum tempus cõſpectu Dei, ipſaq; beatitate, & multis interea graviſſimisq; moleſtijs implicari, quo ſuſtentaret, erigeret, foveretq; primum illum, & novellum gregem. Non fuit ſanè opus hortari MARIAM, ut tædium peregrinationis hujus, amore noſtri pluribus etiam annis ferre vellet: exporrectiſſimâ namq; fronte, propenſiſſimâq; in nos voluntate, hanc filij ſui voluntatem acceptavit; quin præveniſſe credẽdum eſt omnem nutum, ſicq; filium ſuum abiturientem in cælum, allocutam fuiſſe: *Vadis tu quidem ad Patrem, fili mi; quòd ſi tibi placet, & inveni gratiam in oculis tuis, maneam ego cum puſillo hoc grege, donec formetur, augeaturq; etiam per me Matrem illorum; acquiſivisti tu illum ſangvine tuo, & idcirco mihi chariſſimus eſt, & cupio, quodcunque poſſum, illi meâ præſentiâ ſolatium impendere.* Quid quòd fassa eſt hoc ipſum de ſe MARIA (ut videre eſt apud S. Brigittam in ejus revelationibus in hæc verba) *Ego poſt*

Ioan. 20.

Actorum 20

Lib. 6. Revel. c. 61.

aſcenſionem filij mei, longo vixi tempore in Mundo, & hoc voluit Deus, ut viſa patientia mea, & moribus meis, plures animæ converterentur ad Deum, & alij electi roborarentur. Non igitur Anna ſolùm illa Phænennæ æmula in eo Virginitati MARIANÆ prælusit, quod etiam ſterilis pepererit, ſed Charitati ejuſdem Matris in eo, quòd 1. Reg. adire ad templum priùs noluit, quàm adoleviſſet filius Samuel: non vadam, inquiebat illa, donec ablactetur infans. Neque enim priùs MARIA ad *Templum illud, quod eſt mirabile in æquitate,* cõſenſit aſcendere, quàm Eccleſia firmaretur in fide filij ſui. Mira omnino pietas hæc eſt, ut alijs benefaçias, tibi incommodare, idq; non ad modici duntaxat temporis ſpacium, ſed ad plurium annorum diuturnitatem; quantum autem hoc fuerit incommodum, ex boni magnitudine, quo lubens carebat, perpendamus: erat enim Societas cum filio, cæleſte domicilium, & gloria, quæ exſuperat omnem ſenſum. Ergo relictâ Societate filij redivivi, & immortalis; aſſociabat ſe miſeris hominibus, cælum cum terra commutabat; proq; beatitudine, multas exhauriebat in dies ærumnas. Quis eſt tantus amator, ut cum omni carere moleſtia poſſit, omniq; è cõtra bono redundare, ita ut perfectiſſimè beatus ſit; & tamen amore alterius, quem amat, id nolit? Fecit hoc Chriſtus, de quo S. Paulus ad Hebræos ſcribens ait: qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, cõfuſione contemptâ; hoc eſt, cum vivere in delicijs, & ab omni moleſtia procul eſſe poſſet, maluit tamẽ, noſtrâ cauſâ, crucis patibulo ſuffigi, & ad cruciatus ingentes, etiam opprobria, infamiamq; ſuſtinere.

Fecit

1. Regum 1.
Pſalm. 64.
Cap. 12.
Ad Philip. 1.

Fecit ipſe Paulus, qui cum probè ſciret melius eſſe diſſolvi,& eſſe cum Chriſto; at vtilius fore Chriſtianis proſpiceret, ſi etiamnum ſuperſtes eſſet; atq; in his anguſtijs deprehenſus animus diſtraheretur, hoc eſt cùm fælicitatis deſiderio, tum opitulãdi alijs ſtudio; attamen hoc præelegit, ſiquidem dicebat, ad Philipp. 1. *Permanere autem in carne, neceſſarium propter vos, & hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo, omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium Fidei.* Fecit vero hoc ipſum, longeq; impenſius quâm Paulus, vel quiſpiam alius Sanctorum MARIA; quippe Magiſtra, & Regina Apoſtolorum eſt, eâq; nullus propiùs ad imitationem Chriſti acceſſit,qui cum pati non poſſet, aſſumpſit naturam, in qua pateretur; quare cum à Chriſto diſceſſerimus, nullius tantam reperîmus eſſe Charitatem, ac MARIÆ. Si ergo inventi ſunt Paulini,qui etiam væmum ſeſe exponerẽt, pro redimendo fratre; Si Pauli, ſi Martini, prorogari ſibi hanc vitam, & diſtineri interim à gloria, pro aliorum ſalute, non recuſârunt,ſi Moyſes etiam deleri de libro vitæ, ut vel ſic populo parceretur,expetijt: hos tamen omnes MARIA dubio procul,Charitate anteſtitit. Sed & nunc *Adſtat Regina à dextris Dei*, ut cauſam noſtri omnium agat: noverunt omnes ejus in nos Charitatem, & propenſiſſimum benefaciendi ſtudium; quapropter etiam *Deprecantur vultum ejus omnes divites plebis*; & meritò, nam cum ipſa in nubecula, quam viderat Giezi aſcendentem è mari, delineata fuerit, viſa quidem fuit *Tanquam veſtigium hominis*, ſed ut alia lectio habet, *Tanquam vola manus hominis*; ad indicandum videlicet, quid

Exodi 32. *Pſalm. 44.* *3. Reg. 18.* *Chaldam,*

actura pro nobis eſſet in cælis, hoc eſt, quòd conſtituenda foret ſupra gazas Regis potentiſſimi, veluti liberalis diſpenſatrix,& ad elargiendum promptiſſima ijs, qui ad ſe ſe cõfugerent; etenim *Manum ſuam extendit ad pauperem.* Ego quidem te Dei Matrem confiteor, habere me tanquam repoſitam Spem, & veluti ſacram anchoram, in omni trepidatione mentis meæ, cùm recogito judicia filij tui, & multitudinem, ſordeſq; delictorum meorum; atq; *In te ſperãs non infirmabor*; hoc enim mihi tua præoſtenſa pietas pollicetur: olim namque tibi, ô Virgo, de munere tuo, ſingulariq; patrocinio, Societatem hanc JESV vovi, ingreſſus ſum,& ad hanc vſque diem, de eadem tua benevolentia perſeveravi. Perfice opus tuum, MARIA, cumq; terminus ille advenerit, quò prætereiri non poteſt, coronam gloriæ manibus tuis Virgineis contexas in cælo ſuper caput meum mihi, qui tibi hoc de Virtutibus tuis, pro modulo meo, & infantia, non ſanè pro dignitate tua, diadema, (quod tu quidem non aſpernaberis,) non quidem confeci, ſed quale ſit illud, quo tanquam duodecim ſtellis coronata es in Cælis, conatus ſum explicare. Filo tuo, tibique Gloria, ô MARIA.

Proverb. 31.

§. III.

Quòd præſtans Charitas B. Virginis tàm erga Deum, quàm erga homines, in Sacris literis fuerit præoſtenſa.

Si quod

Digitized by Google

SI quod habetur apud Ezechielē cap. 44. de porta orientali, de qua dixit Dominus: *Porta hæc clauſa erit, & vir non tranſibit per eam, eritq́ clauſa Principi*; ſi, inquam, juxta Patrum interpretationem, intelligi de Virginitate fæcunda Dei Matris MARIÆ debet: tum verò etiam quod cap. 47. refertur; hoc eſt, *Quòd aquæ egrediebantur ſubter limen domus ad orientem*; accipiēdum erit ut Symbolū quoddam MARIANÆ Charitatis. Si enim porta Orientalis eſt MARIA Virgo & Mater, ut apud omnes in confeſſo eſt, quid aquarum profluvium, ex ea prorumpens, aliud erit, quàm ferventiſſima ejuſdem Charitas? & meritò: ut enim Ezechiel primò quidem talo tenus, tùm genibus, deinde renibus tenus gradi per aquas potuit; ſed intumeſcentibus illis, ex eis ſe nullatenus poſſe eluctari ſenſit; ita MARIÆ Charitas alijs atque alijs dilectionis actibus accedentibus, penè crevit in immenſum; certè quidem in tantum, ut humanū excedat intellectum. Et quidem appoſitè Charitas operatrix (de hac enim agimus, ſecernimuſq́; illam à gratia quæ gratum reddit, amicumque Deo.) Flumini eructanti comparatur, eò quod minimè ſtagnet in pectore, ſed affatim ad Deum, & hominem per opera veræ dilectionis emanat. Atq́; ſic eſſe faciendum monuit Salomon Proverb. 5. *Deriventur*, inquit, *fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide*. Planè ſimilis eſt aquæ vbertim Scaturienti Charitas: Sicut enim illa cohiberi non poteſt, quin foras erumpat, & fluat; ſic nequit eſſe otioſa Charitas; quoniam *Si eſt*, (magnus inquit Gregorius) *magna operatur, ſi autem operari deſinit, Charitas non eſt*. An

Hieronymus in Ezechielem l. 13. in cap. 44.

Proverb. 5.

T. 3. homil. 30. in Evāgelia.

non ipſa eſt, de qua dixit Paulus, quod *Charitas Dei*
Ad Rom. 5. *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum?* Atqui de hac ipſa exclamans Chriſtus Joan. 7. dicebat:
Joannis 1. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Non igitur vim literæ inferimus, ſi aquas ſubter limen domus, ſeu portæ orientalis protuberãtes, MARIÆ Charitatem exponimus: cavit quippe Spiritus Sanctus, ne cùm MARIAM ſub typo portæ clauſæ, & inacceſſæ deſcripſiſſet, viſcera ejus ad nos clauſa ſuſpicaremus; quare non intermiſit vim aquarum ex ea redundantium commemorare. Neq; uno hoc in
Geneſ. 3. loco Ezechielis, Virginis Charitas delineata fuit in aquis: numquid enim *MARIAM paradyſum voluptatis*
Cantic. *paſſim non indigitamus?* nam cui dicitur Cantic. 4. *Emiſſiones tuæ paradyſus malorum punicorum, cum pomorũ*
Gen. 2. *fructibus*, nonne Sponſæ? *Atqui fluvius egrediebatur* ut dicitur Geneſ. 2. *De loco voluptatis, ad irrigandum primò quidem paradyſum*, (neque enim propriæ ſalutis diſpendio, impendi Charitas debet,) tum deinde dividebatur *In quatuor capita, ad irrigandam univerſam ſuperficiem terræ;* qua ſimili ratione de Ezechielis aquis dicitur, quòd *Deſcenſuræ eſſent ad plana deſerti, & intraturæ mare, & exinde ſanandæ aquæ videlicet maris.* Quod igitur apud Moyſen Paradyſus eſt, apud Ezechielem eſt porta orientalis, & quod ibi quatuor flumina, hic ſunt totidem aquæ incremẽta, ſeu dimenſiones, per quæ omnia abundantiſſimè MARIÆ Charitas, pleno fluens alveo, & omnes homines pervadens, deſcripta fuit, tantoq; artificio, ut jucundiſſimum ſit hoc ipſum comminiſci. Quòd enim fons in
quatuor

quatuor flumina diſpertiatur, aut Propheta quadrifariam emenſus ſit aquas, cōijcere debemus MARIÆ Charitatem in quadruplicem veluti alveum derivari, hoc eſt, per quatuor illas, quas ajunt virtutes cardinales, diffundi, ſeu Prudentiam, Juſtitiam, Fortitudinem, & Temperantiam, à Charitate Dei animari, ita, ut quidquid de Virginis virtutibus hactenus diximus, intelligamus totum id à Charitate, tanquā rivos à fonte puriſſimo, emanare. Subſternuntur reginæ Charitati virtutes reliquæ, perq́; eas abſq́; obice vllo rapaciſſimè fertur: non habet facilem curſum & fluxum Charitas eorum, qui vel virtutibus carent, aut non ſatis ab illis inſtructi ſunt: locuples MARIÆ Charitas nullis anguſtijs, aut repagulis arctatur; quod ipſum indicavit Sponſus Cant. 4. cum Sponſam appellat *Fontem hortorum, puteum aquarum viventiū, quæ fluunt impetu de Libano:* Sed redde cauſam, ô Sponſe, cur Charitas Virginis, ſic è pectore ejus præcipitat? en cauſam nam antequam hoc, de Sponſa dixiſſet, nempe quòd ſit *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano,* dixerat de eadē: *Emiſſiones tuæ paradyſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, cypri cum nardo; nardus, & crocus, fiſtula & cinnamomū, cum univerſis lignis Libani, & myrrha, & aloë, cum omnibus primis vngentis;* quaſi dicat ſponſus: videlicet virtutes ſunt MARIÆ quæ ſternunt Charitati ejus viam ut citatiſſimo pariterque leniſſimo curſu devehatur ad nos. Nam cœteroquin ſtagnat in pectore charitas, quæ moralibus virtutibus deſtituta eſt; Nonne fluxit cum impetu MARIÆ charitas, quando cum feſtinatione evolavit ad montana, ut

Cantic.

Lucæ 1.

na, ut

na, ut ſeni Eliſabethæ, ipſa juvenis ancillaretur? nonne agente hâc eâdem Charitate, cum eſſet in Cana Gallileæ, tempus illud, quod à Chriſto ſtatutum erat, ad ſubveniendum convivis, inopia vini laborantibus, ſua poſtulatione prævenit, ut quidem ex eo Chriſti reſponſo facile eſt conijcere, quo dixit: *Nondum venit horb mea?* Nî malimus etiam dicere, ad aliquid præterea melius proſpectatū fuiſſe à Virgine, hoc eſt, Sangvinis Chriſti poculum ab ea fuiſſe efflagitatum; & ad hoc reſpexiſſe Chriſtum, cum dixit: *Nondum venit hora mea;* in qua ſcilicet de carne mea, & ſangvine apparaturus ſum convivium diſcipulis meis. Cum igitur Mariæ Charitas cùm à Moyſe & Ezechiele, tum ab ipſo Sponſo, ſub aquarum diluvio, tāquam pulcherrimo ſchemate deſcripta fuerit, quanta illa ſit, facilè dijudicare valemus: quid enim majori vbertate, & copia longè lateq; ita ſeſe diffundit, atq; flumina, quæ perenni, inexhauſtoq; fonte manantia, tantam ſecum aquarum copiam, ſine ceſſatione vlla devehunt? Incredibile videri poſſet, niſi oculis ipſis quotidie videremus. Atque cum ita ſit, meritò Ezechiel cum proceſſiſſet per aquam vſque ad renes, tandem torrentem eſſe factū ait, quem pertranſire non potuerit; quoniā, inquit, intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non poteſt trāſuadari. Quòd ſi Ezechiel tot alias myſteriorum conſcius, Charitatis Marianæ altitudinē ſuperare non potuit, qui nos ſumus, ut pro dignitate, aliquid de ea dicere poſſe confidamus? Satius fuerit cum eodem Propheta, ad ripam fluminis redire, ibique conſiſtendo magnitudinem excellentiamque dilectionis admirari.

§. IV.

§. IV.

Qua ratione B. Virgo Amoris æstum ferre potuerit; atque de Amoris ejus deliquio.

CVm ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, necesse sit asserere, MARIÆ Charitatem pene imensam fuisse; difficilis oboritur animo quæstio; quo videlicet pacto tantam Amoris vim, in mortali corpore, ferre potuerit. Nam ut ab eo, vnde exorsi sumus, longè non abscedamus; fac non jam dicam 40. diebus, ut tempore Noë accidit, sed annis amplius Sexaginta, hoc est Septuaginta duobus, (totidem enim vixisse Dei genitricem, author est Damascenus, cum Andrea Cretensi, atq; Euthymio) nec desunt qui vltra Septuagesimum quintum prorogant, idq; non sine exquisitis rationibus & authoritatibus: fac, inquam, fluvium quempiam, sine cessatione vlla, imbribus in dies magis ac magis augeri, quò putas immensitate sua, vsque tandem perventurum? parum credo dixerim, si tota aëris regione exclusa, omne quod inter cælum & terrā est, aquarum occupet abundantia. Nec difficile hoc credere; imò longè amplius spacium desideratum iri existimare debemus; præsertim si semper duplicatè majores pluviæ cadant; ita ut hesternis hodiernæ duplò abundantiores sint, & hodiernis crastinæ, atque ita deinceps Septuaginta duorum añorum spacio. Quod si ejuscemodi assiduum, seq; ipso semper in dies majus aquarum profluvium oboriri non potest;

Gen. cap. 7.

Vide Spinel. c. 6. n. 9.

Digitized by

teſt: potuit tamen Virginis dilectio, ac benevolentia quotidie, quin in horas ſingulas auctior, cumulatiorq; evadere, ut ducendo in longum tempus vitam, ſi rationem inire velimus, quo MARIA Amoris æſtu ferretur in Deum, & ad eos, qui ad eum ſpectāt, non valebimus vel ſine capitis vertigine cogitare, nedum poterimus enunciare. Ex quo tamen ſanè per difficile fit intellectu, quo pacto MARIA, in humano mortaliq; pectore, tantam Amoris flam̄am, incendiumq; ſuſtinere potuerit. Et quidem jam, poſtquā exaltata eſt ſupra choros Angelorū, quomodo tanti Amoris incendium ferre valeat, cum corpus & anima gloriæ dotibus effulgeant, vigeantq; faciliùs capio: at in mortali fluxoq; corpore verſantem, ab illo ardore penitus eliquatam non fuiſſe, ut quibuſdā eveniſſe produnt hiſtoriæ, hoc vehementer ſtupeo. Et viri quidem Sanctiſſimi, qualis è noſtris fuit Franciſcus Xavier, cum in amore Dei æſtuoſiùs ſuccēderetur ejus animus, tanti caloris ſenſum ferre diutius non valens, refrigerium poſtulabat, cum diceret: *Satis eſt Domine, ſatis eſt;* & divaricato pectore auram admittebat in ſinum. De S. Philippo Nereo, ſic in Eccleſia quotannis legitur: *Charitate Dei vulneratus languebat jugiter, tantoq; cor ejus æſtuabat ardore, ut cum intra fines ſuos, contineri non poſſet, illius ſinum, confractis, atq; elatis duabus coſtulis, mirabiliter Deus ampliavit.* De Beato quoque Stanislao Koſtka accepimus, quòd cum ejus animæ, divini amoris facem ſuppoſuiſſet, innocentiæ illius amator; ſic eum exarſiſſe, ut linteolis frigidâ madentibus, temperandus, reprimenduſq; fuerit ardor; ne exanimaretur is, qui vehemen-

Turſeling l. 6. c. 5.

In eius officio.

In eius Vita.

vehementer amabat. Taceo alios, & alias Sanctitate illuſtres, cum viros, tum fæminas, qui abundātiâ amoris deliquium extaſes, defectiones animi patiebantur, atque avocati à ſemetipſis, uſu ſenſuum omnium deſtituebantur. Quid ergo eſt, quòd Dei genitrici nihil ejuſmodi accidiſſe compererimus, quæ in amore Dei, nulli fuit vnquam creaturarum ſecunda? Exiſtimo eam, quæ dominium in appetitiones ſuas, ac ſenſus divino nacta fuerat beneficio, vel cohibuiſſe redundantiam Amoris, ne labefactaretur ex eo corpus, vel divina fuiſſe virtute munitā, ut ferre abſque læſione corporis poſſet. Quo etiam fit, ut non facilè mihi perſuadeam, eas animi defectiones, corporiſq; in terram corruentis lapſus, cum adſtaret in cruce pendenti filio, animamq; agenti; quæ pictorum licentia excogitata in tabellis expreſſa fuêre. Stabat, inquit Sacer codex, juxta crucem Mater ejus; neque ſinebat ab iñenſo animi ſui mærore ſic affici ſeſe, ut præ magnitudine doloris, alienaretur à mente: quo pacto Chriſtus ipſe, cùm præ angoris vehementia emori poſſet, ſuſtinuit ſeſe, & vim afflictiſſimo cordi ad ſufferendum indidit tantam, quæ eriperet à morte, non abſolveret à mærore. Quòd ſi verò etiam potuit ab humano ingenio effici genus quoddam lampadis, quod faculam quidem intra ſe contineat, & tamen lampadem nihil lædat: quidni credamus Virginem ſic ab Amore ſuccendi potuiſſe in animo, ut ab exceſſu Amoris, niſi quoad vellet, pars nulla corporis læderetur? Tametſi ea quoque eſt rerum quarundam temperies, ut abſque magno ſui detrimento, ignem diutius ferre *Ioan.* 19.

valeant: atque hujuſmodi fuiſſe B. Virginis viſcera, perquam facile eſt credere; nam quis dubitare poteſt, (refert S. Bonaventura ex Auguſtino in ſpeculo cap. 14.) in Charitatis affectionem tranſiiſſe MARIÆ viſcera, in quibus ipſa, quæ Dei eſt, Charitas novem menſibus corporaliter requievit? Quòd ſi Charitatis naturam induêre MARIÆ viſcera, jam ſanè mirũ non eſt, (cum à ſeipſo nihil corrumpatur, ſi MARIA amando minimè defecerit: aut ſi perſtabat in amore illæſa, quam (ut S. Ildefonſus ait oratione de Aſſumptione) inſtar ignis ferrum, totam decoxerat. Id quod apprime congruit teſtimonio eorum, aut elogio, quo MARIAM afficiunt; dum eam *Rubum ardentem*, attamen *Incombuſtum*, appellant: atque hoc ipſo nomine, quòd ſcilicet ardeat charitate, nec lædatur; cognominari debet aurum fulvum nimis; id nempe, quo 3. Reg. 10. inſtratus erat Salomonis thronus; ſive dicenda eſt coccus bis tinctus in cortinis tabernaculi. Quòd ſi B. Virgo ut plurimùm cohibebat intra ſe ſe Amoris flammam; non tamen idcirco inficias eo, quin aliquando ſiverit eam ſerpere, ut ex ea corpus nonnihil labefactaretur: unde cæteroquin illa nobis eſſent è Cantic. 2. Sponſæ præ amore deficientis verba? *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Accurramus, & interrogemus eam: ecquid enim eſt, ô Sponſa, quod amas; ut fulciri te poſcas floribus, & ſtipari malis? an flores & poma ſunt, quæ ſic tenerè amas? Abſit à me, inquit illa, ut amem aliquid adeo præter Sponſum; & quia ipſum ſolum, & vnicè diligo, ad ejus me mores vitamq; compono; ſcio illum in horto Gethſemani

S. Bonaven. S. Ildephonſus. 3. Regũ 10. Exodi 26. Cantic.

mani laxaſſe habenas amori ſuo, præq; amoris magnitudine, non ſangvine modò ſudâſſe, ſed diutius in agonia perſtitiſſe, in terra proſtratum; ut ad eum expediendus fuerit Angelus, qui ipſum, ut ſcriptura loquitur, confortaret. Tametſi enim triſtitia coarctans elicuerit ſangvinem, eam tamen applicabat amor, juxta illud Ioan. 14. *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſurgite eamus hinc.* At quale genus fomenti, ſeu ſolatij potuit iſtud eſſe? an Angelus ſolari potuit Chriſtum, qui *Plenus erat gratia, & veritate?* Sive illius languorem verbis lenire, & ſuaſione appoſita demulcere, cui meliùs omnia, quæ afferri in medium poterant, perſpecta erant, quàm cuiquam Angelorum eſſe poſſent? In eo igitur Angelica cõſolatio poſita fuiſſe videri poteſt, ut filium Dei morti proximum, quam ardentiſſimè amore Patris, noſtræq; ſalutis deſiderio expetebat, foveret ſublevando, puta, à terra, admovendoq; aliqua odoramenta, ſudorem ſangvineum detergendo, & quibuſcunque ejus corpus obſequijs recreari adhuc poterat. Atq; ad hoc miſerabile ſanè, & luctuoſum Sponſi exemplum imitandum, Spõſa dedita operâ, laxat amori habenas, ut fiamma prorumpente, corpus elangueat, compellaturq; auxilium implorare, ac dicere: *Fulcite me floribus ſtipate me malis, quia amore langueo:* Alluſione quippe ad ea, quæ inter homines fieri aſſolent, vtuntur ſacræ literæ; quid autem magis eſt familiare, quâm cum reſoluta corporis compage, interceptoque Spirituum miniſterio, corruerit quiſpiam, afferantur myrothecia, odores, & quidquid jacentis animam revocare ad ſe ipſam

Vide Caietanũ in 2. 4. q. 12. in 3. p. Valentiam ibidẽ diſp. 1. q. 12. quibus Baradiſus accedit t. 4. lib. 6.

poteſt?

Digitized by Google

poteſt? Et quamvis non ignorem Theologorũ nonnullos arbitrari, eam in ſolando Chriſtum ab Angelo adhibitam fuiſſe rationem, ut ſcilicet proponeret ei fructum vberem è morte reportandum, comendaret, admiraretur q; divinam animi fortitudinem, vel etiam ipſa ſocietate, ac præſentiâ levaret angorem; attamen non aſſimile mihi vero videtur, Angelicam conſolationem in alicujus corporalis obſequij miniſterio fuiſſe ſitam. Enimvero Chriſti animum alloquio Angelico dicere fuiſſe recreatum, aut etiam ab Angelo ea propoſita, quæ abſtergere ab animo mærorem valerent; minùs videtur idoneum: nam ſi renuebat conſolationem ex ſemetipſo, cur alienam admitteret? cæterùm cum facultatibus corporis ſui, quod erat earum, ſineret; hoc eſt in mortem affici, & viribus affatim deſtitui; opportunior fuit opera Angeli, tanquam miniſtri, (quàm Chriſti ipſius, qua homo erat; quippe patientis perſonam agebat) ad afferendum aliquod afflictiſſimo corpori levamen; tantoq; etiam lugubrius ſpectaculum, majoriq; dignius miſeratione exhibebatur, ſi moribundus non ſua, ſed alienâ virtute ſuſtineretur; ut etiam deinceps evenit, cum præ pondere crucis, & totius corporis imbecillitate, ſuccumberet oneri, & prolaberetur in terram, ut fuerit adjuvandus ab alio, qui vnà cum Chriſto ſuccollaret crucem. Verum enim vero quicunque is fuerit cõſolationis modus, quo Chriſtus in horto per Angelum delinitus fuit; hoc certum eſt, ipſum Amoris quodam æſtu in eas incidiſſe animi ſui propaſſiones, ac languores, ut per Angelum recreandus fuerit: ad hujus itaque imitatio-

Matthæi 27

mitationem, & formam exhibendam, dicat, dicat Sponsa: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*; etenim secundùm morem amantium, imò Spōsi mei, accidit mihi, & ut ille, sic & ego ipsa, tractari volo.

§. V.

Quod Beatissima Virgo, vehementiâ Amoris emortua fuerit.

VErsaturus in eodem argumento, tango eandem psalterij Davidici chordam, quam supra §. 1. titigeram; hoc est, *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. De altera Sionis porta, sive ingressu Virginis in Mundum, videlicet eum à Deo singulariter fuisse dilectum, propterea quòd in ipso suo ortu præventa sit in benedictionibus dulcedinis, ut in ipsa sui conceptione Charitate esset ignita, memini supra. De altera quæ Virginis ex hac vita exitus est, nunc sermo est; affirmamusq; quòd sicuti concurrentibus multis in vnum torrentibus, tanta fieri solet aquarum redundantia, ut eas capere alveus non possit, ita increbrescentibus in corde MARIÆ dilectionis ardoribus, factum esse, ut cum flammam mortalis pectoris angustiæ capere nō possent, optimo ac præclarissimo omnium mortis genere, diem ultimum clauderet, sicq; ejus postrema primis optimè congruerent. Nam quemadmodum in splendore gratiæ creata est, & non in nocte peccati concepta, ita in meridiano calore ardentis Chari-

Charitatis, animam reddidit Creatori. Ergo cum MARIÆ amor in eam flammam incendiumq; exercuiſſet, quod ab æterno Dei Matri præ electæ deſtinatum erat; nec ignoraret jam ipſa, tempus reſolutionis ſuæ adveniſſe; dimiſit habenas Amori, ut flamma corpus ipſum corriperet, ſicque in flam̃a, quam ipſa excitaſſet, inſtar phœnicis, mox rediviva futura, emoreretur. Imò inſtar filij ac Sponſi, qui Joan. 10. diicebat: *Nemo tollet animam meam à me, ſed ego ponam eam à me ipſo.* Audite non me, ſed maximum Eccleſiæ Doctorem, Sanctum, inquam, Hieronymum, qui ſerm. de Aſſumpt. Sic eloquitur: *Cum novis quotidiè cremaretur ardoribus, & ad filij ſui clariſſimum, & indeſinentem intuitum, affectuoriſſimè ſuſpiraret, in tantum evaſit flamma incendium, ut amori cedendum rata, ferventiſſimam in amore animam, amatori ſuo reddiderit.* Quàm bene dictum eſt: *Fortis ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, lampades ejus, lampades ignis, atq; flammarum.* Neque id ſolum conſtat, quòd ſcilicet præ amoris teneritudine ſoluta ſit à corpore anima Virginis, ſed etiam rationem & modum, quo id effectum eſt, ipſa narrante didicimus; ſic igitur MARIA cauſam obitus ſui, familiari cuidam ſuæ, id eſt, B. Brigittæ expoſuit lib. revelation. 6. cap. 26. *Cum quâdam die,* inquit, *animus meus ſuſpenſus eſſet in admiratione divinæ Charitatis, tunc anima mea, in ipſa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quòd vix ſe capere poterat, & in ipſa conſideratione anima mea à corpore fuit ſoluta.* Vt mihi quidem hoc eveniſſe videatur Dei genitrici, quod accidere ſolet vehementer aduſtis ab igne; nam ſicut illi partem illam torridam, &

Vide Franc. ſuarez, t. 2. in 3. p. diſp. 21. ſect. 1.

S. Hierony.

Cantic. 8.

S. Brigitta

dam, & quæ affligitur ex nimio calore, applicant flam̃æ, majorq; ignis devorat minorẽ, hoc est, ad sese allicit & foras educit ex corpore ardorem; sic anima B. Virginis, igne illo divini amoris attacta, cũ jam sibi bene nõ esset in corpore, apposuit se ad Deum, qui ignis cõsumens est, & facta est una cum illo flamma, & veluti virgulam fumi ex universis aromatibus ascendentem cælestis ignis corripuit, & in seipsum vertit. Atq; ex hac apertissima narratione, quâ genus mortis suæ exposuit MARIA, significavitque velut ab Amore se fuisse eliquatam; intelligere possumus ænigma, quod de genere mortis suæ, pridem ipsa proposuit. Si enim Deus omnia certo cõsilio facit; quid est, quòd ad designandum vbi Ecclesiam sibi construi vellet Dei genitrix MARIA; id spacium nive contexit? aut cur est Symbolum Virginis nix? Videtur mihi fecisse MARIA, quod faciũt Matronæ illustrissimæ; venturæ quippe ad Ecclesiam, præmittunt aulæa, quibus sternatur, adorneturq; locus, in quo cõsidere velint; & habent subinde tapetia familiæ, seu generis sui insignia. Sic igitur Virgo MARIA, cum figere sedem suam Romæ vellet, partem collis Exquilini occupavit, extenso ibi candidissimo nivis tapere, & quidem ejuscemodi, qui haberet MARIÆ imaginem sibi impressam, seu qui naturam & mores Virginis referret; hoc est nivem; quæ sicut ob candorem; illibatam refert Virginis pudicitiam, ita quòd ab æstu liquefiat nix; MARIAM ejus esse naturæ ostendit, ut ab Amoris flamma deliquetur. & opportunè per id anni tempus cecidit nix, quo à calore resolvenda, eoq; mense, quo MA-

Deut. 4.

Cantic. 3.

Ex off. festi ad nives 5. Aug.

ria amore deliquata fuit. Neq; verò etiam alio genere mortis, mori debuit Maria, quàm Amoris: dicito enim, si Sponsam dilectissimam traducere in domum suam velit Sponsus, nonne currum quàm potest ornatissimum obviam ei mittit, ut eo invehatur in regiam, & palatium Sponsi? Ecquod verò aptius vehiculum evehendo illi Sanctuario Spiritus Sancti, & Humanitatis Christi tabernaculo, esse potuit, quàm Amor? Enimvero si mori potest quispiam præ amore; & si moritur Sponsa, nec tamen præ desiderio Sponsi moritur, minùs amavit, quàm debuit. Et non est illa Sponsa, quâ nulla magis vnquam Sponsum adamavit? an minùs amavit Maria Sponsum, quàm amentur à pueris poma? non multis sanè ab hinc annis puerulum desiderio pomorum extinctum fuisse in Transyluaria, civitate Claudiopoli, authore certo cognovi. Si igitur pomi vnius desiderium, puerum ardentissimâ cupiditate flagrãtem perimere potuit, & vitam eripere, quòd incensissimo desiderio, non fieret satis: Si puellæ tredecennis, amoris impotẽtiâ cor ruptum crepuit (ut Author est Joannes Major) atque adeo etiam ut causa novi mortis generis pateret; in ipso disrupti cordis meditulio; litteris aureis inscriptum, repertum hoc Epigramma est: *Sic diligo mi Iesu te, ut diligam plus te, quam me.* Quid ni credamus in ipso articulo meridiani ardoris, cum jam supra humanam conditionem amor ardorque efferuesceret; audivisse Virginem vocem dilecti dicentis: Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni, quando jam stas in monte, & sum̃um per-

 fectionis

fectionis verticem attigiſti; jam tempus reſolutionis tuæ inſtat. Et tunc ipſa, in hac invitatione Spōſi tam amicâ, acrius ſauciata, ſed amoris ſpiculo, cum jam ferre anguſtiæ corporis, vltra non valerent Amoris incendium, veluti in amplexum Sponſi collapſa, animam reddidit in amore Sponſi ferventiſſimam, & jam ab amādo nunquam deſiſtit. Ecquid mirum dicimus, ſi præ amoris exceſſu, ceſſiſſe vehementiæ ipſius dicimus Mariam, & proinde hujus vitæ vſura privatam; quando etiam amor ſpeciei cujuſpiam, ita ſauciat animum, & excedit, ut niſi ſubveniatur, ad extrema deducat? nonne jam de vita periclitabatur Soterus amore Stratonicæ novercæ ſuæ captus, niſi ut eam ſibi haberet, pater ejus Seleucus indulſiſſet, cum ab Eraſiſtrato Medico languoris hæc cauſa, vigili curâ deprehenſa fuiſſet? *Fortis eſt ut mors dilectio,* & ſuſtineri vis ejus non poteſt. O igitur genus mortis exoptatiſſimum! Dicantur alij ſanè inediâ, afflictionibus, laboribuſque etiam pro Chriſto, & pietate exanlatis mortem oppetijſſe: nemo certè nobiliùs pro Deo vitā reliquit, quàm quæ ſic Deum amavit, ut ab ipſo amore enecta fuerit. Quam porrò medicinam facerent huic morbo Medicorum pueri? Suaderent vtique, ceſſandum eſſe ab amore: ſed ſi nulla eſt alia curationis ratio; vivere diutius Maria non poteſt, propterea quòd non amare non poteſt. Sed eſto, ceſſare ab amore poſſit: vtrum tamen ſuadeamus; an ut vivere poſſit, deſinat amare Maria; an verò ut amore moriatur Maria? Illud dicere reformido, quando Marc. 12. *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute amandus*

Cantic. 8.

Marc. 12.

mandus eſt Deus: Sed hoc etiam expromere vehementer horreo, nempe ut vel amore, moriatur MARIA. O Apoſtoli, cum adeſſetis morienti, cauſamque ægritudinis, quæ Matrem veſtram afficiebat in mortem, non ignoraretis; quid conſilij in hoc adeo perplexo, difficiliq; dilemmate attuliſtis? En moritur MARIA, cujus erat inenarrabilis circa adoleſcentem Eccleſiam, voſq; ſingillatim pietas ac benevolentia, emoritur, & amoris ardore ad vitæ hujus occaſum accedit; auferetur jam à vobis Mater, quæ in omnibus anguſtijs, dubijſq; caſibus veſtrum erat omnium commune perfugium: quid ergo datis conſilij? an ne amet, ut vivat; an ne vivat, ut amet? Sed ecce in hac conſultatione hærentibus vobis, amoris vi emortua eſt MARIA; & incurabilis erat morbus, ſi qua tamen ratione morbus dici poteſt Amor; neque enim imminutione Amoris curari debuit, cum ſummæ dilectionis apicem aſſequi debuerit MARIA; & tunc demum evaſit ad culmen Amor, quando exanimat amantem.

§. VI.

Quòd eâdem faciente Amoris vehementiâ, B. Virgo denuò vitæ reddita ſit: & finitur opus hortando ad imitandum Dei Genitricem.

NOn divinationes ſequor ad oſtendendum id, quod propono, & ſi divino, ſervo de cælo, & inde augurium capio: hoc eſt authoritatem

Digitized by Google

Patrum intueor, & rimor Eccleſiæ teſtimoniũ, quod apud me velut pignus depoſitum cuſtodio. Dicamus ergo quòd ſicuti MARIA (faciente ejus nimiâ in Deum dilectione) corpus, quod præ imbecillitate Amoris æſtum ferre ultra non poterat deſeruit: ita ſtimulo amoris ejuſdem reſumpſiſſe idem ſpolium ſuum. Accidit enim MARIÆ, quod nonnunquam ſomno deditis evenit: deſerunt ſtratum, non quia deſinere velint à ſomno capiendo, ſed ut commodiùs ſibi ſternatur, & profundiùs indormiant. Sic Virgo cum fragili, fluxoq; in corpore, ſatis indulgere Amori nõ poſſet; reliquit corpus, quod exæquare deſiderium amantis non poterat, ut in redivivo, & ad amandum magis accommodato, amaret ſine remora. Et fit alias ſæpe, ut ſtudioſè, deditâq; operâ atterantur vſu ipſo vetera; quò novorum ſit expeditior vſurpatio. Si ferre non poteſt Amoris flammam hoc corpus; non idcirco ceſſandum ab Amore eſt, ſed eſt vehementius amandnm, ut deſtructo corpore mortis, idipſum ſufficiatur, ſed corpus vitale, quod Amori vehiculum præbeat, & non afferat onus. Et ſi non fuit hoc MARIÆ ratiocinium, cur de illa dicitur, quòd optimam partem elegit, & Magdalenæ factum transfertur ad Virginem? En Eccleſia, Eccleſia, inquam, quæ tenet ſenſum Sponſi, *Lucæ 10.* reaſſumpto corpore, abeuntemq; in cælum, optimam ſibi partem elegiſſe pronũciat. & meritò. nam quiſquis eligit, aliud dimittit, & aliud capit: & hoc fecit MARIA, quæ mortale corpus deſtituit, ut in immortali tota diligeret. Quidni enim hoc de MARIA ſentiamus: quòd vbi mortalitatis ſoluto ſtipendio,

 ruit in

ruit in amplexum dilecti, cum ſe ferri amore corporis ſui ſentiret, ob illud naturæ pondus, quo reflectuntur animæ beatorum ad ſua corpora: ut exporrectiſſimo in Deum amore, penituſq; tota ferretur; ne rugam ejus faceret Amor, aut cõtractiunculam: expetierit reddi ſibi corpuſculum, ſed tale, quod præberet facultatem ſine impedimento Dominum adamandi. Et quoniam æquiſſima fuit MARIÆ poſtulatio; deſiderio factum eſt ſatis, & quæ præ Amoris magnitudine objerat, pro Amore revixit. Nec dubium mihi vllum eſt, quin hic ipſe ſit omniũ beatarum animarum animi ſenſus, hoc eſt, vt reveſtiri ſuis corporibus appetant, quò videlicet ſe totos laudi Dei ſui impendãt, & confiteantur pleniſſimè nomini ejus. Cum enim templum illud, in quo hoſtiæ laudis perpetuò immolantur, *Sit mirabile in æquitate;* à prima regula nihil exorbitat: id eſt omnium Sanctorum deſideria ad majorem Dei gloriam reſpiciunt; quòd igitur tam enixè corpora ſua repetant, adeo ut voce magna ſub altari clament Apocalypſ. 6. *Vſquequo Domine, Sanctus & verus, non judicas, & non vindicas ſangvinem noſtrum de ijs, qui habitant in terra?* hoc vtique non expoſcerent, niſi ſcirent idipſum Deo eſſe glorioſum, hoc eſt ut omnia oſſa eorum laudem dicant ei. Verùm illis quidem dicitur: *Expectate,* ſive *ut requieſcant adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum.* MARIÆ Matri ſuæ quomodo ſuſtineat Deus, ita reſpondere? Non differuntur Virginis vota, ſed corpus, quod Amor extinxerat, ipſe reſtituit: prodigus Amor corporis, quæſtuoſiſſimus fuit; factũque eſt

S. Bernardus tractatu de diligendo Deo, paulò ante finem.

Pſalm. 64.

Apocalyp. 6.

que eſt

que eſt ſingulariter in MARIA, ut perdendo inveniret. Non cohibuit Amorem, ne moreretur, & merita eſt ſemper vivendo amare, quæ amando ſemel fuerat mortua: non quidem intercidit Amor, ſed vita defecit Amore, & tamen revixit Amor, cum decidua rediјt vita. Decebat omnino conſum̃ari MARIAM ante filios, recipiq; in plenitudinem gloriæ, ut deſiderium ejus eſſet plenum, quæ nunquam minùs amârat, quàm poterat, & quæ ut plus ardentiuſve poſſet, occubuit Amore. Et ſi coronari victor debet Amor, concedatur Amori, ut tantum poſſit, quantum occidendo corpus affectavit; hoc eſt reſurgat immortale corpus, in quo triumphet Amor, & vigeat, & nihil tamen ex eo depaſcat, nam & lex lata eſt, (2. Petri 2.) *Vt à quo quis ſuperatus eſt, ejus ſervus ſit*; ſuperavit Amor MARIÆ corpus mortale, quod amando extinxit, ſerviat ergo Amori corpus im̃ortale. Atque hic eſt *Rubus ardens incombuſtus*, hoc eſt ignis in fomite flagrantiſſimo, ſive in corpore glorioſo Amor vehemens, ac ferventiſſimus; attamen abſque periculo diſpendij deinceps, ac conſumptionis. Etenim ut Chriſti omen, quod ex ſe patiente Luc. 23. auguratus eſt; pariter capiamus ex ea Virginis Charitate, quâ dum adhuc inter mortales ageret, flagrabat; ad faciendam conjecturam de illa, quâ nunc ardet in cæleſti thalamo, hoc eſt in corpore redintegrato; dicamus: *Si in viridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet?* Si tantus increbreſcebat Amor in animo MARIÆ, cum minùs Amoris eſſet capax mortale illud corpus; quis Ardor eſſe debet animæ degentis in corpore, quod Amori nihil repugnat, nec

2. Petri 2.

Exodi 3.

Lucæ 23.

veluti

veluti flammas illius temperat, quin magis aptiſſimam materiem igni, & fomenta incendio præbet? Exodi 3. Quòd ſi quis dicat jam cũ Moyſe Exodi 3. *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*; audiet profectò actutum cum eodem Moyſe, *Solve calceamenta de pedibus tuis, hoc eſt*, depone involucra carnalium cogitationum, quiſquis accedere concupiſcis; denudandus eſt pes, id eſt expurgandus affectus; Verbo, imitatores Marianarum virtutum fieri debemus, ut ejuſdem fieri gloriæ participes, & excellentiæ planè prodigioſæ ſpectatores eſſe valeamus. Hujus rei gratia veluti expanſæ ob oculos veſtros à me MARIANÆ Virtutes fuère, ut ijs affectandis veros nos eſſe MARIÆ clientes probemus. Videamus quanta fuerit in ea Virginalis pudicitia, quæ modeſtia ſeu abjectio ſui, quæ animi fortitudo ſeu patientia, quis adverſus Deum cultus, quæ Sanctitas, & demum quod Fidei firmamẽtum, quæ Spei anchora, quis ardor Charitatis. Quotquot igitur vos Virginis ſtudioſos profitemini; imitemini mores, ſtudete virtutibus ejus. Cæteroquin ſcitote, tantum eſſe virtutis fulgorem, ac pulchritudinem, ut etiam in hoſte diligatur. Volo dicere, ſolum ac ſterilem Amorem, quo ſæpe afficimur erga Virginem, quòd Virgo ſit, & multis à Deo ſuper omnes donis ac virtutibus cumulata, non ſatis eſſe argumento, quòd ea nobis bene velit, & amica ſit; quia non eſt ibi reciprocus Amor, vbi non adeſt, quod viciſſim ametur. Amat MARIA virtutes, quibus ornatiſſima eſt, ſi velis ab ea amari, ac defendi, non ſufficit, ſi ames aliquid in MARIA, ſi quod in te amet illa non habet;

exhibere

exhibere igitur te debes, quoad potes, ſimilem MARIÆ, ut cum verus amator probatus fueris, redameris. Caveamus ne fucum faciat nobis Amor, quo proſequi videmur MARIAM. Nam quid ad comendationem noſtram facit, aut quo meliores ſumus, ſi afficiamur ad id, quod amabile eſt, & ipſi amabiles non ſimus? Natura eſt hæc voluntatis noſtræ, atq; conditio, ut amet, quod ei demonſtratur amabile; immò fieri non poteſt, ut res, aut perſona amore digna, non evocet amorem ex animò, aut aliquã propenſionem affectionis: quo fit, ut etiam comoveamur benevolentiâ erga eos, qui nobis ſolius naturæ communione ſociantur; ut ſi ſtrenui, ſi liberales, ſi apprime ſapientes habeantur; neque tamen ob id efficitur, ut compotes eorum ſimus, quæ amamus in alijs. Quid amabilius (inquit D. Bernardus ſerm. ult. in Cantica) verecundo adoleſcente? & fieri tamen poteſt, ut qui ad ejuſmodi propenſum ſe ſentit, ipſe minimè pudicus ac verecundus ſit. Nec rarò accidit, ut pater in filia, ut frater in ſorore, plurimi faciant Virginitatem, & ament; quam tamẽ ipſi non colant. Sit ergo in nobis amor imitatorius neceſſe eſt, ut libro 1. latiùs diſſervi, antequam præclariſſimarum Virginis virtutum impreſſa paſſim veſtigia indicarem. Subſequamur Ducem MARIAM, & præeuntem. Reſpectat illa ad nos, & Sereniſſimo vultu, & fronte explicatiſſimâ accendit ad iter. Sequamur, nec aliquid arduum, aut ſalebroſum putemus, quod MARIA ſuomet ipſa, prævioq; exemplo, ſuavitate quâdam inſperſit, & gratia. Hoc in ferendis adverſis, & quibuſcunque acerbitatibus, abjectis humilibuſque

S. Bernardus.

buſque munijs, hoc in pietatis operibus, in certamine fidei, in expectatione felicitatis, in obſequijs erga Deum & homines, ob ipſius Dei amorem & proximi, cogitemus; quoniam talia, & ſupra quam dici à me potuerit, plura, & exactiſſimè obivit MARIA: Sola hæc cogitatio ſufficiat, quia ſic egit, ſic vixit MARIA. Ad cujus ego pedes modò provolutus, præq; indignitate mea, ipſiuſq; Majeſtate tremens, & pudibundus, offero illi iſtud duodecim ex ſtellis confectum diadema; & oro ſupplex, ut acceptet in minimam ſuorum in me, innumerorumq; beneficiorum teſtificationem, & nominatim hujuſce ipſius, quòd dignata me ſit qualitercunque ſe laudare. In te Domina ſperabo, nec confundar in æternum.

Amen.

INDEX

INDEX RERUM.

A.

ADhortator exemplo fulgere debet fol. 7. ſeqq. eius opus difficile fol. 15. quid ei noceat 12. 15. 16.

Adam. Arca fœderis. Arca Noe. Abiſag.

Acervus tritici figura Virginis & Matris, fol. 85. & ſeqq.

Amor amicitia eſt imitatorius 21. non autem amor concupiſcentia fol. 26. & 27.

Amoris divini fervorem, qui ferre non potuerint f. 488. cur Maria potuerit, 490.

Apparitiones ſuſpecta 187.

Abraham qui meritus eſſe Pater Chriſti, 229.

Acclamatio populi, 219.

Adverſa ſignum divini amoris, 247.

Amor perſona auget venerationem, 385.

Adhortatio ad pietatem, 396.

Amor eſt menſura doloris, 402.

Apoſtolorum in traditio fidei, 447.

Amore Maria mortua eſt, 493. & revixit amore, 498

Anima SS. repetunt corpora, 500.

Amor vehiculum ſponſa, 496.

Amore Ieſu puella mortua, 496.

Angeli conſolatio qualis, 172. & 451.

Angeli ignorant ſecreta cordis, 171. B. Aloyſius 24. & 391.

B.

B. V. in exemplum proponi debet fol. 20. & ſeqq. ſingulariter imitabilis 28. ſimilis Chriſto 31. tremula 31. omnis virtus in ea 32. invitat ad ſui imitationem 33. à nemine exprimi poteſt 34. cur turris David 36. liber grandis 37. miſericordia eius cui ſimilis 42. Patris æterni imitatrix 60. dat fiduciam cultoribus ſuis 61. Inſtar montis 62. inſtar reſpirationis 63. Advocata, & non tantum deprecatrix 68. Civitas refugij, Arca Noe, Virga Moyſis 70. Sacras litteras novit 146. Angelum examinat 155. & ſeqq. à peccandi periculo remotiſſima 365. multipliciter Sācta 375. creata in fervore charitatis 478. in ſacrificijs ſpectabat mortem filij 408. optima negotiatrix, 427. ob amorem hominum non aſcendit cum Chriſto vide MARIA.

Beneficia acuunt amorem eius, qui gratus eſt, 476.

Bonum eſſe inter malos præſtās res eſt 446

Beatior, eſt etiam ſanctior 343.

C.

Congregationes Beatæ Virginis, f. 8.

Chymice fol. 12.

Comœdias exhibendi cauſa 13.

Cultus Virginis ſignū prædeſt. 55. & ſeqq. debet eſſe aſſiduus 57.

Chriſtus fructus, & flos, à matre maxime exprimitur 237. & ſeqq. eſt meritus conſervationem unionis hypoſtaticæ 239. an ſit meritus Matri ſuæ ut eſſet mater 240. ob excellentiā patientiæ voluit matrē ſuam pati 415. quid ſuaſerit S. Frāc. & S. Catharinæ 418. eius incarnatio ſub meritum de condigno non cadit 234. ante Mariā 209.

Cuna Moyſis fol. 105.

Coniugum trea genera, 113.

Concupiſcentia Deo diſplicet, 134.

Cyrillus propugnat Dei maternitatem 214. Item Cæleſtinus, 216.

Cherubini obumbrantes propitiatorum, fol. 286.
Carolomanus, 280.
Clemens Primus, 330.
Clientes Virginis ſecuri, 332.
Cultus varia ſpecies 339.
Calcaneus Virginis quid ſignificet, 252.
Clavi ſervati à B. Virgine, 398.
Circumſtantia actionem elevant vel extollunt, 436.
Candela in candelabro triangulari 448.
Charitas Regina virtutum, 471.
Certamen Dei cū Io. Eleemoſynario 475.
Catharina Senenſis Zelus animarū 478.

D

Dæmon ignoravit partum Virginis, 89.
Deo omnia aquè facilia, 107.
Deſid: ſollicitudinem gignit, 161.
Deus cum offitio dat habitudinem, 225.
Dignitas ad recipiendum, & non ad retinendum gradum, 242.
Deus diſcrepantia connectit, 262.
Dionyſius Areopagita.
Dioptra perſpectiva dicta B. V. 333.
Dolor Mariæ maximus ex amore, 403. diuturnus & aſſiduus 406. purus 411. ex pluribus cauſis, 411. confertur ad Onia dolorem, 421.
Dominium in portionem inferiorem habuit MARIA, 489.
Deſiderio pomi puer extinctus, 496.
Druides Sacerdotes Gallorum, 99.

E

Exempli vis & neceſſitas, 78. & ſeqq. cui rei ſimile, 19. 21.
Eſther figura B. V. 46. 66.
Exempla Mariana pietatis, 72. & ſeqq.
S. Eliſabetha cur ſe occultabat, 112.
Eunuchi qui? 189. eſſentia Dei in quo eſt? 204.
Eccleſia morem ſuum firmiter tenet 220. figurata per mulierem, 229.
Eleemoſyna B. Virg. 392.
Eloquentia fluvio confertur, 215.

F

Figura benevolentia B. Virg. 46.
Figura Maternitatis & Virginitatis toto cap. 1. l. 2.
Facile operari cuius ſit f. 105.
Fœmina ſteriles figura Virg. & Matris, fol. 106.
Fœmina obnoxia illuſionibus ſeqq. 170.
Fœmina à natura pia, 287.
Fidei Virginis præſtantia 426. & ſeqq. maior quam Abraham, 434.
Fidelis inter infideles præſtat, 446.
Figura fidei Maria tempore tridui 448.
Figura Charitatis Mariæ erga Deum & homines, 477.
Feſtum Mariæ ad nives, 493.
Figura humilitatis B. Virg. l. 3. c. 4. 2.
Figura charitatis, & prudentiæ, 334.

G

Gaudium ob damnatum Neſtorium, 218.
Gloria eſt habere id quod per digna merita acquiri non poteſt, 233.
Gloriam ſuam communicare cum alijs eſt Sanctorum, 287.
Gratia in anima B. V. quāta fuerit 369
Gratia auxilijs præſto eſt Deus, 473.

H

Hebræi in ſeriis habiti fol. 90.
Herma paſtor, 120.
Humilitatis eſt non facile de ſe magna credere, 357.
Hereſiarcha eloquentes, 215.
Honor qui defertur Virgini, 255.
Humilitatem cum excellentia coniungere opus eſt Dei, 259.
Humilitatis eſt agnoſcere Dei beneficia 274.
Humilibus Deus dat ſua dona, 277.
Humilitas eo maior, quò uerior eſt excellentia, 282.
Humiles ſilent de rebus proprijs, 280.
Humiles quærunt latere, 284.
Humilitas efficax ad impetrandum 299
Humilitas

Humilitas ex Dei donis deprehẽditur 299
provocat divinã liberalitatem, 321.
Humilitatis eſt facilius de alijs magna, quã de ſe credere ſecus ſuperbi, 439.
Hortatio ad humilitatem, 299.

I

Imitari ex amore, fol. 23.
Imitatores B.V. ſunt Chriſti, & SS. imitatores, 30.
S. Ioannes forma electorum.
Iſaac figura Chriſti, 108.
Ioachim, & Anna caſtiſsimi, f. 134.
Incarnatio Verbi adumbrata, 160.
Interrogatio B. V. congruit cum interrogationibus factis in Veteri teſtamento 155. & ſeqq.
Interpretationes variæ Verborum, quomodo fiet iſtud, 149. & ſeqq.
Ad imitandum quid provocet, 204.
S. I. Baptiſtæ Humilitas, 265. Sanctificatio in utero, 275.
Interrogatio non ex ignorantia ſed ad examinandum facta, 316.
Interrogationem omittere prudentia eſt 326.
Incarnatio: fides difficilis, 431. & ſeqq.
Innocentia ſpem addit 459.

L

Latus crucis ad ſeptentrionem protexit Maria, & quid hoc ſignificet, fol. 65.
Luna figura Virginis matris, 83.
Lilium figura Virg. & matris, 95.
Lamina ſuffoſa, 99.
Liber confectus ab Hieremia figura Virg. & matris, 124.
Litteras à legatis expetijt Maria, 183.
Lucifer divinã hypoſtaſin expetijt, 272.
Latronis boni fidis, 443.

M

Maria ſoror Moyſis in quo fuit figura B. V. 53.
MARIA redivivia rubus ardens 501.
Mortis hora cur ſingulariter commendetur B. Virg. 62.
Maternitas, & Virginitas cur per figuras explicetur, 79. & ſeqq.
Mundi prima creatio, & reſtauratio figura Virginis matris, 82.
Melchiſedec figura Virginis & matris 85.
Manna item, 88.
Mons apud Danielem item, 90.
Maria prudens non ſuſpicax, 170.
Medium per ſe expetibile non eſt, 177.
Matrimonium qui conſiſtat cum animi Virginitate, 192.
Matrimonium B. V. cum S. Ioſepho, 194.
S. Martinus honeratur, 383.
Maria vere Mater Dei l. 2. c. 3.
Maria complementum Trinitatis, 211.
Mater Dei allegoricis nominibus expreſſa, 222.
Maternitate Dei digna ſe reddidit Maria, & quali merito, 223. & ſeqq.
Maria gratis electa ad Maternitatem Dei ibidem.
Maria eſt merita de condigno conſervationem Maternitatis, 243.
Maria eſt etiam Spiritu Mater Chriſti, 251.
Maria quid ſignificet, 268.
Modeſtia B. V. 291. & ſeqq.
Maria contemptibilis apparebat, 294.
Maria & Ruth parallela, 322.
Maria non ſolũ in verbo, ſed etiã in opere prudens, 328.
S. Martinus, 383.
Matres plus amant, 404.
Mors Chriſti patribus horrorem incuſſit, 422.
Maria cur dolore mortua nõ fuerit, 190.
Maria non ſolum corpore, ſed etiã Spiritu Virgo, 190.
Maria optimam partem elegit explicatur, 499.

N

Nomen Maria Virgo 199.
Nuptiæ in Cana Galilea, 73.
Natura aliqua minus repugnat gratia, 401.

O

Odij & amoris diverſi effectus, 22.
Obedientiæ perfectæ quæ ſ. 176.
Obediẽtiã perfectã ſalvã potuit Chriſtus horrere mortẽ à patre imperatã 179.
Officium Matris poſtulavit ut pateretur 251.
Ovini Gallicani factum admirabile 279.
Optare ut promiſſa fiant non ſemper oritur ex dubio de fide promittentis ſed ex reverentia, 323.
Oratio B. V. ſine diſtractiõe, 391. ibidem quibus collectio mentis adiuvetur.
Oculi dolorem maximum cient, 422.
Odor gratus ex carne Alex. mag. 100.

P

Præfecti Congregationum cui ſimiles f. 2. utiles toti mundo, 2.
Perficiunt ſcientiam, 4. & 5. Dei imitatores, 4.
Pietas inſtar ſalis condit ſcientiã, 5. præfertur ſcientiæ ibidem.
Prædeſtinationis ſignum eſt cultus B. V. 38.
Propitiatorium eſt Maria, 45.
Primicerius quis ſit, 43.
Pœna damni, 51.
Porta orientalis figura B. V. f. 92.
Patriarcharum congreſſus cum turpibus ſed fœcundis, quid ſignificet, 115.
Prophetia de Matre Virg. 121.
Prærogativa Virginitatis Mariæ, 133. & ſeqq.
Pulcheria, 197. 218.
Partus gemini figura, 252.
Purificationis lex, 286.
Prudentia cum Virginitate coniunctio, pulchritudo, neceſſitas, 303. & ſeqq.
Prudentiæ & Virginitatis hieroglyphum 307
Partus Virginis in Bethleem.
Præfiguratus in Ruth, 322,
Peccatum originale non fuit in B. Virg. 348. & ſeqq. neque debitum proximum 356. & ſeqq.
Placidia S. Germanum veneratur, 385.
Promptitudo ad actus pietatis, 388.
Paſſio animi gravior, quam corporis 423.
Patres plus patiuntur in filijs, 423.
Præſentia minuit famam, 445.

R

Reſurrectio cur ſenſim patefacta, 97.
Rubus ardens figura Virginis & Matris, (91.
Rachel, 252.
Roſa in Iericho, 267.
Reſponſio brevis & diſtincta ad plura propoſita, 325.
Receſſus à malo pars Sanctitatis, 354.
Redempta fuit B. Virgo, 354.
Religio maxima in B. Virg. 379. & variæ huius rationes redduntur.
Religioſæ actiones B. Virg. recenſentur, (389.

S

Scientia cum pietate coniungenda, f. 3.
Scientiæ & pietatis differentia, 5.
Similitudo nutrit amorem, 23.
Sol figura Virginis & matris, 85.
Solium Eburneum figura Virg. & Matris, 91.
Sybilla Cumana Matrem Virginem prædixit, 98.
Sapientia luſus quis, 104.
Similitudo S. Scripturæ cum Matre, 105.
Societas IESU, 119.
Salomonis oraculum de Virgine & Matre, 126.
Senſus non qui obvius is ſemper verus 167.
Simplicitas vera qualis, 170.
Scholares Societatis IESU, 198.
B. Staniſlaus Koſtka, 202.
Salutatio Angelica quando aucta, 218.
SS. meriti ſunt accelerationem incarnationis, 242.
Sodales cur Mariã immitari debeãt, 275
Servire Deo in proſperis non eſt genuinũ amoris ſignum, 249.
Sanctitas per analogiam quæ ſ. 375.
Sacerdotum honori parcitur, 397.
Sacerdotes malos deteſtatur B. Virgo, 399.

Spes M. 4

Spei propriæ magis fidens ac deſertus.
Spes habet comitem timorem, ſed non in Maria C. de Spe.
Spes Deo grata, 468.
Spem auget notitia bonitatis eius à quo ſperatur, lib. 3. de ſpe.
Superbi deijciuntur, 265. ad alta aſpirant, 270.
Inſoleſcunt è dignitate, 273.
Superborum prætextus ad palliandam ſuperbiam, 287.
Silentium, cur humilitatis index, 294.
Fuit in B. Virg. inſtar pallij Rebeccæ 312.
Sermo prudens gratus eſt, 317.
Sanctitas B. Virg. c. 3. l. 3.
Sanctitatis varia ſignificatio, 330.
Sanctitas ſine, an Dei Maternitas potior in Virg. 336.
SS. colendi, & cur 343.
Similitudo morientis præ amore, 495.
Spes magna in ijs, qui hic nihil ſperant, 455.

T

Tabulæ Moyſis figura Virg. & Matris 87.
Templū ſub titulo Dei Genitricis, 218.
Teſtimonia SS. Patrū de dignitate Mariæ ad Dei Maternitatem, 226.
SS. Trinitatis veſtigiū in creaturis 236.
Tribulatis Mater ſpei, 69.
Tapes Virginis nix, 495.
Spei Mariæ eximia fuit & ob quas cauſas, f. 453.

V

Virginitas & Maternitas cur per figuras explicetur, f. 79.
Virga Aaron fig. Virg. Matris, 87.
Vermis figura Virginis Matris.
Virginitas corporis qua in re ſita ſit, 102.
Veſtales Virgines, 128.
Virginitas Mariæ præclarior Virginitate aliarum etiam abſque Maternitate, 131.
Votum Virginitatis non fuit notum Sacerdotibus, 193. quando ab ea editū fuerit ibidem.
Virginitas Mariæ ad Virginitatem provocat, 105.
Vterus B. Virginis cur Chriſto horribilis, 134.
Virtutes connexæ, 159.
Viciſſitudo humiliationis, & exaltationis in B. V. 163.
Veſtitus, victus & habitatio B. V. 236.
Veneratio ex cognitione excellentia, 382.
Virgo fidelis Maria per excellentiā, 446.
Virginitatis deſiderium ſtante præcepto Matrimonij, an laudabile ſit, 175.

Z

Zelus honoris Dei maximus in B. V. 394.

Da occaſionem ſapienti, & addetur ei ſapientia, proverb. 9. v. 9.

In gratiam Concionatorum, ſeu exhortatorum in cœtibus Marianis, indicantur loca in hoc opere, vnde pro quavis Dominica & feſto quovis B. Virginis, deſumi poſſit aliquis conceptus, ſeu diſcurſus de Beata Virgine.

Pro 1.

P*Ro prima Dominica Adventus thema: erunt ſigna in Sole, Luna, & in terris preſſura gentium, ſervit cap. 3. lib. 1. §. ultimo optatiſſimum enim patrocinium in periculo graviſſimo.*

Pro *Do. 2. Ad. thema Beatus qui non fuerit in me ſcandalezatus: merito Eliſabetha dixit: Beata quæ credidiſti, vide lib. 3. c. 6. §. 4. & 5.*

Pro *Dominica 3. Ego vox clamantis in deſerto: & tamẽ habebatur pro Meſſia, & propheta: Ita B. Virgo: Ecce Ancilla Domini, quæ Mater eligebatur; lib. 3. cap. 1. §. 1. 3.*

Pro *Do. 4. omnis vallis implebitur, & omnis collis humiliabitur, de alterna humiliatione, & exaltatione* MARIÆ *lib. 3 cap. 1. §. 2.*

Pro *Do: 1. poſt Epiphan. Fili quid feciſti nobis ſic; Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, l. c. 1. §. 6.*

Pro *Do: ſecunda poſt Epiphan. nuptiæ factæ ſunt &c. vide de triplici genere conjugatorum, l. 2. cap. 1. §. 9.*

Dominica 3. poſt Epiph. non inveni tantum fidem in Iſrael, lib. 3. cap. 6. §. 1. 2. 3.

Do: 4. poſt Epiphan. quid timidi eſtis modicæ fidei, l. 3. c. 7. quæ addant fidutiam §. 1. 2. 3. & 5.

Dca. 5. Colligite primum Zizania, l. 1. c. 3. cultores B. Virginis habent ſignum, quod non ſint Zizania, lib. 1. c. 3. §. 1. 2. 3.

Dca. 6. poſt Epiph. ſimile eſt regnum cælorum grano ſinapis quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, vide, l. 3. cap. 1. §. 8. & l. 2. cap. 3. §. ult. ex priore loco oſtenditur B. V. minima ex ſecundo maxima arbor in qua volucres cæli habitant ideſt Sodales.

Dominica 70. Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi vide lib. 3. cap. 1. §. 3.

Dca. 60. cecidit in terram bonam, lib. 3. cap. 1. §. 4.

Dca. 50. ipſe verò multò magis clamabat, lib. 2. cap. 3. §. 4.

Dca. 40. Non ex ſolo pane vivit homo, &c. Chriſtus non eſt Angelo obſequutus;

obſequutus; nec MARIA *ſtatim conſenſum præbuit, ſed interrogavit quomodo fiet iſtud &c. l. 3. c. 2. de prud. Virg.*

D^ca. 2 40. *Nemini dixeritis viſionem, lib. 3. cap. 1. §. 5. de ſilentio de rebus proprijs.*

D^ca. 3 40. *Beatus venter qui te portavit vide lib. 2. cap. 3. §. 1. & lib. 3. cap. 3. §. 1.*

D^ca. 4. 40. *Vnde ememus panes, hæc quæſtio ſimilis eſt illi quomodo fiet iſtud, lib. 2. cap. 2.*

D^ca. *paſſionis: Quis arguet me de peccato? lib. 3. cap 3. §. 5. & 6. vel quod B. Virgo innocens nihilominus ſit plurimum paſſa ut Chriſtus, l. 2. c. 3. §. ultimo, & lib. 3. cap. 5.*

D^ca. Palmarum*: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua; lib. 2. cap. 3. §. 5. 5. 7. quod B. Virgo dignam ſe reddiderit ad Chriſtum recipiendum.*

D^ca. *reſurrectionis quod Chriſtus reſurgens denuò natus ex B. Virgine vide lib. 2. cap 3. §. vltimo.*

D^ca. *In palmis. Cum fores eſſent clauſa. de Virginitate B. Virginis in partu vide lib. 2. cap. 2.*

D^ca. 2. *poſt Paſqua. Bonus paſtor dat animam ſuam, vide l. 3. c. 8. §. 2.*

D^ca. 3 *Poſt paſqua: Mulier cum parit triſtitiam habet vide lib. 3. cap. 5. & ſelige aliquem paragraphum.*

D^ca. 4 *Triſtitia implevit cor veſtrum quanto magis cor* MARIÆ *quæ multò plus amabat vide lib. 3. cap 5. §. 1.*

D^ca. 5. *Poſt paſqua: Amen amen dico vobis ſiquid petieritis patrem in nomine meo; dabit vobis, immò etiam & Matrem, vide lib. 1. cap. 3. §. 2.*

Die aſcenſionis. His, qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderint lib. 3. cap. 6. §. vltimo.

D^ca. *Infra 8^am. Aſcenſionis lib. 3. c. 1. §. vltimo, & cap. 6. §. 4.*

In pentecoſte. Siquis diligit me, lib. 3. cap. 8. §. 1.

Feria ſecunda ſic Deus dilexit mundum, lib. 3. cap. 8. §. 2. & 3.

Feria 3. qui non intrat per oſtium, vide l. 1. c. 5. §. 3. ſicut qui ſunt prope oſtium facile ingrediuntur; ita qui adhærent Mariæ.

Digitized by Google

Dca. Trinitatis: Baptizantes eos in nomine Patis &c. Vestigiũ SS. Trinitatis in creaturis, sed maximè B. Virgo est similis Christo, lib. 2. cap. 3. §. 8.

Dca. 3. post pentecostẽ, quæ mulier habẽs drachmas decẽ: quod Mariæ dolor purus fuerit ex amissione filij, l. 3. c. 5. §. 3.

Dca. 4. post pentecost. Cum turbæ irruerent in IEsum de modestia Virginis, l. 3. c. 1. §. 7. atq; etiam §. 5. & 6.

Dca. 5. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum &c. non hi proponendi in exemplum, sed B. V. l. 1. c. 2.

Dca. 6. Quot panes habetis: nec MARIA ignorabat se de spiritu Sãcto concepturã, siquidem esset electa in Matrem, l. 2. c. 2. §. 5.

Dca. Non omnis qui dicit mihi Dne. Dne. vide l. 3. c. 8 §. vlt. circa finem, l. 1. c. 2. §. 1. & præfationem ad lectorem.

Dca. 8. Redde rationem villicationis tuæ, lib. 3. c. 8. §. 1. p. 473. & p. 487. & 488.

Dca. 9. Videns civitatem flevit super eam. Ita B. Virgo ex consideratione eorum, quæ filio imminebant, l. 3 c. 5. §. 2. Vel domus mea, domus orationis, lib. 3. cap. 4. de Religione B. V. quæ domus est Christi.

Dca. 10. post pentecosten. Omnis qui se humiliat exaltabitur l. 3. c. 1. §. 2. & 3. vel alium, si jam his vsus fuisti.

Dca. 11. Apprehendens eum de turba seorsum, & præcepit illis ne cui dicerent, l. 3. c. 1. §. 6. vel alio si 6. usus es Dominica 2. 40.

Dca. 12. Diliges Dominum Deum tuum &c. de dilectione B. V. l. 3. cap. 8. §. 1. & 2. cap. 7. §. 3.

Dca. 13. Quos ut vidit: de promptitudine B. Virg. ad opitulandum l. 3. c. 2. §. 7. Item lib. 3. c. 8. §. 2. lib. 1. cap. 3.

Dca. 14. Quantò magis vos modicæ fidei? De B. Virg. spe, l. 3. c. 7.

Dca. 15. Noli flere: an hæc cõsolatio adhiberi potuerit MARIÆ, quãdo ejus filius educebatur ad crucem, l. 3. c. 5. §. 3.

Dca. 16. Cum invitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco, lib. 3. cap. 1. §. 7.

Dca. 17. Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? lib. 2. c. 3. de Maternitate Virginis, §. 2. 3. & 4.

Do: 18.

D^ca^. 18. *Videns* IESVS *ſidem illorum, dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua, ſicut Chriſtus præ modeſtia beneficia, quæ impendebat tribuebat fidei, ita ſimiliter B. V. lib. 2. lib.* 3. *cap.* 1. *fol.* 287.

D^ca^. 19. *Omnia parata venite ad nuptias. Vterus Virginalis thalamus Sponſi, & ſponſæ ideſt naturæ humanæ, in hoc thalamo omnia parata, lib.* 3. *cap.* 3. §. 2. 4. 7. 8.

D^ca^. 20. *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. l.* 3. *cap.* 6.

D^ca^. 21. *cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt, ei unius, qui debebat,* 10. *talenta. Cum tanta in nobis ſit copia peccatorũ, excellentiſſima eſt* MARIA, *in qua nullus peccati nævus lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. & 6.

D^ca^. 22. *Oſtendite mihi numiſma cenſus: expoſita breviter Chriſti prudentia tranſire licebit ad explicandam B. Virg. prudentiam, lib.* 3. *cap.* 2.

Do. 23. *Si tetigero tãtum fimbriã veſtimenti ejus ſalva ero: non modo ſalus, ſed etiam Sanctitas quædam percipitur ex tactu Chriſti l.* 3. *c.* 3. §. 8. *atq; etiam mira ſuavitas, l.* 2. *c* 2. §. *vltimo.*

Do: 24. *erit tunc tribulatio magna &c. homo dicitur parvus mundus, ab initio hujus mundi, non eſt tanta tribulatio, quanta in mortis hora. Vnde recurrẽdum ad patrocinium Virginis tunc vel maximè, lib.* 1. *cap.* 3. §. *vltimo.*

Quoad feſta B. Virginis.

Pro conceptione l. 3. *c.* 3. *Pro natali Chriſti, ſeu partu Virginis l.* 2. *cap.* 1. *Pro purificatione, l.* 3. *cap.* 1. *Pro Annũciatione l.* 2. *cap.* 2. *variæ interpretationes interrogationis illius: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco, vel de prudentia lib.* 3. *cap.* 2. *Pro aſſumptione de Charitate, l.* 3. *c.* 8. § 5. & 6. *Pro nativitate B. Virginis de Maternitatis Dei excellentia, lib.* 2. *cap.* 3.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google

Digitized by Google